BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III.
RACCOLTA
VILLAROSA
B
528
NAPOLI

BIBLIOTHECAE DE ROSA

Ex Dono
Cl. Auctoris. Nicolai
Ignarra
Neap. Metrop. Eccles. Canon

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Racc. V. Il B. 528

DE PHRATRIIS

PRIMIS GRAECORVM

POLITICIS SOCIETATIBVS

Digitized by Google

Digitized by Google

592445

DE PHRATRIIS

PRIMIS GRAECORVM

POLITICIS SOCIETATIBVS

COMMENTARIVS

In quo

INSCRIPTIONES PHRATRIACAE
NEAPOLITANAE

Illuſtrantur

ITEM

DE VRBIS NEAPOLIS
REGIONE HERCVLANENSIVM.

NEAPOLI MDCCXCVII.
EX TYPOGRAPHIA SIMONIANA.
Superiorum Permissu.

Digitized by Google

AVCTOR AD LECTOREM.

E*Thnicae Phratriarum Neapolitanarum appellationes fidem manifeſtam faciunt, plures advenarum greges a primis uſque temporibus in hanc urbem fuiſſe receptos. Etſi olim familiae congeneres in pagis quaequae ſuis tentoria explicabant; at poſtea majoris utilitatis tuitioniſque cauſa e re communi viſum eſt, ut plures pagi ſimul conſociarentur, unamque fraternis animis componerent civitatem; uti videre licet in Phratriis noſtris* Eumelidarum, Eunoſtidarum, Ariſtaeorum, Panelidarum, Cumanorum, &c. *qui e diverſo caelo profecti, & in antiquam urbem Neapolim (quocumque ea nomine tunc vocaretur) adſcripti, unum cum indigenis civicum ſyſtema conflarunt. Mihi quidem ipſa advenarum colonorum cognomina vicem crepundiorum gerere videntur.* Crepundia, *ut cuique notum eſt, quaedam* ſigna *erant (quae a Graecis* ἀναγνωρίσματα *h. e.* documenta, *appellantur) quibus exhibitis, recognitiſque, poterat quis ſine controverſia originem ſuam recognoſcere. Quamobrem tot advenis populis in hanc urbem conſcriptis, ne documenta ſuae antiquae originis abolerentur, ſinguli vel e diis patriis ſuis, vel e regionibus, unde pedem extulerant, cognomina retinuerunt. Hinc Phratores* Eumelidae *repetendi videntur a Pelaſgo* Eumelo, Pheretis *nepote; unde hodierna Neapolis* Eumelis *a Statio, & Neapolitani* Pheretiadae, *quadam affectatione antiquitatis, vocantur a Silio Italico:* Eunoſtidae *dicti ſunt ab* Eunoſto *heroe, cujus cultus maxime viguit Graïae ſive Tanagrae in Boeotia. ac ſane bina hodie proſtant Neapoli monumenta marmorea; in uno ſculptus viſitur* Orion, *in altero legitur* Lenaeon *menſis, ſed unus & alter Boeoticae produntur originis:* Ariſtaei *ſunt ipſi Athenienſes, quos adveniſſe Neapolim explorata res eſt; ſed in Gymnaſio Athenarum colebatur* Ariſta, *quae, indice Pauſania,* Diana *eſt, ſatis obvia in numiſmatis Neapol. ab eaque repete* Ariſtaeorum *appellationem:* Panelidae & Cymaei *ſunt ii, qui ex quadripartita* Elide, & Cumis *Campaniae in civitatem Neapol. fuerunt recepti. Ad confirmandum hujuſmodi conjecturam luculentum* Thurii *in Magna Graecia exemplum protuli e Diodoro Siculo; qui narrat, Thurio ob ſeditiones vacuefacto habita-*

tatoribus, ſuperſtites cives e Graecia tranſmarina ſupplementum colonorum arceſſiviſſe, advenamque multitudinem in X. Tribus, (quae Phratriae ſunt) fuiſſe diſtributam, Quibus a ſua cuique gente NOMINA impoſuerunt, ut Tribus Arcas, Achaïs, Elis, Amphictyonis, Eubois &c.

Qui e ſuo natali ſolo coloni alio deducebantur, ii ad fovendam mutuam neceſſitudinem ſe Phratores, tamquam conſanguineos, ſalutabant: quemadmodum Romani perſpecta fide & amicitia Aeduorum, hos Fratres & Conſanguineos nuncuparunt. Conſequens inde fuit, ut Phratorum contubernia, & univerſitates, Phratriae ſint dictae, politicae quidem, non naturales. Regiones urbis, quae advenis colonis ſunt datae, diſtinctae ac diſtributae erant, ut quaeque Phratria patrios ſuos ritus retineret, coleretque, praeſertim quae ad ſacra ſpectabant; ſine fraude tamen univerſalis cultus Dei Patrii ejus urbis, in quam Phratores fuerant adſcripti. Ceterum libera iis facultas dabatur colendi deos, quos ab origine ſui majores obſervarunt: quod exemplo comprobavi Samaritanorum, qui tum deos patrios ſuae cujuſque originis colebant, tum legitima Dei terrae, in quam fuerunt traducti. Hinc in epigraphis noſtris occurrunt, tum Deus patrius, tum Dii phratrii, illi quidem, ut praeſens numen loci, quo pervenerant, hi vero, unde devenerant. At quoniam ſuperſtites Phratriacae inſcriptiones plerumque de rebus ſacris cujuſque Phratriae faciunt mentionem; hinc oborta eſt ſuſpicio, veteres Phratrias corpora exſtitiſſe ſacrificulorum: qua in opinione plerique omnes ſunt verſati. Contra Salmaſius in obſervationibus ad Jus Atticum pro adverſa opinione ſtetit, & Phratrias ſyſtemata fuiſſe politica propugnavit. Verumtamen hic vir immenſa eruditione praeditus, dum veluti rapidus montano flumine torrens decurrit, potius lectorem cum fragore percellit, quam ſuadendo in ſuam alliciat ſententiam. Quamquam, ne quid diſſimulem, Salmaſius ipſe, dum erroris inſimulat Pollucem, quod vocabula Trittys, Ethnos, & Phratria ſynonyma fecerit, mihi videtur plenam de Phratriis intelligentiam minime fuiſſe aſſecutus. Equidem quid eodem in argumento enucleando expoliendoque praeſtiterim, quidve mihi, etſi extra ſemitam, ſed certe quidem pro re nata, commentandum occurrerit, ne hic longum faciam, Synopſis, quae proxime ſequitur, edocebit.

S Y N O P S I S

Eorum quae in hoc opere tractantur.

ANTELOQVIVM quo rerum dicendarum ſumma & partitio proponitur. *pag.*1.

P A R S   P R I O R.

CAPVT I. De primaeva *Phratriae* ſignificatione. Latini vocem *Frater* a Graeco Φράτηρ hauſerunt. *Phratria* nihil aliud olim, niſi *Fratrum cognationem*, denotavit. Plura vocabula Graecae originis producuntur, quae Latini tenacius, quam Graeci, retinuerunt. Δῆμος, Φρατρία, Συγγένεια, vocabula ſynonyma *p.*5.

CAPVT II. De *Phratriarum* Inſtitutione. Quaſnam ob cauſas Familiae Patriae, olim ſolitariae, in ſyſtema *Phratriarum*, ſive Fraternarum Societatum, convenerint *p.* 11.

CAPVT III. Cecrops I. univerſos Atticae regionis Pagos in IV. Tribus, & in XII. *Phratrias*, quae totidem ſunt Civitates, diſtribuit. Pollux, qui *Phratriam* denominavit *Trittyn*, a Salmaſii criminatione purgatur. Thucydides & Strabo, qui Atticam in Civitates, & vett. Grammatici, qui in *Phratrias* diviſerunt, idem docuiſſe produntur. Φρατρία & Πόλις vocabula ſynonyma, ut & Ἀφρήτωρ, idem ac Ἄπολις. Pollux notatur *p.* 16.

CAPVT IV. De XXX. *Gentibus* in unamquamque Phratriam adſcriptis, earumque *Gennetis*. Pollucis locus confirmatur. Suidas ex Aelio Dionyſio emendatus. Corſinus a nota oblivionis purgatur. Vox *Eteobutadae*, inſtar vocis Homericae *Eteocretes*, compoſita *p.* 23.

CAPVT V. Amplius de *Gennetis*: quos, utpote generoſos, *Proceribus* Latinorum reſpondere demonſtratur. Sacra & Profana olim in Attica penes *Gennetas*; ſicuti in antiqua Roma penes patricios, ſive *Proceres*. Etymologia *Procerum* tentatur *p.* 29.

CAPVT VI. De XII. Civitatibus Cecropiis a Theſeo in unam Civitatem collectis. Ciceronis locus de duabus veterum Athenienſium patriis emaculatur & explicatur. Locus Demoſthenis contra Corſini opinionem ſanus oſtenditur. Quo ſenſu Athenienſium συνοικία (*commigratio*) accipienda *p.* 33.

CAPVT VII. De *Phratriis* Homericis, quae in ipſis Pagis,

Vrbibuſque a Poëta memoratis, deliteſcere demonſtrantur. *p.* 30. Bello Trojano Graeci foederati, per *Phratrias* inſtruuntur in aciem, exceptis Athenienſibus, qui ſcientiae militari Regis Mneſthei ordinandi permittuntur, & quare *p.*39.

CAPVT VIII. De peculiari Athenienſium *Phratorum Collegio*. Aucto numero Tribuum multiplicatae pariter fuere Phratriae. Omnes Athenienſes Phratores, ſed non omnes in legitimum Phratorum ſyſtema cooptati *p.* 44.

CAPVT IX. De ritu recipiendi Athenienſium gnatos in *Phratriam*. *p.* 48.

CAPVT X. Παράλληλον Athenienſium *Phratriarum*, & *Curiarum* Romanorum. Φρατριάρχος latine *Magiſter Curiae*. Quid Plauto *Agnus Curio*. Ciceroni *Curiales* ſunt *Phratores*. *Phretion* in vet. inſcript. eſt *Curia*. Etymon *Curiae* origine Graecum *p.* 52.

CAPVT XI. Convivia Publica ſive Phyletica, ſive Phratriaca, ſive Demotica, a Pelaſgis Italicis inſtituta, poſtea a Graecis tranſmarinis adoptata. *p.* 57.

CAPVT XII. De *Phratria* aevo ſequiore pro ſodalitio, ac *toro convivali* uſurpata. Demetrii Sceptii apud Athenaeum locus defenditur, & explicatur. Dalecampius & Caſaubonus notantur. Heſychius ex Joſepho Hebraeo illuſtratur *p.* 60.

PARS ALTERA.

De Phratriis Neapolitanis ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.

§. I. *Phratriarum* Neapolitanarum e vett. lapid. notitia & recenſio. Varia *Phratriarum* ethnica ſive gentilitia cognomina indicium faciunt, multiplices gentium catervas aequo jure in unam Civitatem Neapol. coiviſſe. Par ſyſtema politicum in *Thurina Civitate* Magnae Graeciae obſervatum oſtenditur. Plato e Thuriorum conſtitutione nonnihil in ſua condenda republ. profecit. Quid aquae *Medimnus* in Diodoro Siculo. Vocabula ſynonyma *Tribus* & *Phratria*. Romanorum Curiae a locis, non a raptis Sabinis, denominatae. *p.* 65.

§. II. Phratriae Neapol. ſuis quaeque temporibus conſignantur. Vrbs *Parthenope* a Rhodiis condita: ex quo urbis nomine conficta & mutuata eſt nomen *Siren* Parthenope, non contra; nempe ut urbi celebritas Homerica conciliaretur. *p.* 72.

§. III.

Digitized by Google

§. III. Pleraque loca Latii & Campaniae a Pelaſgis Aeolicis occupata, ac praeſertim *Phalerum*, uti antiquitus vocabatur Neapolis. E variis populis urbis noſtrae colonis Pelaſgos primos omnium conditores habendos eſſe oſtenditur. Hujus coloniae *Phalerum* deductae, aetas tentatur. *p.* 77.

§. IV. Παρέκβασις (*digreſſio*) de Pelaſgis *Aeolenſibus*. Homeri Aeolia inſula nonniſi in mari Tyrrheno quaerenda; ejuſque Mazochiana etymologia. Italicorum *Aeolum* cum Latinis & Campanis commercium: inde affinitas inter Aeolicum & Latinum ſermonem repetenda. Pelaſgorum Aeolum ex Italia profugorum aliquanto poſt bellum Trojanum, in Theſſaliam, Boeotiam, aliaſque Graeciae regiones tranſmigratio. Hinc *Aeolum* nulla apud Homerum belli Trojani tubicinem mentio, & Aeolica dialectus poſt Ilii cladem in Graeciam transmarinam invecta. *p.* 83.

§. V. De Diis *Patriis* & *Phratriis*, eorumque diſcrimine. Inſcriptio Graeca Neapol. producitur & illuſtratur. Quam ob cauſam Dii Patrii Neapolitanorum tranſnominati fuerint Σεβαστοὶ (*Auguſti*). *p.* 92.

IN INSCRIPTIONES PHRATRIACAS NEAPOLITANAS COMMENTARII

CAPUT I. ΕΥΜΗΛΕΙΔΩΝ *Eumelus* Deus patrius Pelaſgicae urbis *Phaleri*, quae poſtea Neapolis. Eumelus, a quo Vrbs *Eumelis*, & Cives *Eumelidae*, ille fuiſſe oſtenditur, qui ab Homero *Eumelus* & *Pheretiades* ex aequo vocatur. Silii Italici locus ſuae veritati reſtituitur. Inſula *Euboea* antea dicta *Aba*, unde *Abantes* Homerici. Primi noſtrae urbis conditores claſſe Abantia huc locorum devenere. Studia gymnica Neapolitanorum per Olympiadas Italicas inſtaurata. Quinam inter Athletas *Pueri Politici* *p.* 96.

CAPUT II. ΕΥΝΟΣΤΙΔΩΝ. *Eunoſtidarum Phratria* perperam a Fabretto credita *Sodalitas Pudicitiae*. Binae Inſcriptiones, una Romana, altera Herculanenſis, ſupplentur & illuſtrantur. Cultus *Eunoſti* herois e Graja Boeotiae Neapolim traductus. Boeotica Eunoſtidarum Neapolitanorum origo firmatur ex Orionis ſimulacro & menſe Lenaeone. Heſychii locus emendatur. Mutila Inſcriptio Neapol. ubi *Lenaeon* menſis, ſuppletur, & illuſtratur. *Adonia* Neapoli celebrata. Sepulcreta Eunoſtidarum, reliquarum-

que

que Phratriarum in ſuburbiis aedificata. Aliquot inſcriptiones ſaeculi aurei latinitatis extra Portam Campanam nuper inventae, producuntur *p.* 115.

CAPVT III. ΑΡΙΣΤΑΙΩΝ. Lex Phratriae *Ariſtaeorum* producitur, ſuppletur, illuſtratur. Vnde Phratriae quaeſitum cognomen *Ariſtaeorum*. Diana Athenis cognominata *Ariſta* & *Calliſta*. Ὄνομα & Πίστις quid in contractibus. Ἀλλοφρήτωρ eſt *alius Phratriae* corporatus. Ἀγαῤῥὶς, eſt populi concio. Wan-Dalus & Martorellius notantur *p.* 133.

CAPVT IV. ΑΡΤΕΜΙΣΙΩΝ. Reineſiana inſcriptionis Graecae emendatio defenditur. Proculo Coſ. Proconſulatus Campaniae aſſeritur. Hujus Proculi aetas aevo M. Antonini Aug. a quo factus Conſul, conſignatur. Julii Capitolini locus emendatur. Alia inſcriptio hactenus inedita, Proculo poſita, producitur. *Artemiſii* Phratores unde ſic dicti *p.* 150.

PARERGON promiſſum ad Phratriam Artemiſiων *pag.* 151. quo vetuſtiſſimae Graecae inſcriptionis jam vulgatae, nova traditur expoſitio *p.* 157.

CAPVT V. ΠΑΝΗΛΕΙΔΩΝ. Notitia hujus Phratriacae inſcriptionis. Exarata haec videtur obſoleſcente Neapoli Graeciſmo: hinc ΧΡΕΙΣΜΑΤΑ & ΠΑΝΚΛΕΙΔΩΝ perperam ibi ſcalpitur pro Ἐρείσματα & Πανηλείδων. Ὀμάγιον apud Polybium defenditur, ad ejuſque vocabuli normam Ἀρνάγιον, & Αἰνάγιον Strabonis, refingendum ſuadetur *p.* 167.

CAPVT VI. ΟΙΝΩΝΑΙΩΝ. Οἰνώνη, inſulae Aeginae, ac duorum in Attica pagorum nomen. *Demarchia* ſupremus Neapoli magiſtratus, ab Hadriano Aug. geſtus. *Demoe* potius ſunt Pagi Latinorum, quam Vici. Λαυκελαρχήσας in tribus Neapol. inſcriptionibus obvius, nimium fidenter a Reineſio in Ναυκελαρχήσας emendatur. Λαυκελαρχία, magiſtratus, qui equorum, vel cymbarum praeerat certaminibus, fuiſſe conjicitur. Γραμματεὺς (*ſcriba*) haud ignobilis in Graeca republ. magiſtratus. Τιμητὴς & Ἄρχων ὁ διὰ πέντε ἐτῶν *Cenſor* eſt Latinorum, qui & Quinquennalis: Ἄρχων ὁ διαπέντε ἐτῶν τιμητικὸς, Cenſor eſt honorarius, non ordinarius *p.* 173.

CAPVT VII. ΚΥΜΑΙΩΝ. Aetas hujus inſcriptionis temporibus Nervae Auguſti; ut & altera Neapolitana epigraphe *Dioſcuris* poſita aevo Tiberii Auguſti conſignatur. Scyphus, convivale poculum, in ſacris adhibitus, & formae plerumque ovalis.

Scy-

Digitized by Google

Scyphus a Coccejo Diis Phratriis Cumanorum dedicatus, e metallo pretioſo fuiſſe ſuadetur. Donariis Sacris, ne fraudi paterent, pondus & modulus ſolebat adſcribi. Sigla ς hactenus irreperta, ſiglae latinorum N, hoc eſt *Numero*, reſpondere ſuadetur. Cumae in Campania denominatae a Cumanis Aeolicis, non a Cumanis Euboicis. Cumani a Campanis expulſi, benigne a Pelaſgis Parthenopaeis accepti, & in aequum jus civitatis admiſſi. Inde unus idemque populus duabus urbibus prope contiguis habitabat; eamque ob cauſſam illa Palaepolis, haec Neapolis ex vero cognominata. Triumphatis Palaeopolitis Romani foedus cum Neopolitis icerunt; ſed hi coacti fuere Campanos in ſuam civitatem admittere *p.* 183.

Caput VIII. ΑΝΤΙΝΟΙΤΩΝ. Hadrianus Auguſtus Neapoli *Demarchus*. Phratria *Antinoiton* a Neapolitanis in gratiam Hadriani inſtituta. Spartiani locus male vexatus; ubi τὸ *Gallus* in Κάλλος refingendum oſtenditur. Aliquot Latina vocabula deſperatae ſignificationis, ut *Procer*, & *Atae*, Graecis elementis exaranda. Pantheum ab Hadriano Athenis, Romae, ac Neapoli aedificatum, ut callide Antinoi cultum occuleret. Pantheum Neapolitanum, ubi nunc ſtat Aedes S. Joannis Majoris, & olim omnium Sanctorum: qua in Aede noſtrorum majorum aetate adhuc Antinoi protome proſtabat. Menſis Pantheon a veteribus Neapolitanis uſurpatus, ab dedicato Pantheo arceſſitur *p.* 198.

Caput IX. De Commentitiis Phratriis, *Agarrheenſium* & *Eumidarum*. *p.* 204.

ΠΑΡΕΚΒΑΣΙΣ. *Queiſnam ex monumentis antiquis indicia territorialis dialecti ſint captanda*. Ex Graecis inſcriptionibus poetarum *Philippi* & *Alcibiadis* in Sacello Soviani Pontani proſtantibus, erui nequit, horum poëtarum aevo Graecum ſermonem Neapoli fuiſſe vernaculum. Obiter poëma *Praetermiſſorum ab Homero*, inſcriptum *Quinto Calabro*, aſſeritur *Alcibiadi*. Nomen *Quinti*, ut Ennio, ſic Alcibiadi, ex metempſychoſi Pythagorica quaeſitum. Manifeſta indicia Latinitatis Neapolitanorum ex publicis epigraphis eruta. Moenia urbis Neapolis aevo medio contra Africanorum excurſiones munita. Vicus prope Neapolim, vulgo *Teduccio*, ab Aug. *Theodoſii* columella ibi proſtante, nuncupatus. Φρητρία, poſtea *Phetrae*, & mox Latinitate praevalente, *Curiae*, *Tribus*, & *Regiones*. Cujuſque regionis Viri opulentiores, qui rempubl. adminiſtrabant, forte dicti Ι'πποβά-

τα

Digitized by Google

τα q. d. *Inequitantes*, exemplo ducto a Cumanis Chalcidenſibus, ſive Euboicis, qui Cumis relictis Neapolim confugerant.

Caput X. HERCVLANENSIVM. Regio Herculanenſium, indicio *Demarchiae*, in Vrbe Neapoli, non in oppido Hercu'ano, quaerenda, De Veſuvio ignes eructante diu ante Chriſti natale, Tertulliani teſtimonium. *Herculani* & *Pompejorum* etymologia ex ipſius natura loci arceſſita. De *Salinis* Herculani & Pompejorum divinatio. Vulgari opinione perperam jactatum, oppida Herculanum & Pompejos Titiana Veſuvii tempeſtate fuiſſe peſſumdata. Ea de clade Papinii Statii exaggeratio ex ipſo Statio extenuatur. Titus Aug. ruinas horum oppidorum, & Neapolis, eodem anno reparavit. Ex collatis Tabula Peutingeriana, ubi *Herculanum* & *Pompeji* viſuntur, & Itinerario Antonini, ubi non comparent, arguitur, eo temporis interſtitio utrumque oppidum horrenda Veſuvii conflagratione anno Chriſti 471. vacuefactum, & Pompejanos quidem *Nolam*, Herculanenſes vero *Neapolim* confugiſſe. Obiter de antiquo pago *Retina*, quae olim ad mare, poſtea, ut in tuto ſe poneret a Saracenorum excenſionibus, lares ſuos in antiquis *Porticuum Herculanenſium* parietinis depoſuit. *pag.* 221.

DISSERTATIO promiſſa p. 132. de *PAVSILYPO* notante SEPVLCRVM. Pauſilypon in duabus vett. epigraphis nonniſi *Sepulcrum* denotat, Sub apologo *lapidis Pauſilypi* apud Plutarclum tumulum deliteſcere ſuadetur. Vnde captata ſit comparatio, ut *dies* vitam, *nox* obitum deſignaret. Quo *lucernae*, *nummi*, & *vaſa*, paſſim obvia in vett. ſepulcris, collineent, divinatio. De ineffabili ſorte alterius vitae locus Empedoclis cum doctrina Divi Pauli plane concordat. *pag.* 248.

Digitized by Google

A N T E L O Q V I V M

Quo rerum dicendarum ſumma & partitio proponitur.

INter plura Graeciſmi Neapolitani veſtigia, quae Strabonis aevo in hac urbe ſupererant, referuntur ab eo *Phratriae*, in quas populus univerſus ex antiqua erat Graecorum conſuetudine diſtributus. Paullo ante Geographi aetatem Varro de iiſdem Phratriis Neapol. verbum fecerat, quemadmodum ex ejus corruptiſſimo loco, quem Turnebus admiranda felicitate reſtituit in integrum, edocemur. Ceteroqui etiamſi Varro Straboq. id dicere ſuperſediſſent, non pauci litterati lapides adhuc ſuperſtites teſtatum noſtris temporibus facerent, civitatem Neapolitanam a prima origine ſua in tot *Phratrias* fuiſſe diviſam, quot populi ex antiqua Graecia in hanc Campaniae oram conceſſerint habitatum. Namque Phratriae, quas per antiqua marmora compertas habemus, ſuis quaeque gentilitiis nominibus ita diſtinctae apparent, ut facile dent intelligere, ſingulas Phratrias a ſingulis populis diverſi caeli oriſque huc advenis, ſuae quidem retinuiſſe originis nomenclationem, ſed in unius urbis coiviſſe ſocietatem.

Hac autem diverſarum gentium, quae olim urbem Neapolim incoluerunt, adhibita obſervatione, pergratum ſane accidet Neapolitanis primos urbis ſuae agnoſcere conditores, ſuoſque patres ex his antiquis inſcriptionibus, tamquam e tabulis cenſualibus, erutos, nomine ſuo ſalutare, ſuſpicere ac revereri. Haec nimirum prima Reipubl. Neapolitanae incunabula elicere me poſſe confido ex noſtris Phratriacis inſcriptionibus diligenter accurateq. perpenſis, atq. illuſtratis. Iter igitur novum ingredior, a noſtris quidem ſcriptoribus non antea tritum; nam qui hactenus eruditi viri de Phratriis Neap. verba fecerunt, illud in primis rimari & colligere ex hujuſmodi titulis adniſi ſunt, quod ignoraſſe, non poeniteret. Ut ecce cum Phratrias *Eumelidarum*, *Eunoſtidarum* &c. exponerent, nihil aliud ſatagere viſi ſunt, niſi ut intento digito demonſtrarent, quam urbis noſtrae regionem quaeque Phratria occuparit, quo Phratores convenerint, atq. ubi fuerint epulati: quaſi, quum ſolum urbis occuparetur ab advenis colonis, ipſi agro dividundo affuiſſent, ſic ut ſibi, tamquam coloniae metatoribus, adhiberetur fides, quum dicerent,

Hic Dolopum manus, hic ſaevus tendebat Achilles,
Claſſibus hic locus . . . . .

At vero illi impendio magis operam probaſſent ſuam, ſi diligenter inquiſiviſſent, cujates fuerint *Eumelidae*, *Eunoſtidae* &c. quo creti ſanguine, unde gentium profecti huc advenerint, quo ſocietatis vinculo conjurati, unam eamdemque conſtituerint civitatem.

Fruſtra ſim, ſi quae ab aliis praeſtari maluiſſem, ipſe exſequi negligerem. Quum neſcio, quo fato acciderit, ut meam quoq. ſymbolam in hoc Phratriacum argumentum conferre deberem, nihil ei curae praevertendum putavi, quam ut ex hujuſmodi inſcriptionibus dumtaxat cognomina Phratriarum ſingulari ſtudio commentanda ſuſciperem; namque cetera ſuſque deque habui, ſi levi brachio pertractarentur. Ex qua ſedula commentatione id equidem ſum conſecutus, quod aliunde ſperare nequiviſſem. Inde enim addidici, qui primi populi Graeciae in Latium intulerint Graeciſmum, & populos Aborigines linguam moreſq. ſuos edocuerint: praeterea cur Latini Achajam, Peloponneſum, Atticam, Boeotiam, ceteras illius orae tranſmarinas regiones, communi nomine *Graeciam* appellarint, cum ea vox inuſitata paene & ignorata Graecis ipſis populis fuerit: denique cur iidem Latini illum extremum Italiae angulum *Magnam* ſeu *Majorem Graeciam* nuncuparint, quae certe neq. terrae latitudine, neque viribus, potentia, aut doctrinae ſplendore cum Graecia tranſmarina poterat comparari. Noſtris igitur Phratriacis inſcriptionibus facem praeferentibus, mihi oblata eſt ſpiſſas abditae antiquitatis tenebras pervadendi facultas, perveniendiq. pariter ad rerum ſcitu jucundiſſimarum cognitionem.

Utinam pluribus hujuſmodi monumentis abundaremus! profecto de multiplicibus veterum colonorum migrationibus, deq. prima *Phratriarum* notione, certiora expromi poſſent judicia. Sane cum *Phratriarum* nomen & inſtitutum paſſim a Graecis civitatibus fuerit uſurpatum, ſumma admiratione corripior, de una Neapoli Campaniae ea monumenta Phratriaca permanſiſſe: quandoquidem in tot veterum inſcriptionum collectionibus, quarum onus revera cameli detrectarent, nulla vola neq. veſtigium de *Phratriis*, ſi a Neapolitanis abſceſſeris, apparet. Peſſum iviſſe ea monumenta omnino judicandum eſt, & quidem cum ingenti jactura priſtinae eruditionis, ex quo factum eſt, ut veteres recenteſq. critici, quum de Phratriis ac Phratoribus differerent, in incerto opinionum luſerint, & ſint digladiati: quorum diſſonis opinionibus accidit, ut *Phra-*

Digitized by Google

Phratriae nomen & inſtitutum quo pertineat, te certe tenere, omnino negaveris.

Enimvero ſi ea ſuper re Pollucem, Heſychium, Suidam, ceteros veteres conſulueris Grammaticos, ſimulq. contuleris; facile ipſos obſcuritatis, & inconſtantiae argueres; namque deprehendes *Phratores* vario modo ab iis redditos, eorumq. corpus, nunc ut politicum, nunc ut ſacrum habitum fuiſſe animadvertes. Porro ex hoc veterum Grammaticorum diſſidio ortae ſunt ſtrenuae illae recentium criticorum concertationes, quae propoſitam quaeſtionem non modo non reſecuerunt, ſed novis potius controverſiis cumularunt. Pro ſtatu politico Phratorum acerrime ſtat Salmaſius, dubitat Reineſius, titubat Vandalus, negat Fabrettus; quem ultimum ſecutus ſcriptor Thecae Calamariae *Phratrias* nonniſi corpora ſacra ſtudio enixo fuiſſe contendit. Verum equidem ex hiſce criticis, qui vel obiter, vel non adeo diligenter de Phratriis pertractarunt, excipio Salmaſium, qui farraginem immenſam ex inexhauſto eruditionis ſuae promptuario in hoc argumentum liberali manu contulit: & quoniam cum id ageret, Advocatum Pariſienſem exagitabat, libenter illi condono, quod aeſtu quodam correptus, ordinem in dicendo non ſervarit, multaque inſerſerit, quae lectorem potius praegravant, quam inſtituunt. At vero aegre mihi eſt, quod ex ejus lucubratione lector non multo inſtructior diſcedat, nec plane erudiatur, queis temporibus variae Phratriarum acceptiones ſint conſignandae, queis gradibus *Phratriae* ad Pagi, Urbiſque amplitudinem evaſerint: quo pacto *Phrator* latiſſimae olim ſignificationis ad ſolos poſtea Phratriarum *ſacrificulos* notandos ſit coartata, ac tandem cum libitinariis ac veſpillonibus communicata.

Haec autem omnia diſcutere & exponere operae mihi pretium viſum eſt, antequam ad illuſtrandas inſcriptiones Phratriacas accederem, eam ob cauſam, ut lector de Phratriae notione plene inſtructus ſine ullo impedimento protinus inſcriptiones ipſas aggrediatur, in earumq. commentatione totus occupetur. Itaque in duas partes a me tribuetur hic Commentarius; prima pars Παρασκευὴν *praeparationem* quamdam continebit, qua lector praemuniatur de variis diverſo tempore vicibus *Phratriarum*, & *Phratorum*, deque eorumdem cum Romanorum *Curiis* & *Curionibus* indubitata affinitate: ex qua comparatione patebit, *Phratrias*, uti *Curias* Romanorum, nonniſi corpora fuiſſe politica; *Phratoras* vero, uti *Curiones*, ſacris peragendis vacaſſe: quae collatio ſi pridem inſtituta

 fuiſ.

Digitized by Google

fuiſſet, ſane neq. veteres Grammatici inconſtantiae fuiſſent accuſati, neq. recentiores Critici in tot ſe controverſiarum conjeciſſent Maeandros. In altera vero parte exponam veterem conſuetudinem arceſſendi colonos ex variis terrarum regionibus: qui coloni diſtributi in tribus ſive phratrias, cognomines iis terris, unde fuerant exciti, unam porro civitatem aequo jure conſtituebant. Hac antiqua conſuetudine exemplis firmata, deveniam ad Phratrias Neapolitanas, ex pluribus pariter regionibus collectas, ac tandem inſcriptiones ipſas Phratriacas; bonitate Dei vitam mihi vireſq. ſuppeditante, producam atq. illuſtrabo.

Digitized by Google

PARS PRIOR

CAPUT I.

De primaeva *Phratriae* ſignificatione.

Latini vocem Frater *a Graeco* Φράτηρ *hauſerunt* . Phratria *nihil aliud olim* , *niſi* Fratrum cognationem , *denotavit* . *Plura vocabula Graecae originis producuntur*, *quae Latini tenacius* , *quam Graeci* , *retinuerunt* . Δῆμος , Φρατρία, Συγγένεια, *vocabula ſynonyma*.

NOn raro ſolet evenire , ut propiora quae ſunt nobis , ac paene ſub tactum cadunt , ea aliunde repetere , peregrinante animo , detorqueamur . Hujuſmodi autem humanae aberrationis documenta tum alibi , tum maxime deprehendere licet in antiquitatum inquiſitione ; ubi fieri ſolet , ut , quod ceteroqui foret intellectu facile , id porro ſollicita percunctatione , & jactatione perquiſitum , infuſcetur , rareſcat , ac tandem , ut ita dicam , elabatur e manibus . Ut ecce in inveſtiganda *Phratriae* etymologia , ni Viri magni nominis auctoritate ſua fucum incauto feciſſent lectori , nemo prorſus exſtitiſſet , quin facile ſuopte Marte veriloquium , quod ſatis obvium & vulgare eſt , agnoviſſet .

Attamen Servius Aen. VII. 286. Budaeus , Voſſius , aliique litterati viri *Phratriam* a voce φρέαρ (*puteus*) arceſſunt , atque inde *Phratores* ſic dictos autumant , quod communi *puteo* uterentur . Faveret huic opinioni Feſtus in v. *Pagus* , qui villas hac eadem de cauſa *Pagos* prodidit fuiſſe vocatos , *quod eadem aqua uterentur : aquae enim Dorica lingua* Παγαὶ *appellantur* . Verum aliud omnino eſt *Puteus* , aliud *Phratria* ; illud enim eſt vocabulum τοπικόν (*locale*) ; at hoc eſt quid εἰδικόν (*formale*) , neque certo loco definitur , neque circumſcribitur , ſed eorum , qui vel natura vel fictione juris ſunt *Phratores* , neceſſitudinem communionemque univerſe deſignat . Haec animadverſio fortaſſe deterruit ſtrenuum Thecae Calamariae Scriptorem p. 602. ne propoſitae a Servio etymologiae ſubſcriberet ; quocirca ratus , nullam exſtare in Graecia vocis *Phratriae* proſapiam , divertit pro more ſuo

in

Digitized by Google

in Phoeniciam; namque vir doctus ſaepenumero orientales merces nundinari ſolet; & quia totus erat in aſſerendo *Phratoribus* ſacerdotio, animadverteratque vocem *Pheret* apud Rabbinos *Electum* denotare; inde argutatus eſt, *Phratores* ab ea Rabbinica origine deſcendere, quia ut ipſe ait, *ſacrorum miniſtri gens Electa . . . . tam apud Hebraeos, quam apud Chriſtianos fuerit*. Equidem male feriatus arguerer, ſi hujuſmodi aranearum telas in auras diſpergere conarer: ceterum haec ipſa lectorum oculis fideliter objeciſſe, perinde eſt, ac dedita opera diſſipaſſe.

Sed quid ultra tricamur? Quemadmodum vox Πατρὰ a Πάτηρ fit, ſic φρατρία a voce φράτηρ, idem ac *Frater* apud latinos ſignificante, deſcendit. In hac autem poſitione duo ſunt nobis oſtendenda, φράτηρα ſive φράτορα (1) ſignaſſe antiquitus apud Graecos *Fratrem* ſive *Cognatum*; ac praeterea Latinos vocabulum *Fratris* recta ab ipſis Graecis derivaſſe. Quod ad primam hujus quaeſtionis partem attinet, mihi ſane otium faciunt, praeter Dicaearchum, cujus locum paullo poſt producam, Heſychius & Suidas, quorum (2) luculentiſſimis auctoritatibus fit manifeſtum, φράτορας olim dictos, qui poſtea recentiore vocabulo ἀδελφοὶ ſunt vocati; illius vero vocabuli uſum, vel perrarum evaſiſſe, vel penitus intercidiſſe, ideoque a lexicographis accurate expoſitum: namque ii, quibus curae fuit vetera gloſſemata colligere, maxime voces vel raro occurrentes, vel jam antiquatas ſatagebant cum uſitatioribus ad juniorum eruditionem commutare.

Verum nihil aeque luculenter oſtendit, τὸ φράτηρ denotaſſe *Fratrem*, quantum vox latina *Frater*, ejuſdem ſoni, pariterque incipiens & cadens, atque idem ac ἀδελφὸς ſignificans: quocirca omni prorſus haeſitatione depoſita, ajo, hanc vocem mutuatos fuiſſe vetuſtiſſimos incolas Latii vel a Pelaſgis Tyrrhenis, qui bilingues erant, h. e. barbarice Graeceque loquebantur, vel ab iis Graecis, qui primi Campaniam, Latio proximam, coloniis frequentarunt: quae

(1) Utroque modo haec vox inclinatur, φρήτορος & φρήτερος, a φρήτωρ ſcil. & φρήτωρ. Heſychius in Πατέρες recitat verſum antiqui poëtae ex dramate Ἐν φρήτερσι. Argumenta hujus modi ſaepe iterata animadvertimus: namque Terentii habemus comoediam inſcriptam *Adelphi*, & Afranii in *Fratribus* apud Priſcianum.

(2) Heſychius: Φρήτωρ, ἀδελφὸς, *Frater*, & Φρήτρα . . . . Φατρία, συγγένεια, πατρικὴ γενεα, *cognatio, paterna progenies*. Suidas: Φρήτρα, συγγένεια. Φράτορας τοὺς συγγενεῖς καλοῦσι. *Phratria, cognatio. Phratores, Cognatos vocant*.

quae vox in Latio profundas egit radices, at in Graecia exaruit. Hanc enimvero fortunam aliis etiam vocabulis contigiſſe conjicio; & ſexcenta opinor exſtare Graecanica vocabula, quae Latini reputantur peculii, quia nullae hodie ſuperſunt in Graecis Scriptoribus auctoritates, quae fidem faciant, ea Latinos a Graecis didiciſſe. Hujus loci ſunt *Corona*, *Cymba*, *Libra*, *Modius*, *Nummus*, *Pagus*, *Tophus*, *Uncia* &c. quae a majoribus noſtris latinae habita originis, recentiores eruditi viri liberali cauſſa Graeciae aſſeruerunt. Et quis mihi ſtellionatûs dicam impingeret, ſi vocabula *Aula* ſive *Olla*, *Fecialis*, *Nepos*, *Turma*, *Curia*, Graecis reſtituenda eſſe contenderem (3)? Sed enim haec pauca, quae ad hujus ſpecimen guſtûs protuli, ſatis ſuperque ſunt, ut facile perſuadeamur, plures ſupereſſe in lingua latina voces, quas olim Latini mutuati ſunt a Graecis, ſed poſtea apud hos quidem deſuevisſe, ab illis vero tenacius cuſtoditas; quo minus mirandum eſt, ſi

(3) AVLAE Voſſius ex אלה (*ala*) *incendit* etymon deducit: id ſi verum eſt, dicendum pariter foret, *ſartagines*, *cacabos*, *lebetes*, &c. quae igni admoventur, eadem appellatione comprehendi. At *Ollae* non magis ex aere ferrove, quam ex creta fingebantur. Columel. XXII. cap. extr. 19. *Bibulas aut male coctas ollas emere*. Verum idem Voſſius recte animadvertit, ex *Aula* confictum fuiſſe *Olla*, non contra; idque arguit ex titulo Plautinae Aululariae. Quae cum ita ſint, *Aulam* ex *Aulide* in Boeotia arceſſe, pro more ſcilicet imponendi nomina figulinis vaſis e locis, unde devehuntur, uti *Cretâ*, *Faventiâ*, &c. Eamdem terrae tenacis naturam, opificium quidem certe, ſuſpicari licet exſtitiſſe *Aulide*, cujus urbis *Cives* (uti refert Pauſanias IX. cap. 19.) *pauci*, *&* *ii* (γῆς δέ εἰσιν οὗτοι κεραμεῖς) *ii figulinam exercent*. Aulis urbs Boeotiae: & Boeotos in Campaniam deveniſſe, ſuadebo, ubi ad *Phratriam Eunoſtidon*, qui Boeoti ſunt, expediendam acceſſero. FECIALIS fit ab αἰκία, converſo ſpiritu in digamma Aeolicum, quemadmodum ab αἴλος, *feles*, ab υἱός *filius*. Aixia autem eſt *damnum*, *contumelia*, *injuria*, cujus rei perſequendae cauſa mittebantur *Feciales*, nomine ex ipſa re, quam gerebant, impoſito: ut triumviri *capitales*, *Monetales* &c. NEPOS componitur ex Νέος παῖς, *novellus filius*, ferme ut Gallicum *Petit fils*. TVRMA quaecumque eſt multitudo, ſic ut cum *Populo* alternet: & ſane quam Cicero Attic. VI. 1. *Turmam ſtatuarum*, Plinius XXXIII. 9. *Populum imaginum* enunciavit. *Turma* autem a Τόρμα fit. Euſtathius Odyſs. Θ· p. 1610. lin. 55. nos docet, Τόρμας a Cretenſibus dictas, qui Δῆμοι (*populi*) vocabantur ab Athenienſibus. CVRIAE etymologia adeo deplorata viſa eſt Voſſio, ut nullam prodere ſuſtinuerit. At ſi reputabitur, quod Romulus, regni militaris conditor, *juventutem* Romanam in triginta *Curias* tribuerit, non temere conjicietur, *Curiam* a Κοῦρος (*adoleſcens*) eſſe repetendam, uti Κοῦροι Ἀχαιῶν, Κοῦροι Βοιώτων, ſunt qui in ea natione militaris erant aetatis. Verum de *Curia* hujus ſignificationis plenius loco ſuo diſſeram.

ſi vox *Frater* a Graecis commodata Latinis, in Latio perennarit, in ipſa tamen Graecia a primo ſuo ſignificatu deſciverit, & aliorſum fuerit traducta.

Animadverſa confirmataque *Phratoris* primaeva notione, prono jam alveo fluit, *Phratriam* nihil aliud denotaſſe, niſi *Fratrum* ipſorum conſanguinitatem & conſpirationem: quemadmodum illa cognatio, quae inter Patres & Filios intercedit, preſſius *Patra* ſive *Patria* vocabatur. Dicaearchus apud Stephanum in v. Πατρά ſic docet: Πατρά μέν . . . . ἐκ τῆς συγγενείας . . . ἐγένετο μάλιστα τῶν γονέων σύν τέκνοις, καὶ τέκνων σύν γονεῦσι. Φρατρία δέ, ἐκ τῆς τῶν ἀδελφῶν. *Patria quidem maxime fiebat ex cognatione parentum cum filiis, & filiorum cum parentibus. Phratria vero ex fratrum cognatione.* Quum inſtitutae nondum fuerant politicae coitiones, prima ac naturalis ſocietas *Patria familia* (οἰκία) fuit, quae univerſa Patris imperio cum plena a reddenda ratione immunitate, regebatur: namque quisque Paterfamilias θεμιστεύει παίδων ἠδ' ἀλόχων (*jura* (4) *dabat natis & uxoribus*), ut hiſce Homeri verbis Ariſtoteles Polit. I. 2. patriam poteſtatem aſſeruit. Qui patriae familiae erant contubernales, ſive ingenui, ſive mercede conducti, vocabantur ὁμοσίπυοι, καὶ ὁμοκάπνοι, eo quod *eodem penu, eodemque foco* uterentur. Ariſtot. ibid. Extincto patre, filii emancipabantur, & unuſquiſque factus ἀνεύθυνος (*nulli obnoxius*), cum ſuis filiis & uxoribus tabernaculum pro ſuo ſtudio ſeorſum a ceteris fratribus tendebat. Nullae tunc erant *Phratriae*, ſive Fraternarum familiarum coitiones, quia unaquaequae familia (οἰκία) ſub patria poteſtate in ſuo heredio honeſte ac ſine periculo adminiſtrabatur.

At poſtquam mortalium nonnullos πλεονεξία (*plus habendi cupiditas*) occupavit, alios momordit invidentia, ſingulares familiae *patriae* amplius in tuto eſſe non poterant; tunc ipſa ratio ſuaſit, ut plures patres-familiae, eodem patre nati, tentoria tuitionis cauſa figerent in vicinia, ut, ſi vis ſibi inferretur, facilius eam collata opera propulſarent. Ariſtoteles l. c. Ἡ δ' ἐκ πλειόνων οἰκιῶν κοινωνία πρώτη χρήσεως ἕνεκεν, μὴ ἐφημέρου, Κώμη. *Societas autem prima ex pluribus domibus ſive familiis conflata, non diurni*

usûs

(4) *Jura* non ſcripta, quae nulla tunc erant, ſed ea quae ſumma ratio, in hominis naturâ inſita dictabat, *quae*, ut inquit Cicero I. de LL. *jubet ea, quae facienda ſunt, probibetque contraria.*

uſûs cauſa, *eſt* (5) *Pagus*. Non diurni uſûs cauſa, inquit Philoſophus; quandoquidem Fratres non eo conſilio conſpirarunt, ut eodem victu diurno focoque uterentur, quemadmodum in *Patriis* facto erat opus, ſed ut unus alteri, ſi vis hoſtilis ingruiſſet, opitularetur. Locus, quem Familiae Fraternae in vicinia occuparunt, Κώμη & Δῆμος (6) dictus eſt; ſed Κοινωνία, ſive ſyſtema Fratrum conſpirantium, *Phratria*, ut ex Dicaearcho paullo ante didicimus. *Pagus* quidem erat vocabulum τοπικὸν (*locale*) ſive geographicum, e ſuo cognomine diſcretum; *Phratria* vero εἰδικὸν (*formale*) ſive genealogicum, deſignabatque genus eorum, qui primi bono rei publicae in ejus pagi ſocietatem convenerunt. Compagani, ii ſcilicet, qui ſub ejuſdem Pagi nomine continebantur, tum *Phratores*, tum *Homogalactes* q. d. Collactanei, reperiuntur vocati. Ariſtoteles l. c. Οὓς καλοῦσί τινες ΟΜΟΓΑΛΑΚΤΑΣ, παῖδάς τε, καὶ παίδων παῖδας, *quos nonnulli vocant Homogalactas*, *& filios*, *& filiorum filios*, queis verbis docemur, non ſolum primos Phratriae conditores, qui reipſa fratres germani fuerant, verum etiam filios & nepotes eodem cognationis gradu fuiſſe cenſitos: namque ὁμογάλακτες iidem ac φράτορες. Philochorus apud Suidam in v. Ὀργεῶνες, ſic docuit: Τοὺς δὲ φράτορας ἐπάναγκες (7) δέχεσθαι καὶ τοὺς ὀργεῶνας, καὶ τοὺς Ὁμογάλακτας, οὓς Γεννήτας καλοῦμεν, *Phratoras neceſſe eſt intelligi Orgeonas*, *& Homogalactas*, *quos Gennetas* (gentiles) *vocamus*. Cum Philochoro concinit Heſychius:

(5) Feſto *Demoe* ſunt Δῆμοι, ut apud eumdem *Ab oloes* redditur *Ab illis*. Sic apud Plautum *Poen.* l.1. *Liroe* i.e. Λῆροι. *Demus* autem Latine ab illo vertitur *Pagus*. Feſtus Livii ſecutus eſt auctoritatem. Hic enim de Athenienſibus, qui κατὰ Δήμους habitabant, loquens, *Pagatim* uſurpat lib. XXXI. 26. & 30.

(6) Locum quo plures familiae convenerant, Graeci, ac maxime Peloponneſii, Κώμην appellabant, at eumdem Athenienſes Δῆμον dicere maluerunt teſte Ariſtot. Poët. cap. 7. Utraque vox ab Oriente profecta, ferme invariata a Graecis retenta fuit. Κώμη deſcendit a קום (*cum*) quod eſt *ſtare*, *conſiſtere*, quaſi dicatur *Statio*: uti a radice אדם (*Adam*) *homo* & אדמה (*adama*) *terra*, fit Δῆμος. Sane Δῆμος utrumque deſignat, tum *populum* ſive *plebem* (qua acceptione alternat cum *Phratria*) tum locum ipſum á populo occupatum. Ceterum utraque vox eodem pertinet, uſuſque erat promiſcui. Etymologus in Ἐπακρία χώρη, refert, Athenienſes habitaſſe Κωμηδὸν, h. e. κατὰ Κώμας, & contra Strabo Achajam in Δήμους diſtributam narrat.

(7) Martorellius pag. 599. merito caſtigat Salmaſium, qui τὸ δέχεσθαι verterat *recipi*; qua hallucinatione ſpiſſam caliginem verbis Suidae luculentis vir immenſae eruditionis offudit. Ita ſane ſe res habet: *Quiſque ſuos patitur manes*.

Digitized by Google

Ὁμογάλακτες οἱ ἐκ τοῦ αὐτοῦ γένους· ἢ οἱ ἀδελφοί. *Homogalaſtes, qui ſunt ejuſdem generis, vel Fratres.*

Hinc facile colligitur, primis illis temporibus locum aliquem nuncupare Κώμην ſive Δῆμον (*Pagum*), perinde fuiſſe, ac inibi ſocietatem *Phratriae* recognoſcere; ac ſane vocabula Δῆμος, Φρατρία & Συγγενεία, *Pagus*, *Phratria*, & *Cognatio*, tamquam ſynonyma habentur a Flavio Joſepho, ut infra (8) oſtendam: praeterea tot in unaquaque regione extitiſſe Phratrias, quot ibi *Demi* ſive *Pagi* numerarentur: adde etiam, quotae *Civitates*; namque poſtea uſus obtinuit, ut plures *Pagi*, non magis tuitionis, quam utilitatis cauſa ſimul una conſpirarent. Id quoque monuit Ariſtoteles: Ἡ δὲ ἐκ πλειόνων Κῶμων κοινωνία τέλειος, Πόλις, *ex pluribus Pagis perfeſta ſocietas, Civitas eſt*. Atque hic major numerus familiarum e variis Pagis foederatarum, ſive in ſuo quaeque Pago conſtitiſſent, ſive univerſae in unum moenium ambitum ſe ſe collegiſſent, *Phratria* non deſiit compellari; & quamquam non omnes forent congeneres familiae; verumtamen univerſitas familiarum, ſive ipſa Civitas, ut *Phratria* eſt habita, non quidem jure ſanguinis, ſed vi politici ſyſtematis, ſic nuncupata, ut id familiare cognomen teſſerae, ut ita dicam, loco foret, quo ſinguli cives de tuenda ſecum, ſovendaque ſocietate, quae neceſſitudinis aemularetur familiaritatem, admonerentur.

Quae modo de Phratriis delibavi, in promptu mihi eſſet, auſtoritatibus & exemplis confirmare; ſed id paullo poſt exſequar; namque praeſtat nunc ea quae Ariſtoteles de primis ſocieta-

ta-

(8) Joſue VII. 17. ubi in noſtro vulgato interprete legitur: *Quae* (Tribus Juda) *cum juxta familias ſuas eſſet oblata, inventa eſt familia Zare*: ibi Graece legitur: Καὶ προσήχθη κατὰ ΔΗΜΟΥΣ, καὶ ἀνεδείχθη ΔΗΜΟΣ ὁ Ζαραΐ. At Joſephus Antiquit. Jud. V. cap. 14. hanc eamdem hiſtoriam de Joſue inveſtigante per ſortes furem devoti anathematis, vocem Hebraicam *Miſphaca*, quam Graeci interpretes verterunt ΔΗΜΟΝ, hanc ipſe reddidit ΦΡΑΤΡΙΑΝ & ΣΥΓΓΕΝΕΙΑΝ; inquit enim: *Jeſus vocato Eleazaro Pontifice, & Magiſtratibus, ſortes* (κατὰ φυλὴν) *per ſingulas tribus mittebat. Haec autem* (ſors) *cum ſcelus in Tribu Judae commiſſum eſſe oſtenderet, rurſus* (κατὰ Φρατρίας) *per cognationes ejus ſors mittebatur. Iſtud autem maleficium revera perpetratum eſſe deprehenſum eſt* (περὶ τὴν Συγγενείαν) *in cognatione Sarachiae*. Ergo Joſephus Hebraeus, ceteroqui Graece callentiſſimus, quum Δήμοις Graecorum interpretum appendat Φρατρίας & Συγγενείας, oſtendit, exploratum ſibi fuiſſe, Δήμους antiquae Graeciae nihil aliud ſignificaſſe, niſi populos plurium domorum, quae ſe propinquitate ſanguinis contingebant.

Digitized by Google

tatibus adumbravit, paullo latius exponere, ſimulque inveſtigare cauſſas, quae impulerint hominem, ut ex *Patra* ſive *Patria*, ubi alioquin is familiam ducens, veluti princeps αὐτόνομος (*ſui juris*) ſuſpiciendus erat, paſſus ſit tranſcribi in *Phratriam*, ibique aequo jure cum aliis ſocialiter vivere praetulerit.

CAPVT II.

De Phratriarum Inſtitutione.

Quasnam ob cauſas Familiae Patriae, *olim ſolitariae, in ſyſtema* Phratriarum, *ſive Fraternarum ſocietatum, convenerint.*

QVae fuerit humani generis facies poſt Phalegicam in diverſas ac diſſitas plagas migrationem, eam depictam intueri licet in iis verſibus Homeri, quibus Cyclopum vivendi ratio exponitur. Namque mihi perſuadeo, Poëtam, qui nuſquam non docet, ſuis carminibus hujuſmodi deſcriptionem inſeruiſſe, non ſolum ut τερατολογίαν (*portentoſam narrationem*) pro more ſuo affectaret, verum etiam ut ſpecimen vitae ſolitariae ac prope belluinae traderet illarum nationum, quae nondum feritatem exuerant. Supra ceteras eminebat natio Cyclopum, quos ita Homerus Odyſs. IX. 112. ſeq. accurate deſcribit:

Τοῖσιν δ' οὔτ' ἀγοραὶ βουληφόροι, οὔτε θέμιστες
Ἀλλ' οἵγ' ὑψηλῶν ὀρέων ναίουσι κάρηνα
Ἐν σπέσσι γλαφυροῖσι· θεμιστεύει δὲ ἕκαστος
Παίδων ἠδ' ἀλόχων, οὐδ' ἀλλήλων ἀλέγουσι.
Iiſdem neque conciones conſiliatrices, neque leges,
Sed ipſi celſorum montium inhabitant vertices
In ſpeluncis cavis. Jus autem unuſquiſque dat
Liberis atque uxoribus: neque ſe invicem curant.

Ex qua Cyclopiae nationis deſcriptione fit manifeſtum, hos homines nullis ſe *legibus* obligaſſe; ignoraſſe *comitia*, in quibus, ſi quid forte expediendum foret, in communi *conſulerent*: patres, ſuae quemque familiae *jura dictaſſe*; & unumquemque, ſibi uni commodum, de aliorum fortuna omnino ſe *praeſtitiſſe negligentem.* Cave ſuſpiceris, Homerum pugnantia ſecum tradidiſſe; quandoquidem Cyclopes modo ἀθεμίστους (*exleges*) deſignat, modo θέμιστας (*leges*) familiis ſuis dictaſſe tradit. Namque facile eſt, has poſi-

Digitized by Google

tiones ad ſpeciem repugnantes , conciliare , ſimul ac animadvertatur , (quemadmodum Euſtathius hoc loco pag. 1617. monuit) Cyclopes , neque ἀριστοκρατικῶς , neque δημοκρατικῶς , neque κοινωνικῶς , h. e. ſine ulla *reipublicae* forma , ac ſine ullo *ſocietatis* vinculo , vitam toleraſſe , eo quod nullae omnino propoſitae ipſis erant leges , quae univerſam Cyclopum nationem in officio continerent ; neque ulla *comitia* aut fora judiciaria , quibus controverſiae expedirentur : at vero quia privatim quiſque pater familias patrium imperium domi exſerebat ſuae , idcirco is recte a Poëta *jura dictaſſe* narratur . Cyclopes igitur (σποράδες) *huc illuc vagantes* , omnem omnino ſocietatem legitimam reſpuebant , ſi diſceſſeris ab ea communione , qua ſimul ad conculcanda jura humanitatis amice conſpirabant . Hanc autem efferatam Cyclopiam victus rationem , nullus puto dubitaverit , communem extitiſſe cum pleriſque humani generis nationibus . Fruſtra equidem forem , ſi in re teſtatiſſima , & poſt Platonem alioſque graviſſimos ſcriptores , qui de ferino vivendi tenore illis temporibus uſitato conqueſti ſunt , unum ea ſuper re adderem verbum . Nunc operae pretium eſt , ut repraeſentem familias illorum hominum erronum , qui principio ſegreges , ut ita dicam , ſtabulabantur ; & mox ſolitariae vitae pertaeſi , & ſecum fraternis animis conſpirantes , *Phratriarum* ſocietates adoptarunt .

Concipiamus animo priſcorum hominum multiplices incertaſque errationes , qui vel ab aliis expulſi , vel excluſi iniquitate loci , vel agrorum ſterilitate confecti , gregatim alias quaerebant ſedes , tutiores uberioreſque . Ubi cuique agmini hominum congenerum e. g. Athenienſium , Achaeorum , Boeotiorum &c. conſiſtere pro opportunitate contigerat , quiſque pater familias explicabat tentoria , ibique cum conjuge natiſque degebat . Hujuſmodi tabernacula Graeci vocarunt *οἰκίας* (*domus*) , quibus familiae cujuſque patris comprehendebantur . Pater univerſae familiae imperabat , curabatque ut omnes ſub iiſdem tentoriis eodem penu eodemque (1) foco uterentur , ut paullo ante monui . Filii porro extincto patre , facti jam ſui juris , cum ſua quiſque prole , totidem *οἰκίας* (*fa-*

(1) H.e. Ἑστία. Hinc Herodoto Ἐπίστιον (Jonice pro Ἐφέστιον) *Familia* eſt. *Athenienſes* (inquit V. 73.) *revocarunt cum Cliſthene* (τὰ ἑπτακόσια ἐπίστια) *ſeptingentas familias* , *quas Cleomenes exegerat* . Hanc profecto ob cauſam contubernales ſub eodem Patrefamiſias conviventes , dicti produntur ab Ariſtotele Ὁμόκαπνοι , *eodem foco utentes* .

(*familias*) quot erant capita, conſtituerunt; qui etſi fratres erant, alii alio ſeparatis rationibus ſuis, palantes ac vagi, ut illa erant tempora, aegre trahebant vitam. Progreſſu temporis multiplicatae ſunt familiae, ſed quo longius aberant a communi ſtipite, eo minus neceſſitudinis inter ſe reliquum fecerant. Itaque quamquam eſſent συγγένεις (*congeneres*), eo tandem ignoratione officiorum neceſſitudinis & humanitatis devenere, ut quaeque familia ſibi praecaveret ab alia, omneſque ſimul inter ſe, veluti globi hoſtiles, reputarentur. Hinc abigeatus, hinc raptus mulierum illa tempeſtate frequentiſſimi: certamina vero ferme quotidiana; & quia nulla ſupererat juſtitiae debita reverentia, illa cum ingenti generis humani contumelia decidebantur; & plerumque fieri ſolebat, ut vim paſſi ab injurioſis mactarentur ad internecionem. Hae violentiae foris calebant; ac domi, hoc eſt in unaquaque familia, non majore ſecuritate dabatur frui: namque plures parricidas, matricidas, fratricidas tota antiquitas deteſtata eſt. Adde hoc etiam, quod earum familiarum tabernacula veluti in hoſtico poſita eſſe videbantur; quocirca continens & perpetua ſollicitudo creabatur contubernalibus, ne ipſi inopinantes oppugnarentur, reſque ſuae ferrentur & agerentur.

Tantis adeoque gravibus calamitatibus, ut aliqua ex parte obviam iretur, optimum factu viſum eſt nonnullis cordatis viris, ſi plures familiae, & maxime congeneres, pridem ſegreges, & exleges, mox certis legibus foederatae, ſimul coirent, unumque conficerent populum, ut plures defenſorum manus facile a ſuis familiis externos aggreſſores repellerent, & propoſitae a legibus poenae domeſticos facinoroſos deterrerent. Saluberrimum ſane conſilium planeque dignum, quod Orpheus, ab Apolline muſicen edoctus, propoſuiſſe, atque admirabili artificio priſcis illis rudibus hominibus perſuaſiſſe tradatur. Ita enim fas eſt interpretari portentoſa illa Poëtarum figmenta, quibus per allegoriam inſinuatur, Orphea pulſando lyram modulandoque manſueſeciſſe feras, pariterque ſylvas & ſaxa in ſui admirationem rapuiſſe. Ergo ubi tum experientia praeteritarum calamitatum, tum auctoritate & perſuaſione Sophorum ſimulque Theologorum, familiis illius aevi probatum eſt, inſtitutiones ſocietatum ad privatam publicamque tranquillitatem maxime conducere; plures familiae, ac praeſertim illae, quae proximiore gradu cognationis ſe ſe mutuo contingerent, una ſimul conjurarunt, ut ἐν περιοικίᾳ (*in vicinia*) ſibi mapalia con-

conſtruerent, unumque conficerent Δῆμον (*populum*). Quod ſalubre conſilium ſecutis mox aliis atque aliis familiis, extemplo viſa eſt omnis natio, quae antea infeſtis animis, rituque belluarum in cavis ſpecubus diverſabantur, diſtributa in *Pagos* vivere ſocialiter. Itaque hoc pacto e ſingulari *Patra*, quae prius obtinuerat, factus eſt gradus ad ſocietatem *Phratriae*, ubi aequo jure & majore cum ſecuritate vivendi dabatur facultas.

Plurimum ſane interfuit diſcriminis inter *Patram* & *Phratriam*, ſeu quod idem valet, inter οἰκίαν, *familiam*, quae a *Patre* ſubſtantiam capit, & Κώμην ſive Δῆμον, plurium nempe familiarum congenerum conſpirationem adhaeſionemque. In *Patra* unus erat, qui ſummo cum imperio, ac citra ullam reddendae rationis obligationem, jura dabat familiae; at in *Phratria*, ſinguli Patres familiarum ſuam auctoritatem in leges, quas ex pacto convento ſibi obſervandas propoſuerant, ſine fraude tamen ſua, contulerunt, (namque non eo uſque ſeſe patres poteſtate exuerunt, ut animadverſione etiam in filios ſibi interdixerint) & effecerunt, ut ἰσονομία (*juris aequabilitas*) ſine ullo Phratorum diſcrimine triumpharet. Tunc primum *Patris imperium*, cui vitae ac necis in ſuos fuerat, ſiluit, & invectum eſt *Democraticum*, ſic utique dictum, quod *Demo*, i. e. *Populo* Phratriae, quae prima exſtitit aequo jure ſocietas, imperium concreditum fuit. Itaque ſi quid publice decernendum ſtatuendumve foret, *Demus* ipſe expediebat; pariterque vim paſſi, ad Populum in comitia collectum, provocabant; & ſi populus in diverſa ſtudia ſcinderetur, conſulti *Seniores*, h. e. Patres familiarum *Phratriae*, ex ordine ſententiam dicebant, & ille, qui omnium rectiſſime judicaſſet, *honorario* cumulatus abibat. Hanc autem antiquam regiminis formam non ſine voluptate contemplari licet in admirando Achillis clypeo ab Homero Iliad. XVIII. v. 497. ſeqq. depictam.

Sed unaquaeque Phratria ejuſdem nationis ſeorſim ab aliis Phratriis adminiſtrabatur, & quemadmodum ſuas quaeque leges, ita Senatum, forum, ſacra habebat peculiaria. Nihil in commune inter ipſas gerebatur; niſi quando publica aliqua neceſſitas vel ad procurandam univerſae nationis tranquillitatem, vel ad ulciſcendam injuriam, omnium *Demorum* animos voluntateſque conjunxiſſet: uti paullo poſt Athenienſium exemplo probabitur.

Jamvero poſtquam experientia comprobatum eſt, Phratriae inſtitutionem bono familiarum proſpere ceſſiſſe, tunc nova ſubiit

co-

Digitized by Google

cogitatio, placuitque *Phratriam*, uti tutius commodiuſque viveretur, efficere numeroſiorem: id quod obtineri facile poterat, ſi plures *Pagi*, h. e. ſi plures Familiae, antea ſeparatim adminiſtratae, in unam civitatem, ac proinde in unam ampliorem *Phratriam* coaleſcerent. Ac profecto: Η' δ' ἐκ ΠΛΕΙΟΝΩΝ ΚΩΜΩΝ κοινωνία ΠΟΛΙΣ τέλειος· ἤ δ' πάσης ἔχουσα πέρας τῆς αὐταρκείας, ὡς ἔπος εἰπεῖν. Ariſtot. Polit. l. 2. *Perfecta autem Societas ex PLVRIBVS PAGIS conflata CIVITAS eſt, quae ad ſummum, ut ita dicam, omnis copiae, bonis omnibus cumulatae, nihilque praeterea requirentis, culmen evaſit.* Πόλις hic non urbis moenia, ſed coetum hominum, eodem jure ſociatorum, quae *Civitas* (2) dicitur, deſignat. Αὐταρκείαν vero idcirco conſecuta Civitas a Philoſopho traditur, quia ubi quamplurimi aequo jure foederati bono publico proſpiciant, curentque, ut artes ad vitae uſum cultumque neceſſariae colantur, nihil ibi ad commode vivendum deſideratur. Igitur majoris tuitionis uberiorisque rerum ad vitam neceſſariarum copiae animadverſio ſuaſit, ut plures *Pagi* conſociarentur, & una *Phratria* confieret; & conſequenter ut eaedem leges, iidem magiſtratus, eademque ſacra publica omnibus ex aequo paterent: itaque factum eſt, ut conſpirantes plurium Pagorum habitatores, non plures, ſed unus idemque populus, ideoque una *Phratria* haberetur: de qua populorum conſenſione, communique, ut ita dicam, germanitate, non externa ſolum, ſed etiam domeſtica exempla tenemus. Livius VIII. 22. de noſtra urbe: *Palaepolis haud procul inde, ubi nunc Neapolis ſita eſt: DVABVS VRBIBVS POPVLVS IDEM habitabat.* Idem prorſus traditur de Syracuſis in Sicilia, & de Contrebia in Hiſpania. Sed ne a Graecia tranſmarina, unde *Phratriarum* incunabula repetenda ſunt, diſcedatur; ea quae modo de pluribus Pagis in unam *Civitatem* & *Phratriam* contributis, antiqua Athenienſium conſtitutione eo confirmatum.

CAP. III.

(2) Sane haec eſt primaria *Civitatis* notio. *Concilia, coetuſque hominum jure ſociati, quae* Civitates *appellantur*. Cic. de *Somn. Scipion.* cap. 3.

Digitized by Google

CAPUT III.

Cecrops I. univerſos Atticae regionis Pagos in IV. Tribus, & in XII. Phratrias, quae totidem ſunt Civitates, diſtribuit.

Pollux, qui Phratriam denominavit Trittyn, *a Salmaſii criminatione purgatur. Thucydides & Strabo, qui Atticam in* Civitates, *& vett. Grammatici, qui in* Phratrias *diviſerunt, idem docuiſſe produntur.* Φρατρία *&* Πόλις *vocabula ſynonyma, ut &* Ἀφρήτωρ, *idem ac* Ἄπολις. *Pollux notatur.*

POſtquam unaquaeque natio in *Pagos* diſtributa degere in aliqua ſocietate coepit, non parum quidem cognatae Familiae in tuenda interna tranquillitate profecerunt; namque cum vires Pagorum ejuſdem nationis ferme eſſent pares, non facile unus Pagus cum altero aeque pollente conſerere manus fuiſſet auſus. At ii Pagi, qui in limitaneis agris, vel in ora maritima erant conſtituti, quiſque per ſe ad arcendos finitimorum hoſtium, vel piratarum incurſus, ſatis eſſe non poterant. Quamobrem cum nulla inter *Pagos*, qui ſeorſum adminiſtrabantur, communio, nullaque ἐπιμαχία (*ſocietas propulſandi hoſtes*) intercederet; ſi qui hoſtes alicunde ingruerent, *Pagus* oppugnatus, & conterraneorum auxilio deſtitutus, facile diripiebatur. Cui malo ut opportunum remedium pararetur, illud omnium praeſentiſſimum viſum eſt, ſi plures Δῆμοι (*Pagi*) in unam rem publicam, h. e. in unam *Civitatem*, ſociarentur, ſeu quod plane idem eſt, ſi ex pluribus *naturalibus* Phratriis una communis ac proinde *politica* Phratria, confieret. Ex quo novo ſocietatis foedere illud conſequebatur, ut ſi quis *Demus* oppugnaretur, tunc *Demi*, qui in eamdem *Phratriam*, ſive Civitatem, relati fuerant, ei ferre ſuppetias tenerentur. Cecrops autem Rex Atticorum, primus hujus ſaluberrimi conſilii auctor, ceteris Graecis ſignum ſuſtuliſſe videtur.

Cecrops igitur, qui Atticam κωμηδὸν (*pagatim*) habitatam reperit, ut in tuto poneret ſingulos Pagos, regionem quidem omnem in IV. Tribus, multitudinem vero Pagorum in XII. πόλεις (*civitates*) diſtribuit, pluribus, ut veroſimillimum paret, Pagis in unamquamque Civitatem contributis. De partitione regionis Atticae in Tribus, a Cecrope facta, res notior eſt, quam ut pro-

Digitized by Google

producendis teſtibus faſtidium creem: conſulatur prae ceteris Meurſius De Rep. Att. I. 7. At quod idem Rex Cecrops populum univerſum in XII. Civitates deſcripſerit, praeſtat audire Strabonem, qui e Philochori narratione ſimul aperit hujus diviſionis occaſionem: Πορθουμένης (inquit lib. IX. p. 397.) τῆς χώρας ἐκ θαλάττης μὲν ὑπὸ τῶν Καρῶν, ἐκ γῆς δὲ ὑπὸ Βοιωτῶν, οὓς ἐκάλουν Ἄονας, Κέκροπα πρῶτον εἰς δυοκαίδεκα πόλεις τὸ πλῆθος συνοικίσαι· *Cum regionem* (Atticam) *Cares a mari, a terra Boeoti, quos vocabant Aonas, popularentur, Cecropem primum in XII. Civitates multitudinem compoſuiſſe*. Scilicet adventantium hoſtium metus a Cecrope expreſſit, ut Atticos, qui antea *pagatim*, ac veluti ἄσπονδοι (*foederis exſortes*) habitabant, in Civitates relatos, h. e. *in coetus hominum jure ſociatorum*, ut *Civitas* a Cicerone definitur, conſcriptos, efficeret ἐνσπόνδους (*foedere conjunctos*).

Sed hîc turbas ciet Pollux, qui quantum ex ejus verbis (1) perſpici poteſt, eumdem Cecropem recognoſcere videtur auctorem diviſionis terrae Atticae in IV. Tribus, & populi in XII. Phratrias. De eodem duodenario *Phratriarum* numero conſentiunt Harpocration, Suidas aliique; verum nullus eorum ullum de XII. *Civitatibus* verbum facit. Quam difficultatem Meurſius Reg. Att. II. 14. & Corſinus Faſt. Att. V. 1. ut declinarent, arbitrati ſunt diviſionem

C Atti-

(1) Pollux lib. VIII. cap. IX. ſegm. 111. Ὅτε μὲν τοι τέσσαρες ἦσαν αἱ φυλαὶ, εἰς τρία μέρη ἑκάστη διῄρητο, καὶ τὸ μέρος τοῦτο, ἐκαλεῖτο Τριττὺς, καὶ Ἔθνος, καὶ Φρατρία. *Cum quatuor eſſent Tribus* (cujus diviſionis auctor fuit probabiliter Cecrops) *in tres partes ſingulae* (Tribus) *dividebantur, & haec pars Trittys, & Ethnos, & Phratria vocabatur*. Idem docent Harpocration & ex eo Suidas in v. Γεννηταί. Salmaſius ad Jus Atticum p. 112. fruſtra ſuadere contendit, alias fuiſſe *Trittyas* a *Phratriis*, & mox p. 116. taxat Pollucem, quod confuderit *Ethnos* cum *Phratria*. Qua reprehenſione contra Pollucem inſtituta, Salmaſius arguitur, nativam *Phratriae* notionem haud penitus fuiſſe aſſecutus. Quatuor erant Tribus; & unaquaequae Tribus diſtributa fuerat in tres Phratrias, quae ductae in quatuor, duodecim conficiunt Phratrias. Pollux III. 52. Φρατρίαι δ' ἦσαν δυοκαίδεκα. At quoniam unaquaeque Phratria erat τὸ τρίτον μέρος τῆς φυλῆς, (ut praeciſe exponitur ab Harpocratione) *tertia pars Tribus*; hinc Phratria idem ſignificabat ac *Trittys*, quippe quae reipſa erat *Triens* Tribûs. Et ſane Τριττὺς uſurpatur ab Aeſchine *contra Cteſiph*. p. 278. pro Φρατρία. Porro *Ethnos* Graece ſaepe idem notat ac Latine *Populus*, qui definitur a Cicerone apud Auguſtinum de Civit. Dei II. 21. *Coetus juris conſenſu, & utilitatis communione ſociatus*. Poſtremo haec eadem Tulliana *Populi*, ſive Civitatis, definitio Pollucem a criminatione Salmaſii abſolvit, quod ille vocabula ſynonyma fecerit, *Ethnos* & *Phratria*.

Digitized by Google

Atticae in IV. *Tribus* & in XII. *Phratrias*, de qua Pollux aliique Grammatici veteres loquuntur, Cecropi hujus nominis Primo eſſe adſcribendam; at illam alteram in *XII. Civitates*, de qua Strabo, ad Cecropem II. eſſe rejiciendam. Ego vero alia omnia ſentio, judicoque Straboni & Polluci unum eumdemque Cecropem I. ante oculos fuiſſe obverſatum: id quod ſi mihi dabitur oſtendere, tunc colligendum fuerit, *XII. Phratrias* Pollucis, idem plane eſſe, ac *XII. Civitates* Strabonianas.

Ac primum ex *Aoniae* mentione facile colligi poteſt, Geographum de Cecrope hujus nominis Primo, rege Atticorum, non de altero cognomine, fuiſſe locutum: namque is, auctore Philochoro, refert, Atticam regionem patuiſſe populationibus Boeotorum, quos *Aonas* vocabant; ſcilicet ut adverteretur, id eo tempore contigiſſe, quando illa regio *Aonia*, non vero *Boeotia*, appellabatur. Sed *Aonia* ab aevo Cadmi tranſnominata fuit *Boeotia*, uti Stephanus in Βοιωτία monet: quin immo prodidit Pauſanias lib. IX. c. 5. *Aonas* ab ipſo Cadmo Boeotiae conditore fuiſſe profligatos. Ergo illa tempora, quibus *Aones* ſtabant incolumes, & Atticam populabantur, cum Cecrope quidem I. qui Cadmo antiquior eſt, componi poſſunt, at vero cum Cecrope II. qui diu poſtea regnavit, non item. His adde, quod Homerus aſſiduus antiquitatis affectator ſaepe *Boeotiae*, numquam meminit *Aoniae*: id quod indicio eſt, *Aoniae* denominationem jamdudum obſoleviſſe, aetate certe Cecropis II. a nemine ad hiſtoricae veritatis fidem potuiſſe uſurpari.

Praeterea Strabo, qui docuit, Atticam fuiſſe a Cecrope in XII. Πόλεις diviſam, Thucydidem ſecutus eſt auctorem: qui graviſſimus hiſtoricus haec de reipub. Athenienſis forma, quae a Cecrope obtinuit ad Theſeum, exponit Lib. I. Edit. Steph. p. 54. Επὶ γάρ Κέκροπος, καὶ πρώτων βασιλέων ἡ Α'ττικὴ εἰς Θησέα ἀεὶ ΚΑΤΑ ΠΟΛΕΙΣ ᾠκεῖτο &c. *Sub Cecrope, & primis ad Theſeum regibus ſemper Attica OPPIDATIM habitabatur, Curias habens & Magiſtratus: & cum nihil timerent, ad Regem non conveniebant* (de republ.) *conſultaturi; ſed per ſe quique adminiſtrabant atque conſultabant*. Hic procul dubio Thucydides diviſionem Atticae in Πόλεις (*Civitates*) antiquiori Cecropi adſcribit, qui ſi eam Cecropi II. qui a primo Rege Cecrope ſeptimus numeratur, adjudicaſſet, fruſtra haec verba uſurpaſſet, *ſub Cecrope & primis Regibus uſque ad Theſeum*: namque Reges, qui poſt Cecropem II. regnarunt (qui duo haud amplius exſtiterunt, nempe Pandion II. & Aegeus Theſei

ſei pater), habita ratione aetatis Theſei, dici non potuiſſent *primi* reges, ſed potius *poſtremi*. Quum autem Hiſtoricus diviſionem Atticae in *Civitates* obtinuiſſe prodat *a Cecrope & primis Regibus uſque ad Theſeum*, longam is temporum intercapedinem inſinuat, quanta ſcilicet a Cecrope Primo Atticorum Rege excurrit ad Theſeum, qui Rex decimus fuit: ideo autem ea epocha uſque ad Theſeum perducitur, quia is heros novam reipubl. formam induxit, effecitque, ut univerſa Attica ex XII. Civitatibus ad unam omnino redigeretur, & unus unius Civitatis populus evaderet; ut poſtea loco ſuo exponam. Jamvero a Thucydide & Strabone edoctus videtur etiam Etymologus, qui in v. Ἐπακρία χώρα, haec in eamdem ſententiam tradidit: *Athenienſes olim* (Κωμηδόν) *Pagatim habitantes, primus Cecrops collectos Civitatibus XII. habitare fecit*. Idem omnino docet Stephanus in eadem voce.

His igitur animadverſis, collatiſque ſimul Thucydide, Strabone, & Etymologo, nullus, puto, relinquitur dubitationi locus, quin Cecrops I. qui Atticam reperit *pagatim* habitatam, eam in *XII. Civitates* diſtribuerit. Sed Meurſius & Corſinus ultro fatentur, Atticam in *IV. Tribus*, ac *XII. Phratrias* fuiſſe a Cecrope I. diviſam; neceſſario inde conſequitur, unum eumdemque Cecropem & quidem hujus nominis Primum, utrique operi vacaſſe, ac idem ſignificaſſe *Phratriam* ac *Civitatem*; eoque magis, quod Thucydides ac Strabo, qui *Civitates* Cecropias memorant, nullum de *Phratriis* verbum faciunt: contra Grammatici veteres, veluti *Civitatum* obliti, in enunciandis ac deſcribendis *Phratriis* ſolummodo diſtinentur. Jam per ſe quiſque facile intelliget, quamobrem Cecrops univerſos Atticae Pagos tribuiſſet in *XII. Civitates*: ea nempe providentia, ut in quemcumque Pagum vis hoſtilis feciſſet impreſſionem, Compagi ſive ii Pagi, qui in unam eamdemque Civitatem fuerant contributi, excipere promptius hoſtes, & propulſare valerent. Scilicet haec eſt illa αὐτάρκεια, ſeu *facultas ſibi ſufficiendi*, quam Ariſtoteles in *Civitate* recognovit. Hinc mihi facultas judicandi datur, Philoſophum, cum *CIVITATEM* definit eſſe *PLURIUM PAGORUM COMMUNIONEM* ex egregio Cecropis inſtituto profeciſſe. Πόλις ergo hujus loci non peculiare oppidum deſignat munitionibus inſtructum, ſed ipſam Civium ſociatorum *multitudinem*, unde ipſi ex vero adhaeſit nomen Πόλις, ut Etymologus docet. Apud Latinos quoque *Pagus* (Δῆμος), & *Civitas* (Πόλις) eadem pollent ſignificatione. Legi digna ſunt,

 quae

Digitized by Google

quae Rupertus V. Cl. ad Salluſtii Bell. Catilin. cap. XLII. ubi de Allobrogum *Civitate*, adnotavit (2).

XII. Πόλεις ſive Civitates, in quas Cecrops univerſos Atticae Pagos contribuerat, partite numerantur a Strabone loc.cit. *Cecropia, Tetrapolis, Epacria, Decelea, Eleuſis, Aphydna, Thoricus, Brauron, Cytherus, Sphettus, Cephiſia, Phalerus*. Quae XII. urbes totidem olim fuerant Pagi, ſed ſupra ceteros memorandi, eo quod ibi, uti ex Thucydide eruitur, habebantur *Curiae*, & *Magiſtratus*, qui jus dicerent, praeſto erant. Et ſane ex hiſce XII. Civitatibus Strabonianis novem poſtremae a veteribus Grammaticis explicate inter Δήμους (*Pagos*) referuntur: ſed hi Pagi re ipſa ad frequentiam urbium devenerunt, quia ſtabilitis illic Comitiis, & Magiſtratibus, multitudo paganorum experiundi ſui juris cauſa illuc confluentium, XII. Pagos ad juſtarum urbium frequentiam redegerat. Igitur ante Cecropis conſtitutionem quot Pagi ſingulares, & ſeorſum adminiſtrati erant, totidem conficiebant *Phratrias*, & quidem *naturales*, quippe quae ex congeneribus familiis coaluerant; atque inde quot in ſingulis hujuſmodi Phratriis cenſebantur ca-

(2) *Vocabulum* CIVITAS *hoc loco non ſignificat oppidum vel urbem, ſed qua notione ſemper accipitur in Comment. Belli Gallici Julii Caeſaris, ubi legimus* Aeduorum, Rhemorum, Bellovacorum, Arvernorum &c. Civitates: *quibus in locis, civitas non eſt urbs una moenibus cincta, ſed* una aliqua gens quantumvis numeroſa, & quae ſub ſe multa oppida habet. *Atque ita Salluſtius hoc loco, omnem Allobrogum gentem, nomine* civitatis *comprehendit. Nec vero in notitia Provinciarum Galliae*, Civitas *aliter accipitur, niſi quia eae anguſtioribus finibus aliquando terminantur: ut Civitas Carnutium, Civitas Aurelianorum. Poſtremo ſic hodie quoque τοῦ πολιτεύματος Helvetiorum tredecim civitates ſunt, quarum aliae oppida ſub ſe habent, aliae vicos. Civitas Tigurinorum, Civitas Bernenſium, eſt univerſa ditio earum nobiliſſimarum rerum publicarum, non una urbs Tigurum, aut Berna, ſicut praeter alios docet Joſ. Scaliger animadv. in Chronicon Hieronymi, num. 1890. ad illum locum:* Arverni, nobiliſſima urbs Galliarum capta. *Idem Scaliger in Auſonianis lectionibus lib. I. cap. 13. vocabuli quoque* Pagi *eamdem fere ſignificationem tradit.* Late *enim, inquit,* patet Pagi appellatio, ut & Civitatis. *Sic in vett. monumentis Chriſtianorum martyrum ſemper legitur:* Pagus Velaunus, *hoc eſt, tota praepoſitura Velaunorum, &* Pagus Gabulus, *ſic & de aliis. Unde Gallica lingua retinuit, ſed corrumpit more ſuo: Dicit enim* Pays &c. *Pleraque Gallia olim non ſolum per civitates, ſed & per pagos habitabatur. Sic apud Plinium* Pagus Geſſoriacus, *intelligitur non de uno vico, ſed de magno modo agri, atque adeo de una gente, quantumvis numeroſa.*

capita, totidem inter ſe jure merito compellabantur *Phratores* (3) & *Homogalactes*. At poſtquam plures diverſi Pagi in unam Civitatem coiverunt, una facta (4) eſt *Phratria*, quam diſcriminis cauſa placet appellare *Politicam*, quae non jure ſanguinis, ſed omnino ex conſtitutione politica capiebat ſubſtantiam. Atque haec *Phratriae politicae* denominatio, quae fraternam ſocietatem deſignat, adeo ſecutis temporibus placuit in pretioque fuit, ut Populi foederati, etſi diverſi caeli oriſque forent, quia tamen eadem pacis bellique tempora fide integra obſervabant, ſe ſe mutuo *Fratres* vocarent, & inſcriberent. Eo quidem ſenſu Senatus Rom. Aeduos, Galliae populum, *Fratres & Conſanguineos* appellavit, uti refert Caeſar Bel. Gal. l. I. c. 33. Ita pariter urbes Graecae populos foederatos ſalutabant ἀδελφοὺς (*fratres*): de qua politica *germanitate*, ſeu quod idem valet *Phratria*, vide omnino, quae Spanhemius Diſſert. IX. de V. & P. numiſm. eruditiſſime diſſeruit. Ὁμαιμία quoque, ſive *conſanguinitas*, agnoſcebatur a Graecis inter populos foederatos: etſi Pollux hoc compoſitum a proſa oratione abjudicat,

(3) Inter alias Gentes, quas ſollicitavit Cyrus, ut ab Aſtyage deſciſcerent, hae memorantur ab Herodoto I. 125. *Arteatae*, *Perſae*, *Paſargadae*, *Maraphii*, *Maſpii*. *Sed horum Paſargadae ſunt praeſtantiſſimi*: (ἐν τοῖσι ϗ Ἀχαιμενίδαι εἰσὶ ΦΗΤΡΗ, ἔνθεν οἱ Βασιλέες Περσεΐδαι γεγόνασι) *in quibus & Achaemenidae ſunt PHRATRIA, unde Reges Perſidae ſunt oriundi*. Tribus igitur Paſargadarum pluribus conſtabant Phratriis naturalibus, quae ab uno progenitore deductae in gentes magnas excreverant; cujuſmodi erant *Achaemenidae*; quae progenies, utpote a primo auctore gentis *Achaemene* propagata, idcirco *Phratria* ab Herodoto vocatur: quae vox *Phratria* perperam hic a Valla redditur *Sodalitium*. Φρήτρη Jonice pro communi Φρατρία. Latini quoque graeciſſantes *Phetra*, & *Phetrium* uſurparunt. Grut. CCXIV. & CCCCVIII. 6.

(4) Quod *Phratriae* ex pluribus Δήμοις (*Pagis*) coaluerint, haud difficulter ex Aeſchine demonſtrari poteſt. Hic enim in *Orat. de Falſa Legat.* p. 266. ubi ſe a contumeliis contra genus ſuum a Demoſthene jactatis purgaret, *Atrometum*, inquit, patrem ſuum (ἐκ Φρατρίας τὸ γένος, ἣ τῶν αὐτῶν Βωμῶν Ἐτεοβουτάδαις μετέχει, ὅθεν ἡ τῆς Ἀθηνᾶς τῆς Πολιάδος ἐστὶν ἱέρεια) *genus ex ea Phratria, quae aras cum Eteobutadis, unde Minervae Poliadis ſacrifica deligitur, communes habet*. Eteobutadarum gens erat Patricia, unde Minervae Poliadis Flaminica eligebatur; ſed ſimul erat (Δῆμος) *Pagus* cognomine *Eteobutadarum*, ex Tribu Aegeide, vel ut aliis placet, Oeneide. At ſi Atrometus e Pago Eteobutadarum extitiſſet; Demoſthenes hoc ipſum recte, ac ſine ulla circuitione expoſuiſſet: nunc vero cum dicat, patrem ſuum ex ea Phratria repetere genus, quae aras communes habebat cum Pago Eteobutadarum, oſtendit, tum Pagum ſui patris, tum Pagum Eteobutadarum in unam eamdemque Phratriam fuiſſe contributos.

Digitized by Google

dat, & poëtis, non ſatis accurate (5), adſcribit.

Phratriae, ut rem totam paucis expediam, ab origine e congeneribus familiis conſtabant; at poſtquam plures hujuſmodi Phratriae in unam civitatis formulam conſpirarunt, factaque eſt una omnino Phratria, quae proinde a *multitudine* dicta eſt Πόλις (*civitas*); tunc uſu venit, ut Φρατρία & Πόλις aeque valerent: id quod tum ex comparatis Thucydide ac Strabone cum Polluce aliiſque vett. Grammaticis paullo ante oſtendi; tum etiam ex eo fit palam, quod ἀφρήτωρ i. e. *exſors phratriae*, idem ſonat ac ἄπολις i. e. *civitate exutus*. Homerus uſus eſt compoſito ἀφρήτωρ in illo decantato verſu *63*. Iliad. X.

Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος &c.

Exſors Phratriae, exlex, ſine lare eſt ille &c.

Horribile carmen hoc eſt, dirarumque plenum: quo quia Tragici Poetae ſaepenumero uſi ſunt; idcirco Diogenes Cynicus apud Laërtium VI. ſegm. 38. queri ſolebat, *Tragicas imprecationes ſibi occurriſſe: eſſe enim* (ἄπολιν, ἄοικον) *ſine civitate, ſine laribus*. Caecutiat oportet, qui non advertat, Tragicos poëtas fuiſſe imitatos Homerum, niſi quod ipſi Homericis compoſitis ἀφρήτωρ & ἀνέστιος compoſita aeque pollentia ἄπολις & ἄοικος ſubſtituerunt. In ſequentibus oſtendam, XII. Atticae regionis Civitatibus ad unam Civitatem a Theſeo redactis, Atticos univerſos evaſiſſe Συμφράτορας, h. e. *unius ejuſdemque Civitatis municipes*.

CA-

(5) Pollux III. ſegm. 23. Οἱ δὲ ΣΥΝΑΙΜΟΙ, ἰδιωτῶν· ὥσπερ καὶ ΟΜΑΙΜΟΙ (ut in MS. Jungermanni legitur) ποιητικόν. *Synaemi, vulgare* (vocabulum) *eſt, ſicut & Omaemi* (conſanguinei), *poëticum*. Sed hoc poſtremo compoſito utitur Herodotus l. 151. Inſulares (inquit) quinque Civitates Leſbum colunt: *Sextam enim Ariſbam Metymnaei ſibi ſubjecerunt* (καὶ ἐόντας ὁμαίμους) *licet conſanguineos*. Qui locus Herodoti procul dubio diligentiam Pollucis fugiſſe videtur.

Digitized by Google

CAPVT IV.

De XXX. Gentibus in unamquamque Phratriam adſcriptis, earumque Gennetis.

Pollucis locus confirmatur. Suidas ex Aelio Dionyſio emendatus. Corſinus a nota oblivionis purgatur. Vox Eteobutadae, *inſtar vocis Homericae* Eteocretes, *compoſita.*

CVm Attica regio *κωμηδὸν* (*pagatim*), ac ſine ulla communi ſocietate habitabatur, nullum erat natalium inter paganos diſcrimen, omneſque vel colendae terrae, vel iis artibus, quibus aegre poteſt humana vita carere, operam dabant. Quae tempora reſpiciens Moeris Atticiſta in v. Γεννηταὶ, refert, antiquos Athenienſes, h. e. qui erant Attici nominis, fuiſſe Ἀγροικοὺς καὶ Δημιουργοὺς, *ruſticos & opifices*. Ariſtoteles Polit. VII. cap. 10. praefatus e ſententia virorum prudentum, Civitatem eſſe oportere diſtinctam ac diſtributam κατὰ γένη, τὸ μάχιμον καὶ τὸ γεωργοῦν (*in gentes, militares & ruſticas*), paullo poſt inquit, ὁ δὲ χωρισμὸς ὁ κατὰ γένη τοῦ πολιτικοῦ συστήματος ἐξ Αἰγύπτου (*multitudinis civilis per gentes diſtributio ex Aegypto*). Cecrops autem origine, ut fertur, Aegyptius, eamdem politiae formam in ordinando Attico populo ſectatus eſt: ac proinde is, qui populos ruſticos, idiotas, & ſine ullo ſociali foedere, ſine lege Connubiorum (1) conjunctos repererat, eoſque conſcripſerat in XII. Phratrias, veluti totidem Aegypti *Nomos*, h. e. Praefecturas; operae pretium ſe facturum arbitratus eſt, ſi populum in claſſes divideret, & aliquot e ſingulis Pagis Gentes, a certis parentibus procreatas, opibus vel quo alio titulo conſpicuas, ſelegiſſet, uti cum iis regni curas divideret; quod ille conſilium exſecutus eſt. Ad hanc autem alteram Atticorum conditionem

(1) Atticos olim *agreſti more ſparſimque vixiſſe*, e Philochoro prodidit Stephanus in v. Ἄστυ. Vt ergo vagae cohiberentur veneres, pariterque dignoſcerentur natorum parentes, Cecrops ille primus fuit, qui lege ſanxit, ut μία ἑνὶ (*una uni*) adhaereret. Athenaeus initio lib. XIII. Cujus providentiſſimae legis memoria ne umquam aboleretur, Athenienſes in nummis expreſſere ſuis figuram bifrontem, quae hinc *virilem*, & hinc *muliebrem* faciem repraeſentat. Vide Haymi Theſaurum Britann. Parte I. p. 159. Ac mihi videtur, Cecrops eo conſilio *Gennetas* i. e. ingenuos a reliquo ſecreviſſe vulgo, atque ad rempubl. gerendam admoviſſe, ut ſui cives hiſce praerogativis ineſcati, promptius legi connubiali gererent morem.

Digitized by Google

nem ſpectat locus Pollucis lib. VIII. ſeg. 111., ubi de Phratriis agens, has civium claſſes enumerat, Εὐπατριδῶν, Γεωμόρων, Δημιουργῶν, *Ingenuorum*, *Agricolarum*, *Opificum*. Cecrops igitur ex multitudine hominum antea indiſcreta, *CCCLX. Gentes* ſelegit, & aeque in unamquamque Phratriam diſtribuit, effecitque, ut ex iis *Gentibus* procreati, privatim honoris cauſa *Gennetae* i.e. *Gentiles*, ſeu *ingenuo patre nati*, vocarentur, & rem publ. Phratriarum adminiſtrarent. Sed age iſtarum Gentium *ingenuarum* numerum, aequalemque in ſingulis Phratriis partitionem, & munera propius intueamur.

Pollux III. ſegm. 52. Φρατρίαι δ' ἦσαν δυοκαίδεκα· ϗ ἐν ἑκάστῃ Γένη τριάκοντα, ἕκαστον ἐκ τριάκοντα ἀνδρῶν· ἐκαλοῦντο δὲ οὗτοι ϗ Ὁμογάλακτες, ϗ Ὀργεῶνες. *Phratriae erant XII. & in ſingulis Gentes XXX. ſingulae Viris XXX. conſtabant. Hi tum Homogalactes*, (Collactanei) *tum vocabantur Orgeones* (ſacrificuli). In eamdem ſententiam loquuntur & alii non pauci. Suidas verba ipſa Harpocrationis uſurpans in v. Γεννῆται, inquit: Πάλιν δὲ τῶν Φρατριῶν ἑκάστη εἰς Γένη διῄρητο τριάκοντα. *Rurſus unaquaeque Phratria in XXX. Gentes erat diſtributa*: is paullo ante adnotarat, Γένος ἔχει ἀνδράς λ. *Gens habet XXX. Viros*. Idem inculcat Aelius Dionyſius apud Euſtathium Il. B. pag. 239. Ἔχει δὲ τὸ μὲν Γένος ἀνδράς τριάκοντα· ἑκάστη δὲ Φρατρία, εἴτουν Τριττύς, Γένη τριάκοντα. *Gens quidem continet XXX. Viros; ſed unaquaeque Phratria, ſive Trittys* (2), *Gentes XXX.* Quae tot perſpicua adeoque conſonantia veterum Grammaticorum ea ſuper re teſtimonia nos plane certos faciunt, Codicem MS. Jungermanni (3), ubi Pollucis locus, ſecus ac modo a me relatus eſt, fuiſſe

(2) *Trittys* idem ſignificat ac Phratria. Vide dicta adnot. 1. Capitis praeced.

(3) In Codice MS. Jungermanni, ut e Pollucis editione Wetſteniana anni 1706. intellexi, pro genuina lectione ϗ ἐν ἑκάστῃ γένη τριάκοντα, ἕκαστον ἐκ τριάκοντα ἀνδρῶν, ſubſtituitur haec altera contractior, ϗ ἐν ἑκάστῃ γένη τριάκοντα ἀνδρῶν. Sed tot idoneis teſtibus contra vociferantibus, liquet Scriptorem hujus codicis eſſe redarguendum indiligentiae: quippe qui deſcripturus primum τριάκοντα (namque alterum mox pone ſequitur) dextrorſum retorquendo oculos, ſecundum τριάκοντα excepit, ea quae in medio erant, ſecure tranſiliens. Ceterum hujuſmodi librariorum hallucinationes non paucae deprehenſae ſunt a Criticis; ut in illo celebertimo loco Epiſtolae I. B. Joannis Cap. V. ubi Comma ſeptimum *Tres ſunt, qui* &c. in pleriſque Codicibus deeſt; quia Comma octavum ſimiliter incipiens, *Tres ſunt, qui* &c. fucum fecerat librario, ne deſcriberet.

Digitized by Google

ſe depravatum, ac praeterea minime dubitandum eſſe, quin in ſingulis Phratriis exſtiterint numeratae *Gentes* XXX. & ſingulis Gentibus *Viri* omnino XXX. quotannis ſelecti, qui munia ſuae Genti & Phratriae attributa, exſequerentur : ut paullo poſt oſtendam. Γένος hîc non *οἰκίαν* ſeu *familiam* (4) ſingularem, ſed *gentem* denotat in plures familias pullulantem; quocirca haud eſt mirandum, ſi ſingulae Gentes Atticae *Viros triginta* ſuppeditarent; quum conſtet, *trecentos Fabios* ex una gente ſatos in aciem prodiiſſe.

Triginta quidem Gentes in unamquamque Phratriam fuerant adſcriptae; at vero in univerſis XII. Phratriis Gentes CCCLX. numerabantur. Ergo Attica regio in IV. Tribus, & in Phratrias XII. diſtributa, CCCLX. Gentibus conſtabat. Quae contemplatio numerorum *Tribuum*, *Phratriarum*, & *Gentium*, ſuggeſſit nonnullis male feriatis anſam opinandi, eam diſtributionem fuiſſe conſulto procuratam, ad anni ſcilicet per IV. tempora, per XII. menſes, & per CCCLX. dies volventis imaginem (5). Similem ferme ludum mihi luſiſſe videntur, qui digitos ſtatuae Jani (de qua Pli-

D nius

(4) Etſi Γένος (*Gens*) & *οἰκία* (*Familia*) interdum alternent, unaque vox pro altera accipiatur; proprietate tamen ſignificationis differunt : & Γένος quidem denotat *Gentem* pluribus familiis abundantem, (vide mox adnot. 6.) & Οἰκία ſingularem *Familiam* : ut in decreto Amphictyonum contra Phocaeenſes, quibus, ut omnis ad conſpirandum facultas amputaretur, imperatum fuit, ut urbibus Phocidis ſolo aequatis, in pagoſque redactis, *Unuſquiſque Pagus plus quinquaginta* (*οἰκίας*) *domus non habeat*. Diod. Sicul. lib. XVI. p.542. ubi *οἰκίαι* procul dubio ſunt *domus* ſive ſingulares *familiae*.

(5) Ex CCCLX. Gentium Atticarum numero cerebroſi Grammatici collegerunt, appoſite eum numerum Gentium fuiſſe obſervatum, ut is dierum anni numerum aequaret. Aelius Dionyſius apud Euſtathium Iliad. B. p.239. *Καθάπερ ἡμέραι τριακόσιαι ἑξήκοντα* (*quemadmodum trecenti ſexaginta dies ſunt*). Re quidem vera vetus annus Atticorum hunc dierum numerum haud excedebat. Aelium ſecutus eſt auctorem Suidas in v. *Γεννῆται*, niſi quod hodie apud Suidam non dies τξ' (*trecenti ſexaginta*) ſed τξ'ε' (*trecenti ſexaginta quinque*) depinguntur. At vero cui magis fidendum, Dionyſio an hodiernae lectioni Suidae? Procul dubio major illi adjungenda fides eſt; non ſolum quia hic illum ſecutus eſt auctorem deſcripſitque; verum etiam quia apud Dionyſium ut ab Euſtathio refertur, numerus dierum *ὁλογράφεται* (*integris litteris exaratur*), contra apud Suidam per litteras depingitur arithmeticas, in quibus pronior eſſe ſolet aberratio. Utinam hic Dionyſii locus apud Euſtathium compertus fuiſſet clariſſimis viris Mauſſaco & Kuſtero; profecto neque ille ad Harpocrationem in v. *Γεννῆται* ſibi τὰ πρωτεῖα deferri poſtulaſſet, eo quod *primus* litterulam illam poſtremam ε ex Suidae codice profligarat; neque hic Suidam ex Aelio Dionyſio in ſua elegantiſſima Cantabrigienſi Editione emendare dubitaſſet.

Digitized by Google

nius XXXIV. 7.) argutabantur, ita ab artifice digeſtos fuiſſe conformatoſque, ut totius anni dies deſignarent.

Poſtremo quaenam fuerint harum numeratarum *Gentium* nomina, quis deperditis tot veterum Scriptorum de repub. Athenienſi monumentis, in numerato habere ſperaverit? Paucae admodum ex his recenſentur a Sigonio de Rep. Athen.II. 2. uti nimirum ſunt *Alcmaeonidae*, *Brytiadae* (6), *Eteobutadae*, *Charonidae*, *Ceryces*, *Eumolpidae*, *Eunidae*, *Phytalidae*, *Praxiergidae*, *Phylidae*, *Cynidae*. Attamen audeo dicere, non ſine aliqua veriſimilitudinis ſpecie, nonnullas alias Gentes, praeter enumeratas a Sigonio, ſuperfuiſſe in nominibus *Demorum* Atticorum, quorum pleroſque Sigonius, Meurſius, Corſinus, aliique protulerunt in lucem. Pauſanias init. Boeot. lib. IX. *Boeoti .... a Boeoto nomen acceperunt .... Oppidatim nomina multa a viris, ſed a faeminis plura nacti ſunt*. Quidni Atticis *Demis* idem uſuveniſſe dicamus? Equidem ſic ſentio, plures *Demos* Atticos, praeſertim eos qui in patronymici formam exeunt, uti ſunt *Daedalidae*, *Cothocidae*, *Cydantidae*, *Butadae*, *Poeonidae*, *Perithoedae* &c. denominationem accepiſſe ab illuſtri aliquo patreſamilias, qui fixis ibi laribus, nomen tum nepotibus, tum colonis, qui eodem habitatum convenerant, commodarit ſuum. Id exemplo *Butadarum* fit manifeſtum: quo nomine non ſolum germani *Butae* nepotes, ſed etiam coloni cujuſdam *Demi* cognominis in Tribu Oeneide, veniebant: niſi quod poſtea, ac facile ſub Piſiſtratidis, cum primum Homeri carmina ingenti cum voluptate Athenienſium auribus inſo-

(6) Scriptor Th. Calam. pag. 597. indicta cauſa *Brytiadas* ex albo Familiarum expungit, & transfert in laterculum *Pagorum*: praeterea arguit oblivionis Corſinum, eo quod in cenſum *Demorum* omiſerit *Brytiadas*: ſed quod gravius eſſe reor, in ſuae opinionis patrocinium adſciſcit Demoſthenem, lectoremque amandat ad pag. 525. Orationis in Neaeram. Atqui Orator meminit quidem *Brytiadarum*, uti *Gentis*, neutiquam uti *Demi* ſive Pagi. Verum nullus dubito, quin Scriptor noſter eruditiſſimus, ſi in hujus orationis paginam pone ſequentem h. e. pag. 526. (ubi Gennetae *Brytiadarum* ſe e variis Demis eſſe profitentur), conjeciſſet oculos, confeſtim ſuam ſententiam ejuraſſet. Locus Demoſthenis laudatus ita ſe habet. *Timoſtratus Cephalenſis, Xantippus Euriades* (corrige *Froeades*), *Eulabes Phalereus, Anytus Laciades, Euphranor Aegilienſis, Nicippus Cephalenſis, teſtantur, & ſe, & Phraſtorem Aegilienſem eſſe* (τῶν Γεννητῶν, οἱ καλοῦνται Βρυτιάδαι) *e Gennetis, qui vocantur Brytiadae*. Vnde diſces, Brytiadas non Δῆμον unum compoſuiſſe, ſed Gentem fuiſſe in plures Demos variarum Tribuum propagatam.

Digitized by Google

ſonuerunt, *Butadae*, γνήσιοι (*veri*) Butae nepotes, ut a convenis *Butadis* ejuſdemque *Demi* municipibus, diſcernerentur, imitatione plane Homerica (7), ſunt *Eteobutadae* compellati.

Sed ad ſingularum Phratriarum Gentes XXX. redeo. Qui ex hiſce numeratis Gentibus procreati erant, Γεννῆται vocabantur. Quamquam *Gennetae* ex vi ſui nominis quoſcumque συγγενέας (*congeneres*) deſignent, ut reipſa Iſaeum ea notione uſurpaſſe refert Harpocration; tamen preſſius illi veniebant, οἱ ἐξ ἀρχῆς εἰς τὰ καλούμενα Γένη κατανεμηθέντες (*qui ab initio in eas, quae Gentes vocabantur, fuerunt diſtributi*). Neque ſecus *Gennetae* definiuntur a Suida: Οἱ ἐκ τοῦ αὐτοῦ καὶ πρώτου Γένους τῶν τριάκοντα Γενῶν, *Qui ſunt ex ipſa & primigenia Gente inter triginta Gentes conſcripta*. De iiſdem *Gennetis* loquitur Pollux l. c. ἐκαλοῦντο δὲ οὗτοι καὶ ὁμογάλακτες, καὶ Ὀργεῶνες, *vocabantur & hi Homagalactes* (collactanei) *& Orgeones*. Sed & Philochorus apud Suidam, cujus verba ſupra retuli Cap. I. p. *9*. ſynonyma vocabula facit *Phratores*, *Homagalactes*, *Orgeones*, *Gennetae*. Verum enimvero XXX. Viri ex totidem diſtinctis Gentibus collecti, quamquam nulla ſe cognatione contingerent, tamen quia ad eamdem pertinebant Phratriam, unumque ſyſtema componebant, idcirco omnes ex aequo veluti ex eadem proſapia geniti, re tamen ipſa οὐδὲν ἀφ' αἵματος (ut inquit Moeris Atticiſta in Γεννηταί) ἀλλ' ἀπὸ τοῦ πολιτικοῦ συστήματος (*non jure ſanguinis*, *ſed vi politici ſyſtematis*), vocabantur *Gennetae*. Euſtathius quoque Iliad. B. p. 239. in hiſce *Gennetis* dignovit Σύστημα κοινωνικόν (*Corpus ſociale*), & paullo poſt, eoſdem *Gennetas*, praeter nonnullos alios corporatos, teſta-

 tur,

(7) *Butes*, unde *Butadae*, ſacerdotium familiare poſſidebat (Harpocration in ea voce) quod manifeſto indicio eſt, ut cap. ſeq. oſtendam, gentem *Butadarum* inter XXX. Gentes fuiſſe numeratam. Praeterea ex eadem gente eligebatur Flaminica ſive ſacerdos Minervae Poliadis. Aeſchines de *Falſa legatione* extrema pag. 266. Sed *Butadae* appellabantur etiam Δημόται (*populares*) *Demi* cognominis. Igitur γνήσιοι Butadae, οἱ ἀπόγονοι ſcilicet τοῦ Βούτου, *nepotes Butae*, ut diſcriminarentur a *Butadis popularibus*, cognominati ſunt *Eteobutadae*, utique ad imitationem Homeri, qui Odyſs. T. v. 176. vocat *Eteocretas* i. e. veros Cretenſes, illos nimirum, qui indigenae fuerant inſulae Cretae, ad eorum Cretenſium diſcrimen, qui poſtea in inſulam, ut advenae, ſupervenerunt. Vide ibi Euſtathium, qui pag. 1861. haec ad rem noſtram apprime facientia ſubtexuit, Δῆλον δὲ ὡς πρὸς ὁμοιότητα τοῦ Ἐτεόκρητες καὶ οἱ Ἐτεοβουτάδαι συντίθενται, *Manifeſtum eſt ad ſimilitudinem Eteocretum compoſitum fuiſſe vocabulum Eteobutadae*.

tur, *νόμῳ τινὶ ἔχοντας κοινωνίαν* (*legitimam habuiſſe ſocietatem*): Itaque *Gennetae* in ſingulis Phratriis conſtituebant Claſſem, a reliquo vulgo diſcretam; ac veluti ex eodem patre nati, vocabantur *Phratores*, & *Homogalactes*.

Hactenus quid novi Cecrops intulerit in Atticam, propalam expoſui; ac primum oſtendi, numeroſos hujus nationis *Demos* ſive Pagos, antea ſeorſum ab aliis agentes, a Cecrope in *XII. Phratrias* ſive Civitates, ubi Fora & Conciliabula & Sacra publica in communi proſtarent, fuiſſe foederatos: deinde ſubductis calculis evici, ſingulis Phratriis Gentes XXX. attributas, ac demum ſingulis Gentes pariter XXX. conſtitiſſe Viris, qui in communi *Gennetae* dicti, unum in quaque Phratria politicum ſyſtema conficiebant. At, roget quis, quorſum iſthaec accurata de Gentibus diſquiſitio, aut cui bono tanta in dignoſcendis *Gennetis* adhibita ſedulitas? Scilicet ut lectoris animum faciliorem ad perſuadendum mihi pararem, ſi propoſuero, Romulum in ordinando ſuo populo collectitio, ob oculos habuiſſe Cecropem, ejuſque inſtitiſſe veſtigiis: ac proinde Romulum Cecropiis Phratriis *Curias*, Gentibus *Gentes Patricias*, & Gennetis *Proceres* ſubrogaſſe. Nunc quidem a collatione Phratriarum cum Curiis temperabo, quam tamen loco ſuo inſtituam: & quoniam quae ſunt prae manibus, citius expediri flagitant; idcirco id quod de Gentibus Atticis dicendum ſupererat, Capite ſequenti concludam.

CA-

Digitized by Google

CAPVT V.

Amplius de *Gennetis*: quos, utpote generoſos, *Proceribus* Latinorum reſpondere demonſtratur.

Sacra & Profana olim in Attica penes Gennetas; *ſicuti in antiqua Roma penes Patricios, ſive* Proceres. *Etymologia* Procerum *tentatur*.

G*Ennetae* peculiariter ii dicebantur, qui, ut Harpocration in ea voce docuit, *οἱ ἐξ ἀρχῆς εἰς τὰ καλούμενα* ΓΕΝΗ *κατανεμηθέντες*, *ab initio diſtributi fuerant in eas, quae vocantur Gentes*, triginta ſcilicet in ſingulis XII. Phratriis conſcriptas, uti antea expoſui. Num reliquum Atticae vulgus ſine *Gente* reputatum judicabimus? Ita ſane ſe res habuit. Quemadmodum ſati ab obſcuris natalibus, tamquam *ἀγέννητοι* habebantur, ſeu *nullis orti majoribus*, ut homines hujus conditionis vocantur ab Horatio I. Sat. VI. 10. ita contra illuſtri nati *genere*, vocati ſunt *Γεννηταί*, quaſi qui *τὸ Γένος* (*Gentem*) poſſent prodere. Eadem plane perſuaſio in Patriciorum Romanorum venis inſederat; uti patet ex luculenta P. Decii Muris Trib. Pl. oratione contra Appium Claudium patriciorum anteſignanum: *Semper iſta audita ſunt eadem: Penes vos auſpicia eſſe, VOS SOLOS GENTEM habere .... en umquam fando audiſtis, Patricios primo eſſe factos, non de caelo demiſſos, ſed qui Patrem ciere poſſent, ideſt, nihil ultra, quam ingenuos*. Liv. X. 8. Atque haec opinionum inter Atticos & Romanos eâdem ſuper re conſpiratio, ſuadet, ponendum eſſe extra dubitationem, quod Dionyſius Halicarn. Antiquit. Rom. II. m. p. p. 83. diſerte tradidit, Romulum, qui primus populum ſuum collectitium in *Patricios* & *Plebejos* diſcrevit, *ἐκ τῆς Ἀθηναίων πολιτείας παράδειγμα*) *ex Athenienſi republica exemplar* deſumpſiſſe. Sed Halicarnaſſei locus dignus eſt, qui ob oculos (1) habeatur. Huic autem conjecturae meae majus accedet pondus, ſi *Gennetarum* & *Patriciorum* proprietates inter ſe & munia comparentur.

Ac primum proprium erat *Gennetarum* ſacra *Gentilitia* poſſidere (Har-

(1) *Ut Patricii* (ex Romuli praeſcripto) *Sacerdotia & Magiſtratus gererent, jus redderent, ſecum rempublicam adminiſtrarent, res urbanas obirent: Plebeji vero ab his immunes*, &c.

(Harpocr. in Βούτης) & procurare. Heſychii *Gennetae* definiuntur, *οἱ ἄνωθεν ἀπ' ἀρχῆς σχόντες κοινὰ ἱερὰ, qui communia ſacra a principio habent*. Communia tamen haec ſacra erant cum Gennetis, non univerſae Phratriae, ſed cujuſque Gentis. Id Harpocration luculenter expreſſit: *Vnaquaeque Phratria diſtributa erat in XXX. Gentes, (ἐξ ὧν αἱ ἱερωσύναι ἑκάστοις προσήκουσαι ἐκληροῦντο), ex quibus ſacerdotia ad ſingulas pertinentia, ſortito legebantur*. Sacra haec erant *gentilitia*, adeoque cuique genti peculiaria, ut nonniſi a *gentilibus* peragi liceret, ceteris civibus (2) excluſis. Patricii quoque Romani gentilitia ſacra in ſua quiſque gente obibant. Pervulgatum eſt illuſtre Fabii facinus, qui Gallis Romam obſidentibus intrepide per medios hoſtes procedens, ſacra genti Fabiae peculiaria perſolvit. Praeter haec gentilitia Sacerdotia, frequentabantur etiam in Attica ſacra *Popularia* (3), quae pro *populi*, vel in *Tribus* vel in *Phratriam*, vel in *Demum* ſive Pagum utcumque collecti, celebritate peragebantur. Et quoniam ſacra omnia conviviis denique coronabantur, hinc legere licet apud Athenaeum V. 1. δεῖπνα φυλετικὰ, φρατριακὰ, δημοτικὰ, *Convivia Tribulia, Phratriaca, Demotica*; ſive *Paganalia*. E viſcerationibus cape de hoſtiis praecidaneis argumentum; ſimulque intellige, Gennetas ad haec obeunda ſacra fuiſſe admotos; namque Romulus, qui Atticam conſtitutionem aemulabatur, pariter praeſcripſit, ut Viri virtute & genere praeſtantes, quo loco habebantur Gennetae, ſacra *Tributim* & *Curiatim* facerent (4). Apud Atticos vero qui ſacra in Pagis inſtaurabant, utique *Gennetae*, peculiari nomine vocati ſunt *Orgeones*, qui, ut inquit Pollux VIII. *95.* κατὰ Δήμους ἐν τακταῖς ἡμέραις θύοντες θυσίας τινάς, *Pagatim deſignatis diebus ſacra quaedam faciunt*. Nunc plane intelligimus, quamobrem Philochorus (v. Cap. I. pag. *9.*) admonuerit, *Gennetas* accipiendos eſſe

Phra-

(2) Plena civitas Athenienſibus data fuerat Plataeenſibus, hac tamen lege adſcripta: *ut ab hac die ſint eadem dignitate, qua ceteri Athenienſes, & jus habeant . . . . omnium ſacrorum & profanorum, praeterquam (εἴ τις ἱερωσύνη, ἢ τελετή ἐστιν ἐκ Γένους) ſi quod ſacerdotium, aut feſtum Gentilitium*. Demoſth. in Neaeram p. 532.

(3) Ita vocantur a Latinis. Feſtus ex Labeone: *Popularia Sacra, quae omnes cives faciunt, nec certis familiis attributa ſunt*.

(4) Dionyſius II. p. 92. Χωρὶς τῶν ἱερῶν ἐχόντων &c. *Praeter gentilitia ſacerdotia, ſexaginta illo* (Romulo) *regnante deſignati ſunt, qui publice pro Civitate ſacra Tributim & Curiatim facerent: Sanxit, ut e ſingulis Curiis legerentur bini . . . . qui virtute & genere praecellerent ceteros*.

Phratoras & *Homogalactas*, & *Orgeonas*: nempe quia *Gennetae* reputabantur inter ſe, & habebantur veluti *Fratres & Collactanei*, non tamen ex jure ſanguinis, ſed ex jure politici ſyſtematis, ut paullo ante pag. 27. admonui; ac praeterea *Orgeones*, quia illi in Pagis ſacra facere conſueviſſent.

Jamvero ſi quis cetera munera *Gennetarum* & *Patriciorum* paullo accuratius contulerit, is profecto compererit, magnam inter utroſque interceſſiſſe affinitatem. Sane partes *Gennetarum*, qui & εὐγενεῖς & εὐπατρίδαι (*illuſtri proſapia nati*) vocabantur, ſunt, Γινώσκειν τὰ θεῖα, καὶ παρέχειν ἄρχοντας (*ſacra procurare, & magiſtratus ſuppeditare*), uti tradidit Plutarchus in Theſeo. Haec eadem munera ἱερᾶσθαι καὶ ἄρχειν *Sacerdotia obire & gerere magiſtratus* attribuit Dionyſius Patriciis Romanis, qui dum de re Romana diſſerit, ſimul digitum ad rempub. Atticam intendit (5). Plutarchus loco cit. addit, Eupatridas habitos fuiſſe tamquam ὁσίων καὶ ἱερῶν ἐξηγητὰς, *ſacrorum & profanorum interpretes*, & qui etiam, ut legitur apud Harpocrationem & Suidam in v. ἐξηγητὴς, *de inferiis aliiſque juribus defunctorum* conſulentibus reſpondebant. Eamdem operam *Patricii* praeſtabant iis, qui ex lege acturi in foro, Patricium adibant, ut ab eo erudirentur, qua propoſita actionis formula rem ſuam perſequi poſſent. Hujuſmodi formulas, ignoratas a plebe Patricii caute cuſtodiebant, ut vulgus ſibi magis magiſque obnoxium facerent. Notum eſt illud callidum facinus Flavii, qui ut populum ſibi demereretur, judiciales haſce formulas, a patricio Appio Claudio, cujus Scriba fuerat, ſurreptas publicavit.

Tanta igitur adeoque comperta affinitas inter *Gennetas* Atticos, & *Patricios* Romanos intercedere mihi videtur, ut citra haeſitationem pronuntiare auſim, *Gennetas* in corpus politicum conſcriptos ad amuſſim cum ampliſſimo ordine *Patriciorum* congruere, ipſoſque eodem loco dignitate praeſtantiaque, ac Proceres a Quiritibus, fuiſſe decoratos. Quid quod & ipſa vox *Proceres* mera eſt vocis *Gennetae* interpretatio? Quemadmodum voci *Eupatridae* ad verbum reſpondet *Patricius*, ſic equidem reor, priſcos Latinos *Gen-*

(5) Halicarnaſſeus quidem de Romanis familiis verba facit, attamen ipſe profeſſus antea, Romulum ab vetere Attico inſtituto populi ſui diviſionem uſurpaſſe, videtur, Atticam quoque conſtitutionem exhibuiſſe, quum Romanam exſequeretur.

Digitized by Google

Gennetis Atticis *Proceres* in eamdem ſignificationem ſubſtituiſſe. *Proceres* in cenſu Servii Tullii, notante Feſto, ſunt *Patricii*; ſed unde ea vox derivanda ſit, aeſtuant Etymologi. Voſſius aliquot conjecturas attulit, ſed in nulla fidenter acquievit. Equidem puto, *Proceres* deſcendere a caſco verbo compoſito *Procereo*, quod poſtea fuit in *Procreo* contractum. Compertum enim eſt, priſcos latinos *Cereo* pro *Creo* extuliſſe, unde *Cerus* in Saliari carmine *Creator* eſt. Latini autem Viros genere conſpicuos *Proceres* a *procereo* nuncupantes, imitati fuiſſe comperiuntur Atticos, qui a verbo Γεννάω *gigno*, *creo*, effinxerunt vocem Γεννηταὶ, h. e. *geniti*, *procreati*, nimirum ut hi diſcernerentur a reliquis idiotis, qui velut ἀγέννητοι q. d. *non geniti*, habebantur propter generis ignobilitatem & inopiam; eo quod tamquam Γηγενεῖς (*terrigenae*) reputabantur (6).

Sed dimiſſa nunc comparatione inter *Gennetas* & *Patricios* inſtituta, paulliſper in contemplanda vetere Attica conſtitutione immoremur. Ad ſacerdotia & magiſtratus ſolis Gennetis patebat aditus, atque ut uno complectar verbo, omnia manu Gennetarum gerebantur. Itaque forma reipubl. etſi ad ſpeciem Regiis auſpiciis inſignita apparebat; re tamen vera *Ariſtocratia* habenda erat, utpote quae privatim a Gennetis adminiſtrata. In diſcordiis porro inteſtinis vel externis minime Regis arbitrium conſulebatur; omnia cum inſigni plebis contumelia ab Optimatibus agebantur ac ferebantur. Theſeus, qui Aegeo patri in regno ſucceſſit, animadverſa hinc immodica Gennetarum potentia, & hinc nimia Plebis oppreſſione, decrevit rempubl. ex *Ariſtocratia*, ſalvis quibuſdam huic ordini praerogativis, in quamdam Democratiae formam, ſub Regis tamen ductu & imperio, invertere. Quod ut Heros exſequeretur, circumivit, ut refert Plutarchus in ejus vita, Δήμους καὶ Γένη, *Pagos & Gentes*, ſeu quod idem eſt *Demotas & Gennetas*; ut utramque civium claſſem in ſuam mutandi ſtatûs ſententiam adduceret. Ac *Demotae* quidem, quos Plutarchus ἰδιώτας καὶ πένητας, *vulgares & pauperes* appellat, confeſtim libenterque Theſeo obſecun-

(6) Pſalmo XLVIII. 2. *Quique terrigenae, & filii hominum, ſimul in unum dives & pauper*. Seniores habent: Οἵ τε Γηγενεῖς, καὶ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων, ἐπὶ τὸ αὐτὸ πλούσιος καὶ πένης. Hebraice vero: *Etiam filii Adam, etiam filii Viri*. Vnde per figuram grammat. χιασμὸν eruitur: Γηγενεῖς i.e. *terrae filios*, intelligendos eſſe *humili loco natos & pauperes*, contra *filios hominum* idem eſſe ac *ingenuos & locupletes*.

Digitized by Google

cundarunt: at *Gennetae*, quos idem Philoſophus Δυνατοὺς, (*potentes*) denominat (7), partim facile a Theſeo perſuaderi paſſi ſunt, partim metu atque vi compulſi, victas dedere manus. Nunc quando huc oratione delati ſumus, non alienum videbitur contemplari, qua ratione Theſeus Gennetas & Plebejos in unum aequum ſyſtema politicum in unamque Civitatem conſociarit.

CAPUT VI.

De XII. Civitatibus Cecropiis a Theſeo in unam Civitatem collectis.

Ciceronis locus de duabus veterum Athenienſium patriis emaculatur & explicatur. Locus Demoſthenis contra Corſini opinionem ſanus oſtenditur. Quo ſenſu Athenienſium συνοικία (commigratio) *accipienda.*

CEcrops facem praetulit Theſeo, ut ipſe quoque res novas in Attica moliretur: quemadmodum enim ille multiplices *Pagos*, quae olim fuerant *Phratriae naturales*, in XII. Civitates, ſeu *Phratrias politicas*, collegit; ita hic XII. Civitates Cecropias in unam *Civitatem*, quae communis foret Phratria, contraxit. Strabo, poſt civitates Cecropias a ſe ſigillatim enumeratas, haec lib. IX. p. 379. ſubtexuit: Πάλιν δ' ὕστερον &c. *Rurſus has deinde civitates in unam contraxiſſe, quae nunc eſt, dicitur Theſeus.* Hoc tamen diſcrimen inter utrumque interfuit, Cecropem, dico, ac Theſeum, quod metus hoſtium ab illo expreſſit, ut Atticos Pagos antea ſeparatos colligeret in XII. Civitates: hunc non magis externa bella, quam inteſtinae diſcordiae perpulerunt, ut haſce Civitates in unam admodum colligeret. Plutarch. de Theſeo p. 10. *Ab Aegei exceſſu grande & mirificum opus agitans animo, contribuit Atticae cultores in VNAM VRBEM, VNIVSQVE VRBIS VNVM REDDIDIT POPVLVM, qui tunc erant divulſi, & aegre ad agendum in communi de republ. conciri poterant.* Mira elocutio, non inanibus quidem verbis, ſed omnino ſignificantibus, inculcata.

(7) Dionyſius l. c. narrat, *Patricios a Romulo lectos fuiſſe ex illuſtribus gentibus, & opibus* (δυνατοὺς) *potentes,* uti δυνατοὶ vocantur a Plutarcho, quos aegre Theſeus in ſuam ſententiam pertraxit.

cata. Ante Theſei aetatem Attici homines binas Patrias habere cenſebantur, unam *naturae*, nempe Δῆμον, ſive *Pagum* illum, ubi quiſque editus fuerat in lucem; alteram *Civitatis*, ſive Πόλιν, in quam ipſe Pagus fuerat contributus. Docuit id Cicero de Leg. I. ubi Pomponio Attico interroganti de geminis municipum Romanorum patriis, ſic ipſe reſpondet: *Ego mehercule & illi* (Catoni), *& omnibus municipibus duas eſſe cenſeo patrias; unam NATVRAE, alteram CIVITATIS: ut ille Cato cum eſſet Tuſculi natus, in Populi Rom. civitatem ſuſceptus eſt: itaque cum ortu Tuſculanus eſſet, Civitate Romanus: habuit alteram loci patriam, alteram juris: ut veſtri Attici, priuſquam Theſeus eoſdem migrare ex agris, & in Aſtu migrare juſſit, &* (1) *SYMPHRATORES* (erant) *& ATTICI*. Tullius igitur cum ex Graeca, atque adeo ex Attica conſuetudine, patrias naturae & civitatis repetat, ſimul dat intelligere, Atticos ante Theſei aetatem binas hujuſmodi patrias agnoviſſe. Nunc plane intelligitur, quamobrem ab hoſpite ſolebat ejus Δῆμος (*Pagus*), & Πόλις (*Civitas*) exquiri. Ita Alcinous Odyſs. 8. verſ. 555. ab Ulyſſe percunctatur,

Εἰπὲ δέ μοι γαῖάν τε τεήν, δῆμόν τε πόλιν τε

Dic mihi terramque tuam, & demum & urbem.

In quem Poëtae locum plura, ſed fruſtra, congeſſit Euſtathius; vero pro-

(1) Ita legendus eſt hic Tullii locus, ab amanuenſibus deformatus. Vide Daviſium, qui variis lectionibus proditis, etſi ſententiam Ciceronis feliciter ſit aſſecutus (interpretatur enim *& ſui Pagi* erant *& Attici*), verba tamen reſtituere abſtinuit. Totum autem negotium ex collatis Aldi & Paulli Manutiorum editionibus facile extricabitur: ille repraeſentat *& Symphradas ex Atticis*: hic porro, *Et Symphratores ex Atticis*. Vox compoſita Συμφράτωρ quae apud Ciceronem legitur, ab hodiernis lexicis Graecis exſulat. Numquid propterea, veluti ſpuria, obelo transfigenda judicabitur? Nihil minus: namque apud probos latinitatis auctores plurima Graeca compoſita occurrunt, quae hodie apud ſuperſtites ſcriptores Graecos fruſtra requiſieris; non idcirco tamen ea homo ſanus repudiarit. Nam quis aut ipſum Ciceronem, qui ὀβελίζειν, ἀντιπαρεσίαν &c. aut Auguſtum, qui εὐθανασίαν (Sueton. in ejus vita 99.) uſurparunt, veluti hoſpites in lingua Graeca eo ex capite traduxerit? Praeterea compoſitum Συμφράτωρ recte ac rite coaluit: quemadmodum a Πόλις componitur Ἄπολις & Συμπολίτης, ita a Φρατρία fit Ἀφρήτωρ, quod ab Homero probatur, & Συμφρήτωρ, quo Tullius utitur, non temere tamen neque inconſulto. Nam quo alio vocabulo magis appoſite, quam quo vocantur a Cicerone, coloni plurium Pagorum, antea ſeparatim agentes, poſtea in unam *Phratriam* contributi, potuiſſent deſignari? Haec eo pluribus perſecutus ſum, ut magis magiſque Paulli Manutii lectionem in laudato Ciceronis loco firmarem.

Digitized by Google

proximior conjectura eſt, Δῆμον quidem, ubi quis natus erat, denotaſſe *patriam naturae*, Πόλιν vero *patriam juris*, ſive *Civitatem*, in quam ſcilicet ipſe Δῆμος contributus fuerat. Jam ſaepenumero admonui, Πόλιν idem ſignificaſſe ac Φρατρίαν, ac praeterea ſingulas duodenas Atticae regionis Civitates, ſive Phratrias, ex pluribus coaluiſſe Δήμοις, ſive Pagis; hinc omnino conſequens fuit, ut Pagorum in unam, eamdemque *Phratriam* ſuſceptorum, municipes jure meritoque vocarentur Συμφράτορες. Haec olim; at Theſeus *contribuit Atticae cultores in unam Civitatem, uniusque Civitatis unum reddidit populum*, ut inquit Plutarchus, qui ſimul hujus novi inſtituti cauſam aperuit; namque dicere pergit: *Nonnumquam enim* (Attici) *diſſidebant mutuo, belloque certabant*.

Origo diſcordiarum inde repetenda videtur, quod Attica natio ante Regem Theſeum nondum in unius Civitatis ſyſtema politicum conſpirarat. Singulae duodenae Civitates non eaſdem Curias, non Magiſtratus, non ſacra habebant communia; ſed unaquaeque per ſe rempubl. ſuam adminiſtrabat, neque Regem in rebus dubiis conveniebat conſultatura, uti ex loco Thucydidis ſupra pag. 18. didicimus. Hinc ſi ſtudia fuiſſent contraria, plerumque diſſidia opinionum non communis Prytanei arbitrio, ſed armorum fortunae relinquebantur decidenda. Ad haec accedebat inconcinna reipubl. forma, & invidioſa inter Cives inaequalitas. *Gennetae* primas obtinebant partes: ipſi e ſuo corpore Sacerdotes & Magiſtratus, inconſulto populo ſuppeditabant; ac porro nobilitate generis opulentiaque tumidi, plebem infra ſe poſitam habebant deſpicatui; & peſſime cum plebejis actum fuiſſe opinor, ſi quid contra illorum cupiditates aliquando affectaſſent: namque Gennetes e veſtigio

Viribus editior caedebat, ut in grege Taurus.

Quamobrem non longe a ſcopo collineare mihi videretur, ſi quis philoſophando conjiceret, nihil aliud antiquos mythologos per commentitium Minotaurum a Theſeo proſtratum adumbrare voluiſſe, niſi veterem Atticae ſtatum, quando ſcilicet Gennetae ὑπερῄζον plebejos, deformem ac ferme monſtroſiſſimum ab Heroe ſublatum. Vt ut ſe res habeat, certe quicquid ejus rei ſit, Theſei facinus a Plutarcho grande & mirificum opus praedicatur: nam quod olim erat in republ. invidioſiſſimum, ſapienti ejus conſilio mitigatum eſt, ac bona cum utriuſque claſſis gratia ſtatutum, ut e corpore quidem Εὐπατριδῶν (*Patriciorum*) ſacerdotia & magi-

Digitized by Google

ſtratus caperentur, ſed conſultis prius populi, qui Patricios numero longe ſuperabat, ſuffragiis: quo temperamento & antiqua optimatum privilegia integre ſunt cuſtodita, & electionis arbitrium penes populum ſtetit. Ad ſummam Theſeus eam reipubl. formam propoſuit, *in qua omnis penes populum eſſet futura poteſtas, ipſe vero moderator tantum belli, & legum foret cuſtos*. Plutarch. loc. cit. Theſeus, ut ita dicam, Romanus mihi fuiſſe videtur Rex Servius Tullius, qui parem in gerenda republ. adminiſtrationem (2) eſt aemulatus.

At vero Theſeus dum ἰσονομίαν (*juris aequabilitatem*) inter cives ſatagebat cuſtodiri, ſimul prima democratiae ſemina jaciebat; quae tandem diu tamen poſt Theſei fata praevaluit, & Patricii a ſuis exciderunt praerogativis. Solon enim populum pro diverſo modulo facultatum diſtribuit in IV. Claſſes; ac tres priores Claſſes civium, qui definitum cenſum poſſiderent, admiſit ad publica munera; quartam vero claſſem excluſit, cui tamen jus ſuffragii indulſit. Ariſtides denique facultatem gerendae reipubl. cuicumque Çivi *ingenuo* h. e. qui patrem Athenienſem ciere poterat, fecit, ſublato penitus diſcrimine inter Patricios ſive Gennetas, & Plebejos. Atqui vel poſt has leges remanſit quaedam Generis nobilitati debita reverentia, praeſertim in gerendis magiſtratibus majoribus, uti erant Archontes, in quibus praeter cenſum requirebatur etiam natalium antiquitas. In Sacris vero, in quibus major eſſe ſolet antiqui moris tenacitas, Εὐγενεῖς (*claro genere nati*) qui *Gennetae* ſunt, etiamſi fortunae bonis deſtituerentur, ceteris civibus praelati ſunt; ut *Euxitheus*, qui victus quaerendi cauſa taenias in foro vendebat, ἐν τοῖς εὐγενεστάτοις (*inter generoſiſſimos*) delectus eſt, qui ſortiretur Herculis ſacerdotium. Demoſth. contra Eubulidem p. 539. & 542. Idem Orator in Neaeram p. 527. narrat, ſortito factum *Regem Sacrificulum* Θεογένην (3) Κωθωκίδην

(2) Halicarn. l. IV. p. 228. de Servio Rege Rom. *Tullius in conſtituenda republ. non eo tantum ad plebem fcvendam viſus eſt proclivior, quod Senatus, & Patriciorum potentiam moderatus eſt, verum etiam quod de Regia Poteſtate detraxit dimidium. Cum enim priores Reges ad ſe revocarent judicia omnium litium, & de omnibus criminibus tam ad privatas injurias, quam ad rempubl. pertinentibus ſuo more decernerent, ille ſeparavit haec, laeſaeque reipubl. criminum ſe fecit judicem, privatarum perſonarum querelas ad alios legavit judices, quibus leges a ſe conditas, ceu limites ac regulas, praeſcripſit.*

(3) Theogenes hoc Oratoris commate *Cothocides*, ſed paullo poſt ſemel iterumque adnuntiatur *Erchienſis*. Quamobrem

δην, ... εὐγενῆ μὲν, πένητα δὲ, *Theogenem Cothocidem* . . . . *hominem quidem generoſum, ſed pauperem*.

Sed ad Theſeum, unde digreſſus ſum, redeo; qui ut propoſitam a ſe conſtitutionem exſequeretur, Τῶν ἄλλων Πόλεων &c. *Reliquarum Civitatum Conciliabula & Magiſtratus abolevit; & in ea, quae nunc eſt, urbe, VNO INSTITVTO CONCILIO, & VNA CVRIA* (πάντας συνῴκισε) *cunctos collocavit; coëgitque ſua quemque poſſidentes, VNA tamen HAC VRBE uti*. Thucyd.l. p.54. Edit.Steph. Hiſtoricus eodem verbo *συνοικίζειν* utitur, quod uſurpatur etiam in marmore Arundelliano, & in Strabone, cum narrat Cecropem contuliſſe in XII. Civitates univerſam Atticam multitudinem. Praeterea idem Thucydides ibidem, & Stephanus in v. Ἀθῆναι, referunt, Theſeum in ſui egregii facinoris monumentum, inſtituiſſe Feſtum Συνοικία (*Commigrationem*), quam Plutarchus Μετοικίαν (*Demigrationem*) appellat. Cave, opineris, omnes Atticos reipſa ſuos fixiſſe lares Athenis; namque ea ſive *Commigratio* ſive *Demigratio*, quae ſubſecuta eſt, non *facto* ſed *jure*, ſive uti Scholae noſtrae loquuntur, *moralis* ea fuit non *phyſica*. Quemadmodum enim antea Cecrops, cum omnes Pagos in XII. Civitates contraxit, Atticae Pagos non exhauſit habitatoribus; ita Theſeus ſtatuit, ut quiſque ſuas facultates poſſidens, jura civica, quae in Comitiis & Curiis cujuſque Civitatis antea fuerat expertus, in una urbe Athenis perſequeretur. Itaque nihil aliud per vocabula *Commigrationis* & *Demigrationis* inſinuatur, niſi quod omnes Attici cives unam eamdemque urbem Athenas, tamquam Μητρόπολιν ſuſpicere deberent, uti praeclare breviterque Scholiaſtes ad hunc Thucydidis locum eſt commentatus.

Non diffiteor tamen, urbem Athenas, olim modicam, ſatiſque circumſcriptam, porro hujuſmodi *Demigrationis* cauſa publicis privatiſque aedificiis maximopere fuiſſe amplificatam. *Detrahe* (inquit

obrem Corſinus Faſt. Att. Diſſert. V. p. 233. alterutrum locum in mendo cubare judicavit. Sed tempora, queis Theogenes haec varia geſſit cognomina, ſedulo erant diſtinguenda. Is enim quo anno ſortitus fuerat Sacerdotium, deceptuſque Phanonem, Neaerae peregrinae, & Stephani civis Athenienſis filiam, duxerat uxorem; tunc erat *Cothocides*, qui Pagus erat, in quem fuerat ſuſceptus: at poſtea comperta fraude, repudiataque peregrinâ, adoptatus fortaſſe ab aliquo ingenuo cive Pagi *Ercheiae* municipe, ſe *Erchienſem* renuntiavit, pro conſuetudine ſcilicet, qua adoptati in *Familiam* & *Tribum* tranſibant adoptantis.

Digitized by Google

quit Valer. Max. V. cap. III. ext. 3.) *Athenienſibus Theſea, nullae aut non tam clarae, Athenae erunt. Siquidem ille vicatim diſperſos cives ſuos in unam urbem contraxit, ſeparatimque & agreſti populo ampliſſimae civitatis formam atque imaginem impoſuit*. Quae ſpatia urbis, priora & recentiora comparans Thucydides loc. cit. inquit, *Antea, quae nunc eſt* Ἀκρόπολις (*arx*), *urbs erat* (4). At vero, etſi facta ipſis foret poteſtas, ut in urbem colligerentur, non tamen antiquos quiſque ſuos Pagos deſeruere, imo quam libentiſſime frequentarunt, nec inde avelli patiebantur, niſi aut privata, aut publica cauſa, illos in urbem acciret; ut accidit belli Peloponneſiaci tempeſtate, quando coacti ſunt, ut derelictis Pagis, Spartanorum populationi expoſitis, ſe reciperent Athenas: ſed quanta cum animi aegritudine id a ſe impetrarint, graphice a Thucydide (5) deſcribitur. Idem in Pagis agendi mos & conſuetudo ad extrema uſque reipubl. Athenienſis tempora perennavit, ut ex Livio (6) docemur. Vbi Theſei conſtitutio probata fuit, & dicaſteria Athenas translata, tunc ex XII. Cecropiis Civitatibus ſive Phratriis, una *Civitas* ſive *Phratria* effecta eſt, omneſque Atticae cultores ex aequo appellati *Athenienſes*. Sane Homerus Boeot. v. 58.

(4) Quaſi diceret: Antiquae urbis ſpatia eodem ambitu moenium, ac Arx, quae tempore ſtabat ſuo, terminabantur. Ceterum haec Acropolis non modica prorſus erat, neque parvi pendenda; quin imo ſecutis temporibus ita exornata fuit, ut invidiam creaſſet Thebanis; ut argui poteſt ex eo, quod narrat Aeſchines de Falſ. Legat. p. 260. *Epaminondas Imperator, non perterritus auctoritate Athenienſium, aperte apud Thebanos dixit*, (ὡς δεῖ τὰ τῆς Ἀθηναίων ἀκροπόλεως προπύλαια μετενεγκεῖν εἰς τὴν προστασίαν τῆς Καδμείας) *Athenienſis arcis propylea transferenda eſſe ad Cadmeae ornamentum*. Cadmea erat arx Thebarum a Cadmo, ut ferebatur, extructa.

(5) *Igitur* (inquit lib. I. cit. p. 54. *ſuo jamdudum arbitratu Athenienſes paſſim domicilia habentes, poſtquam in unam Civitatem coiere, tamen ob morem in agris agendi cum omni familia, non facile . . . migrabant . . . Gravabantur etiam & aegre ferebant, quod deſerturi eſſent* (οἰκίας καὶ ἱερὰ) *Penates & Templa, quae ipſis ob vetuſtum perpetuo ritum patria erant: mutaturi quoque vitae conſuetudinem: denique nihil aliud, quam ſi ſuam quiſque urbem deſereret*.

(6) Livius XXXI. 26. *Ad vaſtandos agros profectus* (Philippus, Perſei pater, Rex Macedoniae) *quum priorem populationem ſepulcris circa urbem diruendis exercuiſſet, ne quid inviolatum relinqueret, templa Deum, quae PAGATIM ſacrata habebant, dirui & incendi juſſit*. Et mox cap. 30. queruntur Athenienſes, *Delubra ſibi fuiſſe quae quondam PAGATIM habitantes in parvis illis Caſtellis Viciſque conſecrata, ne in unam quidem urbem contributi majores ſui deſerta reliquerunt: circa ea omnia templa Philippum infeſtos circumtuliſſe ignes*.

Digitized by Google

58. Atticas copias, quibus Mneſtheus, Theſei ſucceſſor, praefuit, univerſe vocat Κούρους Ἀθηναίων, *Juvenes Athenienſium*, quos paullo ante verſ. 53. ait coluiſſe Ἀθήνας εὐκτίμενον πτολίεθρον, *Athenas urbem bene aedificatam;* non quia omnes copiae ex unius urbis Athenarum moenibus eductae fuerint, ſed quia omnes Atticae Pagi, e quibus collecti fuerant milites, quadam juris fictione in una urbe Athenis continerentur. Quo ſane ſpectant exaggerata illa verba Plutarchi, queis deſignat Athenas a Theſei tempore *unam* evaſiſſe *urbem*, atque Atticos *unius urbis unum populum*: quandoquidem cultores Atticae haud amplius, ut olim, duas eodem tempore patrias, *naturae* ſcilicet & *civitatis*, habere cenſebantur, ſed omnes renuntiati ſunt Athenienſes, atque ut ex *una urbe* facti ſunt συμπολῖται, ita ex *unius civitatis populo*, evaſere συμφράτορες. Quae hactenus commentatus ſum, etſi ſatis firma, ni fallor, appareant, firmiora tamen mox Homeri auctoritate faciam. Is enim, quamquam ceteras Graecorum populorum copias κατὰ φρήτρας, quas partite, ac veluti manibus dinumerat, eduxiſſet in aciem, agmina dumtaxat Athenienſium, utpote συμφρατόρων, nonniſi ductu Regis Mneſthei, qui Theſeo ſucceſſit, inſtruenda permiſit.

CAPVT VII.

De *Phratriis* Homericis, quae in ipſis Pagis, Vrbibuſque a Poëta memoratis, deliteſcere demonſtrantur.

Bello Trojano Graeci foederati per Phratrias *inſtruuntur in aciem*, *exceptis* Athenienſibus, *qui ſcientiae militari Regis Mneſthei ordinandi permittuntur*, *& quare*.

OMnium ſcriptorum primus, qui *Phratriae* vocem uſurpavit, Homerus fuit, qui agmina eorum Graecorum, qui ductu Agamemnonis contra Trojanos militarunt, *Phratrias* univerſe appellavit. Iliad. B. v. 362.

> Κρῖν' ἄνδρας κατὰ Φῦλα, κατὰ Φρήτρας, Ἀγάμεμνον,
> Ὡ'ς Φρήτρη Φρήτρηφιν ἀρήγῃ, Φῦλα δὲ Φύλοις.
> *Secerne viros per Tribus, per Phratrias, Agamemnon,*
> *Ut Phratria Phratriae opituletur, ac Tribus Tribubus.*

Ita Neſtor a Poëta inducitur Agamemnoni conſuluiſſe, ut copias ex *Boeotia*, *Euboea*, *Achaja*, *Peloponneſo* &c. collectas, non tumul-

multuarie, ut antea conſuetudo tulerat, ſed per *Tribus* & *Phratrias* ordinatas, educeret in aciem, quo facilius imperator dignoſcere potuiſſet, quaenam natio, & quis ejuſdem nationis globus ſtrenue ſe ſe oſtentaſſet, vel contra qui operae defuiſſet ſuae. Providentiſſimum ſane conſilium, ac dignum, quod a Neſtore propoſitum praedicetur. Conſilium eo ſpectabat, ut ſi quae Phratria alicujus Tribus ab hoſte impeteretur, reliquae ejuſdem Tribus Phratriae ſuccurrerent; & ſi tota Tribus in diſcrimine verſaretur; quae Tribus in proximo tendebant, opitularentur. Profecto acies in hunc modum inſtructae revera pro aris & focis, pro religione ſcilicet & pro patriae caritate, alacriter decertabant incitateque. Eamdem inſtruendae aciei formam Tacitus apud Germanos deprehendit VII. 3. ſuoque calculo comprobavit: *Quodque* (inquit) *praecipuum fortitudinis incitamentum* (1) *eſt*, *non caſus*, *nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit*, *ſed FAMILIAE & PROPINQVITATES*; quae plane ſunt *Phratriae* Graecorum; has enim ab origine ex congeneribus familiis conſtitiſſe, antea probavimus.

Laudatos Homeri verſus ferme omnes, qui de Phratriis commentati ſunt, ſive pro earum ſacro ſyſtemate, ſive pro politico ſtetiſſent, in rem ſuam derivare affectarunt; attamen nemo unus, quod ſciam, cujuſmodi Phratriae Homericae intelligendae forent, explicate partiteque tradere curavit: quamquam id noſſe, tum ad aſſequendam hujus vocis primaevam acceptionem maxime conduceret, tum quaeſtionem huc uſque ventilatam, ad vivum reſecaret. Rem, ut ſpero, paucis expediam. Φῦλα in hiſce Homeri verſibus non ſunt *Tribus* ſive ejuſdem regionis arbitrariae diviſiones (quae preſſius Φιλαί dicuntur, ut *Phylae* Atticae olim IV. ſub Cecrope, deinde X. ac poſtremo XII. atque etiam XIII. ſunt numeratae), ſed potius *Gentes* ſive *Nationes* (quae e vario caelo varias nanciſcuntur nomenclationes), ut Euſtathius aliique Scholiaſtae hîc monuerunt, videlicet, *Achaei*, *Boeoti*, *Euboici*, *Phocenſes* &c. quae univerſe φῦλα vocantur a Poëta. Φρῆτραι vero, ſive φρατρίαι, plane ſunt Germanorum *Familiae & Propinquitates*, quae

(1) Adverſus hanc Germanorum conſuetudinem, a graviſſimo hiſtorico laudatam, ille, qui apud Plutarchum in *Pelopida* diviſos maluiſſet Graecos in ἱρατῶν globos, quam in *Phratrias*, procul dubio ſcurram egiſſe deprehenditur.

quae utpote ex cognatis familiis conflatae, appoſite a Graecis dictae ſunt *Phratriae*. Vide quae pluribus de hujus vocabuli notione pag. 9. ſeqq. diſſerui. *Phatria* porro, ut ſaepe monui, haud eſt vocabulum geographicum, ſed omnino genealogicum; attamen ut una Phratria ab altera dignoſceretur, neceſſe erat, ut unaquaeque topico deſignaretur cognomine. Homerus autem, praefatus antea, multiplices Graecorum copias fore diſtribuendas in φῦλα & φρατρίας, poſtea ſolas *nationes*, quae φῦλα ſunt, ſigillatim enumerat, ſed nullum porro de *Phratriis* verbum facit, ac ne mutit quidem: verum cum is oppida cujuſque nationis graphice recenſeat, eâdem ſimul opera, ac veluti digito intento demonſtrat, unde locorum Phratriae cujuſquè Nationis ſint repetendae. Profecto hanc Poëtae fuiſſe mentem, ipſiuſmet deſcriptio de ſociis Rhodiorum copiis haud dubium ſuppeditat argumentum. Narrat is Boeot. verſ. 160. ſeqq. Rhodios διὰ τρίχα κοσμηθέντας (*trifariam fuiſſe inſtructos*) eam profecto ob cauſam, quia ipſi in inſula Rhodo τριχθὰ ᾤκηθεν καταφυλαδὸν (*trifariam collocati fuerant* (2) *per gentes*). Tlepolemus enim qui, ut ibi narrat Homerus, homicidii patrati causâ ſuam patriam vertere cogitabat, ingentem populum e variis locis excitum ſecum avexit in inſulam Rhodum, ibique tres condidit urbes *Lindum*, *Jalyſſum*, & *Camirum*, in quas Tlepolemus advenam multitudinem, habita cujuſque gentis ratione, diſtribuit. Omnes ergo milites, qui e *Rhodo* venerant Graecis opitulatum, conjunctim accepti, φῦλον (*nationem*) Rhodiorum repraeſentant: at tres Urbes, *Lindus*, *Jalyſſus*, & *Camirus*, unde milites educti fuerant, totidem deſignant φρατρίας, in quas ſcilicet Neſtor auctor fuerat, ut unaquaeque Natio dirimeretur.

Capto autem trium Phratriarum Rhodienſium, quae in totidem Inſulae civitatibus deliteſcunt, indicio, jam facile fuerit, ce-

(2) Recta potuiſſem vertere *per Phratrias*, & quidem ſine ulla reprehenſione. Saepenumero animadverti, multiplices Atticae Pagos fuiſſe a Cecrope contributos in XII. diviſiones, quas diviſiones Thucydides, Strabo, Stephanus Ethnic. in v. Ἀθῆναι, appellant Πόλεις: at Pollux, Harpocration, aliique nuncupant Φρατρίας. Verum quas alii Πόλεις & φρατρίας, has Suidas in v. Ἐπακτρία χώρα denominat φυλὰς h. e. *Tribus*. Suidae adſtipulatur Servius ad Aeneid. VII. v. 286. *Fuit & haud longe ab Athenis, quod a ſiti Argos Dipſion dictum eſt; apud quos magna erat ſocietas inter eos, qui uno puteo utebantur: unde & FRATRIAS ἀπὸ τοῦ φρέατος, quas TRIBVS vocamus*. Itaque καταφυλαδὸν hujus loci aeque reddi potuiſſet *per Tribus*, ac *per Phratrias*.

teras Graecorum Phratrias recognoſcere. Vt ergo teneas, ex. gr., quae & quotae fuerint Phratriae Boeotorum, recenſenda tibi & numeranda ſunt loca, unde copias hujuſce nationis accitas fuiſſe Poëta memorat: quae ſunt *Hyria*, *Theſpia*, *Graja*, *Coronea*, *Plataea* &c. tunc ſcilicet *Phratrias* etiam Boeotorum habebis in numerato, Phratriarum topica cognomina percipies, ac pariter intelliges, φῦλον (*nationem*) Boeotorum fuiſſe in φρήτρας (*Phratrias*) *Hyrienſium*, *Theſpienſium*, *Grajorum*, *Coronaeorum*, *Plataeenſium* &c. diſtributum. Idem ſi in ceteris nationibus, uti *Locrenſium*, *Phocenſium*, *Aetolorum*, *Cretenſium* &c. coneris, & ſingulorum loca geographica numeraveris, totidem in hiſce locis confoederatas Phratrias comperies. Haec loca diverſae quidem erant amplitudinis, & celebritatis, attamen vulgatae cujuſque loci denominationes, ſive Κῶμαι, ſive Δῆμοι, ſive Πόλεις fuerint, communi Phratriarum nomine veniebant; nimirum quia populi, qui eo habitatum convenerant, vel jure ſanguinis, vel vi politici ſyſtematis, φράτορες ultro citroque erant, & ὁμογάλακτες habebantur. Itaque Phratriae, in quas Neſtor cujuſque nationis copias conſulebat eſſe dividendas, non alibi inveſtigandae ſunt, niſi in ipſis Pagis, & Vrbibus, quas Homerus unicuique nationi addicit: quemadmodum *XII. Phratriae*, in quas Harpocration, Pollux aliique prodiderunt Atticam diſtributam, omnino ſunt illae *XII. Vrbes*, quas Strabo partite, ſuoque peculiari cognomine compellavit. Vide ſupra pag. 20.

Interim antiquae geographiae ſtudioſi plurimum debent Homero, qui poſteritatis eruditioni cumulatiſſime ſatisfecit: abſque eo fuiſſet, quaenam illa tempeſtate Nationes, quaenam Vrbes inclaruerint, magna ſane ex parte ignorarentur. Quamquam Poëta, ut popularibus ſuis Graecis rem faceret gratiſſimam, idcirco a Neſtore eam diſtributionem in *Gentes* & *Phratrias* fuiſſe Agamemnoni propoſitam architectatus eſt, ut inde opportunitatem captaret, laudandi illuſtrandique ſingulas Graecorum patrias, quaſi jam inde a temporibus heroicis virtute militari nobilitatas. Id Homeri conſilium acutiſſime pervidit Euſtathius, cujus haec ſunt verba ad *Boeot.* pag. 263. Τὸν Κατάλογον τοῦτον ἐμνηστεύσατο, ἵνα ἐντεῦθεν γνωρισθῶσι αἱ ΗΡΩΙΚΑΙ ΦΡΗΤΡΙΑΙ, καὶ τὰ ΦΥΛΑ, *Hunc Catalogum* (navium) *commentus eſt* (Homerus), *ut inde dignoſcerentur HEROICAE PHRATRIAE, & NATIONES*. At quo pacto Poeta nobis oſtentaſſet *Phratrias*, niſi loca ipſa geographica,

ea, ex quibus hae fuerunt eductae, interpretabimur vice ſungi Phratriarum? Celebriores itaque totius Graeciae civitates perſecutus eſt Homerus, ut eas carminibus ſuis demereretur; niſi quod praeter omnium expectationem nullum Atticae regionis *Pagum*, h. e. *Phratriam* recenſuit: namque contentus *Boeot.* v. 50. cognominaſſe Athenienſes Δῆμον Ἐρεχθῆος (*Populum Erechthei*): ceterum Pagos ejus regionis enumerare ſuperſedit.

Cauſſam hujus Homericae reticentiae Euſtathius primo rejecit in Pagorum Atticorum multitudinem, eo quod Strabo ex Philochoro retulerit, Atticae Pagos ſupra centum ſeptuaginta numero exſtitiſſe; deinde cauſatur metri difficultatem, cum nequiiſſent metricis legibus adſtringi. Neutra exceptio mihi probatur; namque Strabonis auctoritas non eo uſque protendenda eſt, ut cum eo ſtatuamus, tot Pagos in Attica tempore belli Trojani fuiſſe cultos, quot aetas poſterior numeravit. Profecto Cliſthenis aevo (3) Pagi omnino centum in X. Tribus diſtributi comperiuntur: ut mittam jam, quod diu ante Theſei aetatem, multitudo omnium Atticae Pagorum, ut ut hos innumeros comminiſcaris, collecta fuerat in XII. Phratrias, quas Strabo vocat Πόλεις (*Civitates*) eaſque de nomine compellat: has ſaltem Homerus, ne longum faceret, ſuis carminibus inſerere potuiſſet. Praeterea parum honorifice de poëtarum coryphaeo ſentiremus, ſi nobis ſuſpicio oboriretur, defuiſſe Homero facultatem vel emolliendi voces a metro abſonas, vel quoquo modo poëticis oblinendi ſchematibus. Quamobrem neque Atticorum Pagorum multitudo, neque eorum inconcinna metro vocabula Poëtam ab iis ſigillatim efferendis deterruere: ſed quid aliud a vulgari intelligentia abſtruſius obverſatum ei fuerit, ut de iis dicere ſuperſederet.

Equidem ſic ſtatuo: Homerum conſultiſſime ſilentio praeteriiſſe Demos Atticae, quia Theſeus multiplices Atticae Δήμους (*Pagos*), qui jampridem in XII. *Phratrias* ſive *Civitates* redacti fuerant, εἰς ἓν Ἄστυ, ϗ μιᾶς πόλεως ἕνα Δῆμον (*in unam Urbem*, &

F 2

(3) Poſt exactos Athenis Piſiſtratidas Cliſthenes rebus novis ſtuduit, quas prodidit Herodotus v.69. *Tribuum nomina immutavit & plures ex paucioribus fecit*: (δέκα τε φυλάρχους ἀντὶ τεσσέρων ἐποίησε, δέκα δὲ ϗ τοὺς Δήμους κατένεμε ἐς τὰς φυλάς) *& decem Phylarchos pro quatuor creavit; atque etiam decem Pagos diſtribuit in Tribus*. Paullo ante Herodotus praefatus fuerat, Athenienſes antea *Tetraphylos* fuiſſe a Cliſthene factos *Decaphylos*.

& unius Civitatis Populum), ut cap. praeced. e Plutarcho didicimus. Populus ergo Athenienſis, qui hac recente Theſei conſtitutione in unum Δῆμον (*Populum*) coaluerat, quî porro ab Homero poterat in ſingulares Δήμους (*Populus*), quae *Phratriae* ſunt, ſcindi ac divelli? Theſei proximus ſucceſſor in Regno Mneſtheus fuit, pariterque Athenienſium imperator, Neſtori, qui diviſionem copiarum in *Phratrias* conſulebat, obſecundare non potuit; quippe ſuus populus haud amplius in Phratrias politicas reperiebatur diſtractus. Atque hîc animadverte, ſodes, admirandam divini vatis praeſenſionem. Ne quis e ſuo de Atticis Phratriis ſilentio deduceret, Athenienſium copias antiquo more indiſcrete ac tumultuarie in aciem prodiiſſe; de induſtria Mneſtheum a peritia ordinandi milites & aciei inſtruendae ita collaudat *Boeot.* v. 60.

Τῷ δ' οὔπως τις ὁμοῖος ἐπιχθονίων γένετ' ἀνὴρ
Κοσμῆσαι ἵππους τε, καὶ ἀνέρας ἀσπιδιώτας.
Huic nullus umquam ſimilis mortalium homo fuerat
In inſtruendis equitibus, & viris ſcutatis.

Quo propoſito elogio Poeta tum ſingularem Mneſtheo defert peritiam ordinandi copias, quin ad Phratriarum diviſionem confugeret; tum pariter oſtendit, ſe praetereundo Pagos Atticos, veritati hiſtoricae ſatisfeciſſe: quia hi Pagi paullo ante bellum Trojanum jam *Phratriae* h. e. diſtinctae politicae ſocietates, eſſe deſierant.

CAPUT VIII.

De peculiari Athenienſium *Phratorum* collegio.

Aucto numero Tribuum *multiplicatae pariter fuere* Phratriae. *Omnes Athenienſes* Phratores, *ſed non omnes in legitimum* Phratorum *ſyſtema cooptati.*

EX Homerico de Phratriis Atticis ſilentio nolo quis deducat, ibi Phratrias a Theſei aetate abiiſſe in deſuetudinem. Sublata inde tantummodo fuere *Comitia* & *Fora*, in quibus *Gennetae*, diſtributi in ſingulas Phratrias, antea triumphaverant; & traducta ſunt in urbem Athenas, ubi Populus ſuffragio vel ſortito ſuos creabat magiſtratus. Sed praeter hos magiſtratus primi, ut ita dicam, ſubſellii, Aeſchines *contra Cteſiph.* pag. 278. recenſet & alios

Digitized by Google

alios, (οὓς αἱ φυλαὶ, ϗ αἱ τριττύες, ϗ οἱ Δῆμοι) *quos Tribus, & Trittyes* (h. e. *Trientes* Tribuum, ſive *Phratriae*) *& Demi ex ſe ſe deligunt, ad publicam pecuniam tractandam, ut ii ſint delecti magiſtratus. Id autem fit, quando, ut nunc, Tribubus aliquid mandatum fuerit, ſive ſint foſſae egerendae, ſive triremes fabricandae.* Quo ex egregio loco plura docemur 1. antiquas Atticae diviſiones in *Phylas*, *Phratrias* & *Demos* ad extrema reipubl. Athenienſis tempora ſtetiſſe incolumes. 2. Magiſtratus *Phylarchos*, *Trittyarchas*, ſive *Phratriarchos*, & *Demarchos* ab ipſis populi diviſionibus electos. 3. non tamen ut juri dicundo praeeſſent, ſed potius ut quae a *Prytanum* imperarentur collegio, ipſi expedirent & exſequerentur. Hinc etiam deciditur illa quaeſtio, quam propoſuit Sigonius in Republ. Att. & prorſus intactam reliquit: Num ſcilicet aucto numero *Tribuum* multiplicatae etiam fuerint *Phratriae*.

Pollux, qui docuerat tres in ſingulis IV. Tribubus antiquis numeratas fuiſſe Phratrias, ac proinde dictas *Trittyas*, quaſi *Trientes* Tribuum, non obſcure innuit, Phratrias aucto numero Tribuum fuiſſe pariter multiplicatas. Aeſchinis aetate quatuor antiquae Tribus jam ad X. evaſerant; nihilominus Orator, quas Demoſthenes nominare *Phratrias* ſolet, ipſe *Trittyas* (1) appellat: quod certe vocabulum Aeſchines minime uſurpaſſet, niſi ſingulae X. Tribus ſui aevi e trinis coaluiſſent Phratriis. Colligendum igitur eſt, eo aevo XXX. Phratrias fuiſſe in X. Tribus aeque diſtributas. Nunc ſane intelligitur, quamobrem poſt Athenas a Lyſandro captas, ii, qui populum liberum in ſervitutem redigere ſatagebant, ſecuti illud callidum conſilium *Divide* & *Impera*, ſummam rerum permiſerint XXX. Tyrannis, quos poſtea ad X. contraxerunt. Diodor. Sic. lib. XIV. p. 396. *Eliguntur XXX. Viri, qui reipubl. curam gerant, nomine quidem* (οἱ διοικήσαντες) *Curatores, ſed reipſa nihil aliud, quam Tyranni*. Mox pag. 414. *Ac oppidani XXX. Viros, magiſtratu abdicatos, ex Urbe faceſſere jubent, & X. Viros* (αὐτοκράτορας) *cum poteſtate dictatoria rerum ſummae praeficiunt. Hi ſimul atque magiſtratum iniere, pro Tyrannis ſe gerunt*. Attica natio in Tribus & Phratrias erat diſtributa. Videntur

(1) Aeſchines tamen, qui hoc loco *Trittyas* adhibuit, alias ab uſurpanda *Phratria* minime abhorruit, ut intelligi licet ex ejus commate, quod pag. 22 adnot. 4. expoſui.

tur autem ad hoc gerendae reipubl. XXX-Viri fuiſſe delecti , ut XXX. Phratrias partite adminiſtrarent : qui porro ad X-Viros contracti ſunt , ut ſimul ſumpti numerum X. Tribuum aequarent . Itaque vox Τριττύς apud Aeſchinem in ſua nativa ſignificatione eſt accipienda pro *Triente* Tribus ; atque inde concludendum , multiplicatis Tribubus , etiam Phratrias increbuiſſe .

Jamvero admonuiſſe non pigebit , omnes Athenienſes fuiſſe pariter Φυλέτας , Φράτορας ac Δημότας . Namque ut veri Athenienſes a ſurreptitiis dignoſcerentur , lege cautum erat , ut quiſque e civibus parentibus natus , quo jura adipiſceretur civitatis , referretur εἰς φράτορας , h. e. deduceretur in Phratriam patris ſui vel naturalis , vel adoptivi , ibique quibuſdam adhibitis caeremoniis , ejus nomen in albo Phratriae perſcribebatur . Porro is idem jam pubes ſuaeque tutelae factus , recenſebatur εἰς Δημότας , & adſcribebatur in albo ejus *Demi* , quem in ſua Tribu praeoptaſſet. Atqui *Phratria* , Τριττύς h. e. *tertia pars Tribus* erat ; hinc patet , omnes (2) Athenienſes ſimul fuiſſe *Tribules* , *Phratores* & *Demotas* . Vnus idemque populus erat , ſed prout conglobabatur , ſive in *Phylen* , ſive in *Phratrias* , ſive in *Demos* , a globo quem figurabat , ſuam nanciſcebatur denominationem . Apud Athenaeum V. I. legere eſt Δεῖπνα φυλετικά , φρατριακά , δημοτικά , ſic utique dicta , quia ad agitanda ea *convivia* conveniebant ii , qui diſtribute *Phylen* , *Phratriam* , *Demum* repraeſentabant . Eamdem politiae imaginem contemplari licet in antiqua Roma , & maxime ſub Regibus , cum omnes cives Romani in *Tribus* , in *Curias* , in *Centurias* erant diſtributi ; eorum tamen Comitia a varia civica conformatione , *Tributa* , *Curiata* , *Centuriata* nuncupabantur . Quemadmodum autem vocabantur φυλέται , qui ejuſdem *Tribus* , & Δημόται , qui ejuſdem erant *Pagi* , ita pariter dicti ſunt φράτορες , qui in ejuſdem *Phratriae* album fuerant relati .

Phrator , ut a veſtibulo hujus operis inſinuare coepi , idem omnino eſt ac *Frater* Latinorum , qui fortaſſe a Pelaſgis , antiquis Latii hoſpitibus , hanc vocem arripuerint ; & *Phratria* illa eſt

(2) Ne exceptis quidem Gennetis . *Gennetae* enim ii prorſus erant , qui generis originem ducebant ex iis XXX. Gentibus , quae primitus in ſingulas Phratrias fuerant diſtributae . Itaque habebantur ut reliqui cives . Hinc Dionyſius apud Euſtathium pag. 239. *Γεννῆται . . . ἦσαν οὗτοι καθάπερ Φράτορες , καὶ Δημόται* . *Gennetae . . . erant hi , quemadmodum Phratores , & Demotae* , utpote adſcripti ut reliqui cives , in *Phratrias* , & *Demos* .

eſt neceſſitudo, quae ex *Fratrum* oritur conſortio & aequalitate. Et quoniam illa eſt optima ac ſtabilis amicitia, quae colitur ab aequalibus, factum inde eſt, ut qui aequo jungerentur foedere, eademque belli tempora ac pacis obſervarent, ii familiari vocabulo *Fratres*, & *conſanguinei* nuncuparentur. Vide pag. 21. Vtramque *Phratoris* notionem, naturalem nempe & politicam, complexus eſt Euſtathius p. 239. 27. cum inquit: Φράτορες, οἱ τῆς αὐτῆς φρατρίας, τουτέστι Συγγενεῖς, καὶ Συμφυλέται, *Conſanguinei* & *Contribules*. Pollux vero dumtaxat politicam exſequitur III. 51. Φράτωρ, ὁ μετ' ἐμοῦ φρατριάζων, *qui mecum* (3) *fratriſſat*, imitatus procul dubio Demoſthenem in Macartatum p. 659. *Introduxi puerum hunc ad Hagniae & Eubulidis* (φράτορας, μεθ' ὧν καὶ Θεόπομπος ὁ τουτουὶ πατὴρ Μακαρτάτου, ἕως ἔζη, ἐφράτριαζε) *Phratoras, quibuſcum & Theopompus, pater Macartati, quoad vixit, fratriſſavit, atque iſte ipſe*. Φρατριάζειν autem idem eſt, ac gerere ſe, uti σύγγενῆ (*conſanguineum*). Ac ſane ſi quis Athenienſis accuſaretur peregrinitatis, teſtes pro ſe, praeter *Cognatos*, *Demotas*, & *Gennetas*, producebat etiam *Phratores*, utpote omnes συμφυλέτας (*contribules*). Demoſth. in Eubulidem p. 538. Praeterea ſi in cognatione & affinitate hominis interfecti nullus cognatorum & affinium ſupereſſet, qui homicidam in foro poſtularet, actio perſequendi reum deferebatur *Phratoribus*, uti intelligere licet ex lege, quam recitat Demoſthenes in Macart. p. 666. Jamvero *Phratores* judicabant de actione filii in patrem deſipientem. Vide Petitum extremo titulo V. de LL. Attic. ubi producitur locus Scholiaſtis Ariſtophanis ad *Ranas* v. 73. unde arguitur, Sophocles a filio Jophonte πρὸς τοὺς φράτορας (*apud Phratoras*) accuſatus, ut ſenectute deſipiens, ſed quo pacto optimus pater impium filium pudore ſuffuderit, lege ſis Ciceronem in Catone cap. 7.

Verum ex hujuſmodi accuſatione apud Phratoras, tamquam ad competentes Judices, inſtituta, facile eſt colligere, non univerſam Phratriam fuiſſe aditam ab Jophonte, ſed definitam quamdam Phratorum Curiam, quae totius Phratriae vicem gerens, de hiſce

(3) Graeci ſcriptores indiſcriminatim uſurpant φρατριάζειν & φρατρίζειν. Ex graeco autem Πατρίζειν probatiſſimi latinitatis auctores dedolarunt *Patriſſare*. Nunc quis mihi dicam appingeret, ſi φρατριάζειν, ſervato, quantum potuit, ſuae originis ſono, verterim *Fratriſſare*?

hiſce cauſis cognoſcere ſolebat : quemadmodum & cum impuberes deducebantur εἰς φράτορας , ut eorum nomina in publicis deſcriberentur tabulis , neceſſe non erat , ut omnes ejuſdem Phratriae participes , fierent deſcriptionis auctores : ſatis ſuperque bono publico cautum erat , ſi pauci ab ipſa Phratria delecti , & Phratriam ipſam praeſidente Phratriarcho repraeſentantes , delatum munus exſequerentur . Enimvero Euſtathius , a quo , ut modo vidimus , *Phratores* redduntur *Conſanguinei* & *Contribules* , porro p. 735. 49. haec inſuper adjecit : Φράτορες , σύστημα ἐν Ἀθήναις τοὺς τικτομένους πολίτας ἀπογραφόμενον , *Phratores* , *corporati viri* , *qui Athenis gnatos cives perſcribebant* in publico tabulario ; κοινὸν enim γραμματεῖον album Phratriae vocabatur . Hinc obiter intueri quis poterit , utrum *Phratores* ad cognoſcenda legitima natalia deſtinati , ſpeciem Corporis *ſacri* , an *politici* repraeſentarint . De qua quaeſtione diu multumque agitata rurſus paulo poſt redibit ſermo . Interea hoc in ſententiam Euſtathii pro certo tenendum eſt , tum omnes *Contribules* , tum eos *Corporatos* , quibus cura dijudicandi veros cives a ſurreptitiis erat demandata , ex aequo fuiſſe *Phratores* vocatos .

CAPVT IX.

De ritu recipiendi Athenienſium gnatos in *Phratriam* .

EVſtathius , a quo ſyſtema Phratorum paullo ante intelleximus , Pollucem ſecutus eſt auctorem , qui omnia ad rem Phratriacam ſpectantia , ſtudioſe accurateque deſcripſit III. 52. *Templum, quo congregabantur* , *PHRETRIVM vocabatur* ; *& Syſtema PHRATRIA* , *& ſinguli PHRATORES* ; *& agnus PHRATER* , *& capella PHRATRIA* , *quae immolabatur* (τοῖς (1) φράτορσι) *PHRATORIBVS* . Etſi quicumque Phratriae adſcriptus , unus alteri *Phrator*

(1) Martorellius Th. Calam. 595. Τοῖς φράτορσι Pollucis refingit in Θεοῖς φράτορσι . ac revera in lapide Neapolitano M. Cocceius dedicat ſcyphum Θεοῖς φρήτορσι Κυμαίων , *diis Phratriis Cumanorum* . Sed hic emendatio Martorellii ſupervacanea fuit ; namque ubi de ſacrificio agitur , & praemittitur , Θύειν, ut hoc loco Pollucis , facile ſubintelligi datur θεοῖς . V. Stephanum in Θύω. Ceterum hujuſmodi immolationes dicis cauſa in honorem deorum inſtitutae , reipſa in uſum Phratorum epulantium cedebant : quos ſi *Epulones* vertas , haud a ſcopo aberraveris .

tor erat & appellabatur; verumtamen ii preſſius vocabantur *Phratores*, qui tempori in politicum ſyſtema collecti, partes totius Phratriae tuebantur ad hoc, ut quaedam munera publica, vice totius Phratriae, exſequerentur. *Ad hos* (*Phratores*, Phratriam ſcilicet repraeſentantes, inquit idem Pollux VIII. 107.) *deducebant pueros & puellas*, *quando adſcribebantur inter Phratores*. Patres deducebant liberos ſuos ad *Phratores*, in Phretrium congregatos, poſtulabantque, ut puerorum nomina in tabulas referrentur cenſuales. Phratores, uti de puerorum ingenuitate confirmarentur, jusjurandum deferebant genitoribus; quibus jurantibus, illos eſſe *γνησίους*, *legitime natos*, non continuo Phratores adhibebant fidem, ſed privatis ſuffragiis ſuam explicabant ſententiam: tunc ſi poſtulatio patrum numeroſioribus calculis probaretur, nomina impuberum (*ἐν Κοινῷ Γραμματείῳ*) *in communi tabulario* exarabantur. Quo ritu peracto pueri & puellae optimo jure cives habebantur Athenienſes.

Rurſus adibantur Phratores, cum pueri ad militarem, & puellae ad nuptialem perveniſſent aetatem. Pollux ibidem: *Et cum ad juſtam aetatem perveniſſent in die* (2) *Cureotide pro maſculis quidem faciebant* (Phratores) *ſacrum Curium*, *pro femellis vero Gameliam* (3), ſeu ſacrum nuptiale. Qua ſollemnitate peracta adoleſcentes, jampridem in album civium Athenienſium relati, certo *Demo* addicebantur, eorumque nomina deſcribebantur *in Lexiarchico*: ac proinde eadem ac ceteri *Demotae* domi militiaeque obibant munia. Victimae, quae ea occaſione mactabantur, vocantur a Polluce l. c. *ὄϊς φράτηρ*, *agnus Phrater*, & *αἲξ φρατρία*, *capella Phratria*. Sed ipſum ſacrificium, quod *Κούρειον* (i. e. *Juvenale*) vocatur a Polluce, Harpocration & Etymologus nuncupant *Μεῖον Μεῖον*, atque eam nuncupationis cauſam affert Etymologus, *ὅτι τὸ ἱερεῖον εἰς τὸ ζυγὸν ἐνπθέντες ἔκραζον* ΜΕΙΟΝ ΜΕΙΟΝ, *quod cum victima appenderetur*, *inclamabant MINVS MINVS*, quaſi dicerent *Μεῖον*, *οὔπε τόσον γε ὅσον*, Minus, neque tantum quantum pondus a lege (4) praeſcribitur: Athenienſes autem,

(2) Dies *Κουρεῶτις* latine reddi poteſt *Juvenalis*. Suetonius in Calig. 17. *Vt laetitiam publicam in perpetuum augeret*, *adjecit diem Saturnalibus*, *appellavitque Juvenalem*.

(3) *Γαμηλία* h. e. *Sacrificium*, ni mavis, *convivium nuptiale*, tunc probabiliter in Phratrio celebratum videtur, cum ſponſa ducebatur a viro.

(4) Exſtat hujuſmodi lex apud Potterum Archaeolog. Gr. I. cap. 26. *Τὸ ἱερεῖον μὴ μεῖον εἰσάγειν ἀφελομένου σταθμοῦ* &c.

tem, ut hominem qui victimam adduxerat, Attico ſale perfricarent, irriderentque, non expectato ponderis exagio, ſed in ipſo temporis articulo, quo victimae pondus explorabatur, clamitando *Minus Minus* repetebant; ferme ut imitari viderentur Homerum, cujus ipſi prae ceteris Graecis erant (5) ſtudioſiſſimi: namque Ajax Oilei filius comparate ad Ajacis Telamonii vaſtiorem molem, ab Homero Boeot. v. 35. ſeq. ΜΕΙΩΝ ΜΕΙΩΝ iterato deſcribitur. At poſtea ex aſſuetudine hujus vulgaris irriſionis in Phratriis uſurpatae, res ludicra in ſeriam verſa eſt: etenim Μειαγωγεῖν q. d. *Minus adducere*, de eo paſſim uſurpabatur, qui tempore deſcriptionis victimam qualemcumque, tametſi legis praeſcripto ponderoſiorem, invehebat in Phratriam.

E mentione victimarum, quae in *Phratrion* adducebantur, anſam nonnulli arripuerunt opinandi, Phratores exſtitiſſe corpus Sacerdotale; in qua opinione nonnulli verſati ſunt, & maxime Martorellius noſter, qui pag. 591. hoc lemma propoſuit: *De Fratriis Athenienſibus ac Neapolitanis . . . quas haud magnam partem urbis vel civium, ſed breve* ἱερατικὸν σύστημα *fuiſſe oſtenditur*. At Phratriae Athenienſes (nam de Neapolitanis ſuo loco diſquiretur), ut hic in pauca contraham, quae antea pluribus pertractavi, tres numero totam conficiebant Tribum, atque inde dictae Τριττύες, quaſi *trientes* cujuſque Tribûs. Praeterea omnes omnino Athenienſes, ni in communi *Phratriae* tabulario, & in *Demi* (*Pagi*) lexiarchico reperirentur deſcripti, peregrinitatis accuſati e civium albo expungebantur: binae enim profeſſiones edendae erant ab eo, qui de ſtatu civico periclitabatur, prima, quae in *Phratria*, altera quae in *Demo* fuerat peracta. Enimvero in decreto (quod exſtat apud Demoſthenem in *Neaeram* pag. 532.) de civitate data Plataeenſibus iis, qui egregiam operam in Marathonia navarunt pugna, cavetur, κατανεῖμαι τοὺς Πλαταιέας εἰς τοὺς Δήμους, καὶ τὰς

&c. *Ne inferunto victimam definito pondere leviorem; capram quidem quinquaginta minarum pondo, duas vero oves pondo quadraginta minarum.*

(5) Vulgatum eſt audax facinus Alcibiadis, qui colaphum inflixit ludimagiſtro, eo quod in manus puerorum, quos inſtituebat, non tradiderit legenda Homeri poëmata, quae tamquam abſolutiſſimus divini humanique juris codex, ſuſpiciebantur. Aſſueverant enim Athenienſes a teneris unguiculis verſare diurna nocturnaque manu hunc codicem, memoriter addiſcere, atque inde decerpere voculas, nedum ſententias, quibus dictiones ſuas, veluti totidem gemmis, illuſtrabant.

τὰς Φυλὰς, *ut Plataeenſes diſtribuantur in Pagos, & in Phylas*, h. e. in Phratrias, quae trinae ſimul ſumptae unamquamque conficiebant Tribum. Itaque cives Athenienſes, ut omnes erant *Demotae*, ita pariter omnes habebantur *Phratores*, & ex conſequenti *Phyletae*. Atqui *Phylae*, *Trittyes* (h. e. *Phratriae*) & *Demi*, ut ex luculento Aeſchinis loco, quem pag. 45. recitavi, propalam eruitur, politica fuere ſyſtemata; quo igitur ore, quave fronte *Phratrias* ſacra fuiſſe corpora jactabimus? His adde, quod Phratores in quaeſtione de ſtatu civico *teſtes* habebantur *idonei*; de *homicidio fortuito* judicabant; praeſto aderant querelis filii *de patre deſipiente*: quae legitimae Phratorum cognitiones re quidem vera minime ſapiunt ἱερατικὸν (*Sacerdotale*) miniſterium.

Aſt, inquies, celebrabant procul dubio *Phratores*, teſte Polluce, *Juvenale* & *Nuptiale* ſacrum: nec id equidem diffiteor. Attamen diſtinguenda omnino eſt univerſa Phratria ab iis Phratoribus numero paucis, quos Phratria ad hoc deligebat, ut pro rei gerendae opportunitate vicem totius Phratriae ſuſtinerent & gererent. Phratriae quidem intererat praecavere, ne quis peregrinus inter cives adſcriberetur, ac praeterea cognoſcere, ſi is, qui magiſtratum affectabat, ex utroque parente cive ortum duceret, nec ne: namque e matre peregrina nati a gerendis publicis repellebantur muneribus. Haec autem omnia ad Phratriae, quae magiſtratus e ſuo corpore creabat, cognitionem pertinebant; ſed quoniam grave moleſtumque acciderat, Phratriae populum ſaepenumero ad concionem vocare; hinc admodum fit veriſimile, Phratriae populum elegiſſe quotannis (6) Phratriarchum, cui aliquot Phratores, veluti aſſeſſores dabat, ut ipſi veluti Phratriam compendii facientes & repraeſentantes (7), profeſſionibus puberum

 & ſpon-

(6) Φρατρίαρχος, Harpocrationi in v. Γεννηταὶ, eſt ὁ τῆς φρατρίας ἄρχων, *Phratriae princeps*, cujus munus utique inter *magiſtratus*, non certe inter *Sacerdotia* numerabatur. Euxitheus apud Demoſth. *contra Eubulidem* p. 542. *Phratriarchus* olim creatus, & electus etiam, ut inter nobiliſſimos de *Sacerdotio* Herculis ſortiretur, poſtea peregrinitatis ab Eubulide accuſatus, ita ſe purgat: *Neque enim peregrinum & inquilinum, ut nunc ait Eubulides*, (οὔτ' ἀρχὰς ἄρχειν, οὔτε ἱερωσύνην κληροῦσθαι μεθ' ἑαυτοῦ) *vel magiſtratus gerere, vel Sacerdotium ſortiri, ſecum delectum ſiviſſet*. Vbi *Phratriarchi* munus inter *magiſtratus*, non vero inter *Sacerdotia* recenſetur. Enimvero *Phratriarchus*, ut cap. ſeq. oſtendam, a Plauto latine vertitur *Magiſter Curiae*.

(7) Memorantur ab Athenaeo V. 1. Convivia *Tribulia*, *Phratrica*, Δημοτικὰ ſive *Paganalia*, ita prorſus dicta, quia inſtaurabantur a populo vel in Tribus,

Digitized by Google

& ſponſalibus advigilarent. Queis temporibus hilaritate plenis; mirum haud eſt, ſi in Phratrio victimae boni ominis cauſa immolarentur *Juvenales* & *Nuptiales*, quas depaſcebantur adſtantes. Olim enim nec Συσσίτια (*publica convivia*) ſine ſacrificiis, nec ſacrificia apparabantur ſine conviviis. I nunc, & Phratoras interpretare Sacerdotes. Vel ſic tamen habeantur aliquot *Phratores* per me licet tamquam temporarii Sacrificuli: numquid *Phratriae* univerſae reputabuntur etiam collegia Sacerdotum? Id ſi ita foret; Atticos homines in *XII. Phratrias* diſtributos, Graecas foederatas copias in *Phratrias* contra Trojanos inſtructas, *Phratriam Achaemenidum*, unde Reges Perſidis ducebant originem, non amplius cives, non populos, non progeniem, ſed examina Sacerdotalia, ſi ita diis placet, interpretabimur.

CAPVT X.

Παράλληλον Athenienſium *Phratriarum*, & *Curiarum* Romanorum.

Φρατριάρχος *latine* Magiſter Curiae. *Quid Plauto* Agnus Curio. *Ciceroni* Curiales *ſunt Phratores*. Phretrion *in vet. inſcript. eſt* Curia. *Etymon* Curiae *origine Graecum*.

VErum enimvero nihil aeque luculenter oſtendit, Phratrias veterum Graecorum politica corpora exſtitiſſe, quam affinitas notionis, quam Graeci rerum Romanarum Scriptores inter Athenienſium *Phratrias*, & *Curias* Quiritum deprehenderunt. Quoties enim res poſtulavit, uti mentio fieret de *Curiis*, vix aliter Graeci huic latino vocabulo, quam Φρατρίαν, appendunt: quod certe non commiſiſſent, niſi ſibi de affini utriuſque vocabuli vi, & poteſta-

bus, vel in Phratrias, vel in Pagos, conglobato. Cave tamen credas, integras Tribus, & Phratrias, & univerſos Pagos una ſimul fuiſſe epulatos; ſed omnino conjiciendum eſt, eos dumtaxat ſacris accubuiſſe menſis, qui pauci numero e ſingulis diviſionibus delecti, vel Tribus, vel Phratrias, vel Demos repraeſentarent. Idem plane ſentiendum arbitror de XLVII. populis Latini nominis, qui quotannis in montem Albanum conveniebant, ut *unum* Jovi Latiali immolarent *taurum*, *de quo*, ut inquit Halicarnaſſeus IV. p. 250. *ſua cuique populo portio tribuebatur*. Hic autem niſi tot populis conſulto ſubrogaveris legatos populorum; ſane agmina ſeptem & quadraginta populorum potius olfeciſſent, quam aſſam deguſtaſſent victimam.

Digitized by Google

teſtate cônſtitiſſet. Plutarchus, in Romulo pag. 30. ubi narrat collectitium populum in tres *Tribus* ab eo fuiſſe diviſum, ac rurſus ſingulas Tribus in decem diſtributas *Curias*, inquit: Ἑκάστη δὲ φυλὴ δέκα φρατρίας ἔχει, *unaquaeque Tribus decem conſtat Phratriis* i. e. Curiis. Tullus Hoſtilius, animos faciendi cauſâ Albanis, ut Romam tranſmigrarent, ſpondet, ſe diſtributurum eos εἰς φυλὰς, καὶ φράτρας, *in Tribus & Curias*. Halicarnaſs. III. p. 170. & mox pag. 172. Edit. Lipſ. 1691. *Eos* (Albanos) *Tullus e caſtris in urbem reverſus* (φυλαῖς καὶ φρατρίαις ἐπιδιεῖλεν) *per Tribus & Curias diſtribuit*. Eodem libro pag. 85. L. Tarquinius cum toto ſuo Etruſco comitatu fertur cooptatus ab Anco Martio εἰς φυλὴν καὶ φρατρίαν, in *Tribum*, & *Curiam*. At hîc intercedit ſtrenuus Thecae Calam. Scriptor, qui pag. 605. taxat Graecos hiſtoricos atque eos maxime, qui poſt Auguſtum res Romanas Graece tradiderunt, quod Curias reddiderint *Phratrias*. Verum Halicarnaſſeus non temere neque inconſulto, ſed dedita opera Curias reddidit *Phratrias*; namque, cum lib. IV. p. 410. liberum cuique feciſſet, *Curias* utcumque vertere, ipſe tamen reipſa *Phratrias* praetuliſſe videtur. At roget quis, quo praeeunte exemplo, quave nixus auctoritate Dionyſius *Phratriam* Graecorum cum Curia Romanorum aequipararit? Interrogationi propoſitae abunde vice mea ſatisfaciet Fabricius Biblioth. Graec. Lib. III. cap. XXXII. *Dionyſius Halicarnaſſeus . . . vir doctiſſimus & criticus . . . in Italiam venit poſt finem bellis civilibus impoſitum ab Auguſto Caeſare . . . ante CHRISTUM anno XXX. atque ab eo tempore per annos XXII. Romae verſatus, latinae linguae, & alia ad hiſtoriam Romanam ſcribendam neceſſaria monumenta ac ſubſidia ſibi comparavit e familiaritate cum viris eruditis, partim a commentariis latine ſcriptis Porcii Catonis, Fabii Maximi, Valerii Antiatis, Licinii Macri, Aeliique, & Gellii, & Calpurnii, & multorum aliorum materiam ſibi amplam & uberem ad futurum opus digerendum congeſſit*. Nemo, opinor, dubitarit, quin ipſe, Romanas origines expoſiturus, tum viros ejus aevi doctiſſimos, tum veteres probatos Scriptores conſuluerit. Ab his procul dubio inter alias Romanas eruditiones Graecus homo intellexit, Curias apprime Phratriis reſpondere. Enimvero animadverti, principes Latinitatis auctores, Plautum, inquam, & Ciceronem, Φρατρίαν, Φράτορα, & Φρατρικὰ, latiari ſermone vertiſſe *Curiam*, *Curionem*, & *Curialem*.

Plau-

Plautus ergo in fabula Aulularia, quae Athenis agi ſimulatur, inducit in ſcenam Γαμηλίαν (*nuptiale convivium*), quod conſueverant Phratores in Phratrio celebrare. Phratoribus praeerat *Phratriarchus*, qui hic a Plauto redditur *Magiſter Curiae* Aulul. II. 1. 29. III. 2. 3. ut *Magiſter Pagi* in vet. inſcript. reſpondet Graeco *Demarcho*. Victimam ibi immolatam Athenienſes quidem ὄϊν φράτερα, Plautus vero *agnum Curionem* vocat ibid. III. 6. 25.

> ME. *Etiam agnum miſi*. EV. *quo quidem agno ſat ſcio*
> *Magis curioſam nuſquam eſſe ullam belluam*.
> ME. *Volo ex te ego ſcire, qui ſit agnus Curio*.
> EV. *Qui oſſa atque pellis totus eſt; ita curâ macet:*
> *Quin exta inſpicere in Sole etiam vivo licet:*
> *Ita is pellucet, quaſi laterna Punica*.

Et quoniam ea occaſione, quum victima appendebatur in trutina, convivae Μεῖον Μεῖον, *Minus*, *Minus* inclamabant (1): Sarſinas Poëta, ne hic lepor, & urbanitas Attica in ſua fabula deſideraretur, hunc agnum non *Phratorem* Graece cognominavit, ſed pro captu latini populi ſpectatoris, interpretatus eſt *Curionem*, quia exploratum habebat, vocabula φρατρία, & φράτηρ idem ſonare ac *Curia* & *Curio*. Praeterea Plautus, ut quoquo modo ſales Atticos eo in actu frequentari ſolitos imitaretur, quadam παρονομασίᾳ, h. e. interpretatione alioverſus detorta, commentus eſt, agnum nuptialem ideo vocari *Curionem*, quia is vita comite confectus exſiccatuſque edacibus *Curis*, pellucidior laterna Punica evaſiſſet. Atque is ſenſus, ea mens Poëtae fuit, qui inducens agnum *Curionem*, & interpretans *Curioſum*, plane ſuo muneri ſatisfecit: is enim in fabula palliata, ſed a populo togato ſpectanda, agnum *Curionem* produxit, ut vim Graecanici agni *Phratoris* latine loquens ſervaret; & mox hunc ipſum agnum *Curionem* interpretatus eſt *Curioſum*, veluti a *Curis* tabefactum, ut ea ludicra interpretatione illud *Minus Minus* Athenienſium aemularetur. Tenemus igitur a Plauto, Graeca vocabula Φρατρία & φράτωρ a Latinis ſui aevi cum vocabulis *Curia* & *Curio* conſueviſſe commutari.

Jamvero Cicero II. Offic. 18. ab humanitate ac liberalitate Cimonem commendans, narrat, egregium hunc ducem conſueviſſe *ſuos Curiales Laciadas* menſae ſuae adhibere convivas. Plutarchus in *Cimone* habet Δημότας, *populares*. Sed jam antea pluribus oſten-

(1) Vide dicta pag. 49.

Digitized by Google

ſtendi, Δῆμον, ſive populum cujuſque *Pagi* antiquitus *Phratriam* naturalem compoſuiſſe, ac porro plures Pagos in unam coaluiſſe Phratriam politicam. Qui e corpore Phratriae erant, omnes ex aequo compellabantur *Phratores*, latine *Curiones*, ut paullo ante e Plauto didicimus. Sed ex *Phratria* fit etiam φρατριεὺς (2) qui Ciceroni eſt *Curialis*. Integrum Ciceroni fuerat, δημότας (*populares*) Cimonis reddere vel *Curiones* vel *Curiales*: praetulit autem, ut mihi videtur, *Curiales*, ne *Curiones* Romanorum cum Graecorum Phratorum vulgo aequiparaſſe videretur. Ciceronem imitatus deprehenditur is, qui titulum pro Vettio Agorio Praetextato concinnavit; qua in epigraphe adnuntiatur Praetextatus *Curialis*, h. e. *Phratriacus* Neapolitanus, ut ſuo loco oſtendam. Atque haec ſatis eſſe poſſunt, ut ſuaderem, Dionyſium, qui *Curiam* graece reddidit φρατρίαν, ſecutum fuiſſe exemplum principum eloquii latini auctorum, qui φρατρίαν interpretati ſunt *Curiam*, φράτορα *Curionem* & φρατριέας *Curiales*: ac proinde minime illum eſſe dignum, qui uti Graeculus traduceretur.

Verum in diſpicienda vocabulorum poteſtate haud haerendum tantummodo eſt in cortice, ſed quid in nucleo contineatur, examinandum. *Phratria* tria denotabat, 1. Tertiam partem cujuſque Tribus. 2. Aedem ſacram, ubi *diis phratriis* ſacra fiebant, uti licet intelligere ex inſcriptionibus Phratriacis Neapolitanis. 3. Locum publici conſilii, ubi Phratores rogabantur, ut impuberes ex utroque parente cive Athenienſi nati in Commune tabularium referrentur. Haec autem omnia *Curia* complectitur, atque adeo exaequat, ut Vesbinus, qui aedem pro Auguſtalibus deliberandi vel ſacrificandi cauſa conſtruxit, eam in inſcriptione latina apud Gruterum p. CCXIV. non *Curiam*, prout uſus ferebat, ſed PHETRION inſcripſit. Praeterea Dionyſius Halicarn. qui ſaepenumero *Curiae* Rom. appendit φρατρίαν, interdum non dedignatur Κουρίαν uſurpare, perinde ac ſi utrumque vocabulum Graeci peculii foret. Quae animadverſio mihi animos fecit, ut opinarer, Romulum de dividendo informandoque populo collectitio deliberantem, conjeciſſe oculos in eos populos Graeci oris, qui jampridem

(2) Saepe utitur hoc derivato Dionyſius, ac praeſertim II. p. 124. ubi *Curiones* a *Curialibus* diſtinguuntur: *Primam ſacrorum munerum inſtitutionem* (Numa) *tradidit triginta* (Κουρίωσι) *Curionibus, quos publica* (ὑπὲρ τῶν φρατριῶν) *pro ſuis Curialibus ſacra facere dixi*.

dem in Campania Latio contermina dominabantur, ab iiſque *Curiae* vocem fuiſſe mutuatum.

Vulgo jactatum eſt Tribuum diviſiones ideo *Curias* fuiſſe vocatas, quia cum iis regni *Curae* (3) dividerentur. At a populo non conſilia, ſed ſuffragia in rebus a conſulente propoſitis, exquiruntur. Romulus, qui magnam finitimis populis excitarat invidiam, ut ſibi ſuiſque proſpiceret, condere populum militarem ſtatuerat: quapropter colluviem advenarum, ut ad ineunda praelia paratam haberet, illam ex pluribus locis collectam, ad imaginem juſti exercitus diviſit in turmas, eaſque ex nominibus non raptarum Sabinarum, ut Livio viſum fuit, ſed locorum, unde prodierant, uti Dionyſius & Plutarchus docuerunt, nuncupavit. Haſce porro turmas Romulus a majore *Juniorum* numero, qui ad patriae tutelam excubabant, univerſe Κουρίας, quaſi *Juventutes*, appellavit; quemadmodum ab eo corpus illud virorum, qui fortunae bonis, & prudentia praeſtabant, a ſenili aetate *Senatus* eſt dictus. Huic conjecturae meae haud leve pondus accedit ex eo, quod Halicarnaſſeus II. 82. *Curiam* interpretatur Graece Φράτραν καὶ Λόχον, *Phratriam & Cohortem*, & paullo poſt, *Curiones* vertit Φρατριάρχους καὶ Λοχηγοὺς, *Phratriarchos*, *& Cohortis Ductores*. Λόχος autem militare vocabulum eſt, eoſque deſignat, qui hoſtem vel aperto Marte, vel ex inſidiis aggrediuntur. *Curiam* igitur ἀπὸ τοῦ Κοῦρος (4) repeto, facem mihi praeferente Homero, qui Κούρους Ἀθηναίων, Ἀχαίων &c. vocat *milites Athenienſium*, *Achivorum*. Nihil autem intereſt, quod nulla hodie hujus vocis vola aut veſtigium in Graecis Scriptoribus appareat. Namque pag. 7. adnot. 3. admonui, plura nunc exſtare latina vocabula, quae a Graecis hauſta, porro in ipſa Graecia exaruerunt. Haud igitur immerito queritur Macrobius I. Saturn. 5. *Verba, quae cum in ore priſcae auctoritatis crebro fuerint, exauctorata tamen a ſequenti aetate repudiataque ſunt.*

CA-

(3) Hujus comminiſcendae etymologiae anſam praebuiſſe videtur Plautus, qui agnum *Curionem*, riſûs excutiendi causâ a *Curis* deduxit: quam notationem paſſis ulnis amplexati ſunt Varro, Apulejus, Feſtus. A Dione quoque *Curia* redditur φροντιστήριον.

(4) Sicuti παιδία *puerilem*, & Ἀνδρεία *virilem*; ita pariter Κουρεία *Juvenalem* deſignat aetatem, quae eadem plane eſt ac aetas militaris.

CAPVT XI.

Convivia publica, ſive *Phyletica*, ſive *Phratriaca*, ſive *Demotica*, a Pelaſgis Italicis inſtituta, poſtea a Graecis tranſmarinis adoptata.

SAepenumero mentionem feci de Δείπνοις φυλετικοῖς, φρατρικοῖς (ſive potius φρατριακοῖς) & δημοτικοῖς, quae memorantur ab Athenaeo V. 1. ac praeſertim pag. *46*. ubi contendi, hujuſmodi Convivia popularia varias nacta fuiſſe denominationes, prout ſcilicet unus idemque populus vel in *Tribus*, vel in *Phratrias*, vel in *Pagos* diſtributus, conveniebat epulaturus. Inſtaurabantur autem haec convivia obtentu quodam religionis: in fronte quidem, ut ita dicam, ſacrificia perſolvenda proponebantur; ſed in receſſu profundum occulebatur politicum arcanum; nempe ut ea opportunitate ſaepius repetitâ, populi germanitas & conſanguinitas variis redintegraretur modis. Providentiſſimum ſane conſilium, & ab Ariſtotele, qui haſce epulas vocat Συσσίτια, valde probatum; inquit enim Politic. VII. 10. *Vno ore conſentiunt omnes συσσίτια (convivia popularia) eſſe utilia Civitatibus bene conſtitutis*. Namque ſi quid de re publ. decernendum foret, vel ſi quae inter populos congeneres vel foederatos incidiſſent controverſiae, hiſce conventibus ad laetitiam inſtructis, facillime inter caeſa & porrecta expediebantur publica negotia, & communione epularum diſcordiae componebantur. Servius Tullius Rex Rom. auctor fuit foederatis Latii populis, ut quotannis in Aventinum collem convenirent, *& ſi qua offenſa populis incideret, inter iſta Deorum ſacra conciliarentur ex aliorum populorum arbitrio*. Halicarnaſ. IV. m. p. 230. Idem inſtitutum ſectatus eſt Tarquinius ſuperbus, qui in monte Albano *deſignavit commune ſanum Romanorum, Latinorum, Hernicorum, & Volſcorum, qui ſociorum numero adſcripti eſſent, ut ibi ſollemnem conventum agitantes* (συνεςθιῶνται, καὶ κοινῶν ἱερῶν μεταλαμβάνωσιν) *una epularentur, & communia ſacra participarent*. Halicarn. ibid. p. 250.

Dionyſius Halicarn. ut a Graecis popularibus ſuis gratiam iniret, arbitratus eſt, Latinos ad Graecorum imitationem hujuſmodi convivia inter ſocios populos inſtituiſſe: namque tradidit, Servium Tullium, qui primus in Italia hunc convivandi morem induxit, exemplum Amphictyonum, Jonum, & Dorienſium fuiſſe

aemulatum. At propius is ad veritatem acceſſiſſet hiſtoricam, ſi judicaſſet, Graecos transmarinos a Pelaſgis antiquae Italiae & Auſoniae dominatoribus edoctos, publicorum conviviorum conſuetudinem in patrias derivaſſe ſuas. Fundus hujus conjecturae meae, & auctor eſt Ariſtoteles, qui loc. cit. ubi de diſtribuendo populo in gentes *militares*, & *ruſticas*, deque *Syſſitiis* aere publico celebrandis agit, aperte pronuntiat, illud primum inſtitutum (1) ex Aegypto, hoc alterum de convivalibus ſodalitiis ex Italia eſſe repetendum. Sed praeſtat, ipſum Philoſophum ea de re diſſertantem audire.

Ἀρχαία δ᾽ ἔοικεν εἶναι καὶ Συσσιτίων ἡ τάξις &c. *Videtur autem Conviviorum ordinatio vetus eſſe; & ea quidem quae in* (2) *Creta uſurpantur, Minoe regnum obtinente, uſu recipi coepta eſſe, quae vero* (ἐν Ἰταλίᾳ) *in Italia celebrantur, multo his eſſe antiquiora: ajunt enim ex illis, qui illic habitant, viri docti & eloquentes, Italum quemdam Oenotriae regem fuiſſe; a quo nomine mutato, Italos pro Oenotris eſſe appellatos; & hanc Europae oram, quae ſinu Scylletico & Lametico continetur, hoc nomen fuiſſe conſecutam: diſtant enim haec loca inter ſe unius diei itinere. Hunc igitur Italum ferunt, Oenotros, qui nomades erant, agricolas feciſſe, & cum alias eis leges ſcripſiſſe, tum vero* Syſſitia *primum lege ſanxiſſe. Quapropter etiam nunc nonnulli ex iis, qui ab illo orti ſunt, &* Syſſitiis *utuntur, & nonnullis aliis legibus. Habitabant autem in ea quidem parte, quae a mari Tyrrheno alluitur,* (Ὀπικοὶ) *Opici, qui & olim cognomento Auſones dicebantur, & nunc item dicuntur. In ea vero, quae Japygium & Jonium attingit, quae Syrtis appellatur, Chaones. Erant autem etiam Chaones genere Oenotri.* (Συσσιτίων τάξις ἐντεῦθεν γέγονε πρῶτον· ὁ δὲ χωρισμὸς ὁ κατὰ γένη τοῦ πολιτικοῦ πλήθους ἐξ Αἰγύπτου) *Syſſitiorum igitur ordinatio hinc primum nata eſt* (h. e. ex Opicis, & Oenotris); *multitudinis vero civilis per genera diſtributio ex Aegypto*. Originem igitur popularium conviviorum quae apud pleraſque Graeciae civitates frequentabantur, Ariſtoteles, edoctus fortaſſe a Pythagoricis (hi ſunt, ni fallor, quos ipſe a doctrina & eloquentia commendat) non ex Ae-

(1) Enimvero Cecrops, qui primus Atticam multitudinem in XII. Phratrias diſtribuit, & e ſingulis Phratriis triginta γένη ſelegit, genere Aegyptius fuiſſe fertur.

(2) De Syſſitiis Cretenſium vide quae prodidit Athenaeus IV. cap. 9.

Aegypto, ſed a locis, quae proxime memorarat, ab *Oenotris* ſcilicet & *Opicis* luculenter arceſſit.

Supra ceteros Opicos, qui mari Tyrrheno alluuntur, eminent Pompejani, Herculanenſes, Palaeopolitani (qui poſtea Neapolitani) & Cumani. Profecto Parthenope, quae Neapolis eſt, condita ἐν Ὀπίκοις traditur, a Strabone l. XIV. pag. 654. & a Stephano in v. φάληρον. Tota porro haec ora maritima a Pelaſgis occupata fuit, uti paullo poſt in Prolegomenis Partis alterius non contemnendis indiciis oſtendam. Pelaſgi autem inſtar ciconiarum, ut cuique notum eſt, hac illac vagari ſolebant; hinc argui facile poteſt, Pelaſgos relicta Italia, quos ritus ſacros profanoſque hîc ipſi obſervarunt, eoſdem in antiquas patrias ſedes (quae Graecia eſt) invexiſſe. Abſque eo foret, intelligi plane nequiret, quo pacto Graeci tranſmarini, quove commercio religioſam pariter & politicam popularium conviviorum obſervationem ex Italia, ut Ariſtoteli viſum fuit, arceſſiverint, & quoquoverſus propagarint.

Atque haec de συσσιτίοις, quae a Graecis civitatibus bene conſtitutis, uti ſenſit Ariſtoteles, ſolebant frequentari, eaque *Tribulia*, *Phratriaca*, & *Paganica*, uti prodidit Athenaeus, cognominabantur ex eo, quod populus vel in Tribus, vel in Phratrias, vel in Pagos diſtributus, epulabatur. Sed poſtea ab hiſce popularibus epulis temperatum eſt; vel quia illae ſine inſigni impenſa inſtrui nequiverant; vel quia verendum erat, ne populus, aut qui populum repraeſentabant, rebus ſtuderent novis. Attamen ad veterem civitatum Graecarum normam ſeſe poſtea compoſuere *Sodalitates*, alicui numini mancipatae, quae veluti parvae quaedam reſpublicae, legitima tamen auctoritate firmatae, ſua privatim ſacra colebant, pariterque ſimul agitabant convivia. Hujuſmodi autem ſacrae ſodalitates, quia fraternis animis ad ſacra epulaſque coibant, adeo ſunt νομιζομένῃ φρατρίᾳ (*putativa germanitate*) delectatae, ut non ſolum conſortium *ſociorum ſyſtema*, ſed ipſa *convivia*, & quod magis mirere, *tori* etiam *convivales*, ex aequo dictae ſint *Phratriae*, uti quam mox docebo.

CAPVT XII.

De *Phratria* aevo ſequiore pro *Sodalitio*, ac *toro convivali* uſurpata.

Demetrii Sceptii apud Athenaeum locus defenditur, & explicatur. Dalecampius & Caſaubonus notantur. Heſychius ex Joſepho Hebraeo illuſtratur.

AT *Phratria*, quae duodecimam nationis Atticae partem deſignarat, veluti a gradu dejecta ſuo, in arctum contracta fuit, eamque uſus temporum recentiorum nonniſi notandis parvis ſocietatibus, ſive ſodalitatibus addixit, mancipavitque; ad hoc inſtitutis, ut religioſo quodam apparatu in unum tabernaculum ſubinde convenientes, una ſimul epularentur. Ex quo commercio & animorum conſenſione factum eſt, ut ſodales qui forent, inſtar Athenienſium Phratorum, ipſi quoque *Phratores* vocarentur, tamquam *familiares*, & *affines*; & corpus ipſum *Phratria*; eoq. tandem deventum eſt, ut *Phratriae* vocabulum cum συσσιτίῳ (*convivio*), cumque ipſo *toro* convivali communicaretur. Quae promiſcua ſignificationum viciſſitudo non penitus obſervata, fraudi fuit nonnullis doctiſſimis viris, ut ſicubi *Phratriam*, ſecus ac olim uſurpatam, animadverterint, nihil quod extricarent, habuerint. Vt ecce *Phratriae*, quas Demetrius Sceptius apud Athenaeum IV. cap. 9. memorat, quia immaniter diſtant ab Homericis, & Athenienſibus Phratriis, male ſunt habitae ab interpretibus. Haud abs re fuerit, ipſa Dipnoſophiſtae verba producere, & latinam Dalecampii apponere verſionem:

Δημήτριος Σκέπτιος . . . . τὴν τῶν Καρνείων φησὶ ἑορτὴν παρὰ Λακεδαιμονίοις μίμημα εἶναι στρατιωτικῆς ἀγωγῆς· τόπους γὰρ εἶναι ἐννέα μὲν τῷ ἀριθμῷ· σκιάδες δὲ οὗτοι καλοῦνται, σκηναῖς ἔχοντες παραπλήσιόν τι· καὶ ἐννέα καθ᾽ ἕκαστον ἄνδρες δειπνοῦσι . . . ἔχει τε ἑκάστη σκιὰ φρατρείας τρεῖς· quae ſic interpretatur Dalecampius: *Demetrius Sceptius . . . inquit, Carneorum feſtum apud Lacedaemonios imitamentum eſſe militaris diſciplinae; etenim loca eſſe numero novem, quae umbracula vocant, tentoriis nonnihil ſimilia, in quorum ſingulis novem caenent homines, nimirum tribus ex Curiis terni delecti: mandato publico praecone denuntiante, ibi omnia geri, prorogarique feſtum in nonum diem.* Pro φρατρείας τρεῖς, Dalecampius legendum conje-

jecit, Ἐκ φρατρειῶν τριῶν τρεῖς, *audaci & immani conjectura*, ut jure merito Caſaubonus expoſtulat; qui tamen ipſe difficultatem, quae tranſverſum egit Dalecampium, non modo non expedivit, ſed etiam exaggeravit; inquit enim: *Conſtat Tribuum partes φρατρείας eſſe nuncupatas in republ. Athenienſium: an & in Spartana πολιτείᾳ eadem ejus vocis fuerit ſignificatio, non facile dictu eſt. Atque omnino, ſi quid judico, difficultate non caret hic locus*. Verum (quod bona cum pace doctiſſimorum virorum dictum ſit) Dalecampius merito accuſatur audaciae, ſed in Athenaei loco omnia, contra ac videbatur Caſaubono, plana ſunt & expedita.

Feſtum autem Carneorum apud Lacedaemonios proxime accedit ad *Scenopegiam* Hebraeorum, qui ex frondentibus ramis arborum intextis aedificabant σκήνας ἢ σκιάδας, *tabernacula* ſive *umbracula*, ut eo feſtivo apparatu antiquam ſuorum patrum vivendi rationem, ſub ejuſmodi tabernaculis in deſerto degentium, repraeſentarent. Lacedaemonii pariter, cum Carneorum feſtum inſtaurabant, novem Σκιάδας (*umbracula*) erigebant, & in unoquoque umbraculo novem homines, religioſum ſodalitium repraeſentantes, tribus accumbebant tricliniis. Tori convivales eo feſto Carneorum tempore, ut omnia ad veterum ſimplicitatem & patientiam apparerentur, e collectis foliis herbiſque apte compactis ſternebantur; qui tori a Graecis ἀπὸ τοῦ στείβειν, (*a calcando*) dicti ſunt Στιβάδες. At aevo ſequiore Φρατρείας & Στιβάδες (ut mox auctoritate Heſychii minime inficianda oſtendam) vocabula erant plane ſynonyma: quocirca liberum Demetrio Sceptio fuit, loco Στιβάδων uſurpare Φρατρείας, inquit enim: Ἔχει ἑκάστη σκιὰ φρατρείας τρεῖς, *unumquodque tabernaculum capax eſt trium tororum ſtramineorum*. In hunc ergo modum refinge Dalecampii latinam interpretationem, quae tenebras adeo denſas ſententiae perſpicuae offuderat, ut Caſaubonus hunc locum *difficultate non carere*, ſit arbitratus. Pone nunc tres homines in ſingulis accubuiſſe toris, ut in *tricliniis* Latinorum, facile colliges numerum novenorum convivarum, quot nempe Demetrius antea dixerat, in ſingulis tabernaculis una ſimul celebraſſe convivium ſodalitium.

Sed jam tempus eſt, ut obligatam fidem de praemonſtrata ab Heſychio nupera *Phratriae* notione, exſolvam. Φρήτρα (inquit Heſychius) καὶ Φρήτη. Φρατρία, συγγένεια, πατρικὴ γενέα· καὶ στιβάδες, καὶ συσσίτια. Lexicographus Alexandrinus omnes ſimul complectitur *Phratriae* ſignificationes, quae vario tempore obtinuerunt:

is

is itaque *Phratriae* nomine venire docet 1. *Cognationem*, & *patriam ſobolem*. 2. *Stibadia* & *ſodalitia convivalia*. Στιβάδες ſunt *tori* ſive lecti e frondibus intortiſque arborum ramis ſtrati, ad convivandum comparati. Συσσίτια notant tum *Sodalitates* eorum, qui ſimul epulantur, tum *locum*, quo conveniunt ii, qui Sodalitio nomen dederant. His animadverſis in proclivi colligere licet, *Phratriam* in loco Demetrii non ex priſtino Athenienſium uſu, ſed ex recentiore eſſe capiendam, eo nimirum, quem prodidit Heſychius, quando *Phratria* nimirum *Sodalitia convivantium*, & ipſos *toros convivales* ſignificabat.

Demetrii Scepſii lectionem apud Athenaeum, Heſychio mihi ſuppetias ferente, defendi atque illuſtravi. Nunc rurſus ipſum tuebor Heſychium: namque aegre mihi eſt, quod ex tot egregiis viris, qui ejus lexicum commentati ſunt, nemo unus exſtiterit, qui lexicographum hac parte, qua is *Phratriam* reddit convivale *Sodalitium*, aliquo ex antiquitate petito tibicine fulſerit. Heſychius ergo patria Alexandrinus, religione Chriſtianus, plurimum ex LXX. ſeniorum Interpretum lectione profecit; uti jampridem eruditiſſimi viri monuerunt, tantaq. cum fiducia id aſſeruerunt, ut ſenſerint, plenam Heſychii intelligentiam iis patere, qui in lectione LXX. Virorum fuerint verſati. Id ſi verum eſt, quod ceteroquin in dubium revocari nequit; mihi quoque concedatur oportet, Heſychium cum interpretatione LXX. Seniorum antiquitates etiam Hebraicas Joſephi copulaſſe, & ex utriſque voces, quas in ſuum comportaret lexicum, decerpſiſſe. Nemo ſane mihi eripiet, quin in promptu fuerit Heſychio ex uno Joſepho Hebraeo duplicem (1) *Phra-*

(1) Joſephus Antiq. Judaic. lib. V. cap. 1. 14. inter *familias* Tribus Judae (quas Φρατρίας appellat) recenſet *familiam* Sarachiae, quam cum voce συγγενεία (*cognatio*) commutat; praeterea lib. III. cap. X. 5. ubi de coena Paſchali, καὶ δὴ (inquit) θύομεν αὐτὴν (θυσίαν) κατὰ φρατρίας, μηδενὸς τῶν τεθυμένων εἰς τὴν ἐπιοῦσαν τηρουμένου, *& quidem per Phratrias* (i. e. *Sodalitates*) *illam hoſtiam celebramus, nihil victimarum in craſtinum ſervantes.* Is idem Bello Judaico lib. VI. cap. IX. 3. *Illi autem, cum feſtum, Paſcha appellatum, adeſſet, in quo a nona quidem hora uſque ad undecimam hoſtias mactant*, (ὥσπερ δὲ φρατρία περὶ ἑκάστην γίνεται θυσίαν) *quaſi vero Phratria* (h. e. Sodalitas) *circa unamquamq. victimam habebatur, ex hominibus numquam paucioribus decem* (*ſolis autem epulari non licet*) *ſaepe etiam viginti conveniunt*. Quibus ex locis, ubi *Phratria* tum pro *Cognatione*, tum pro *Sodalitate convivali* uſurpatur, haud futile argumentum duci poterit, Heſychium, qui eaſdem plane notiones aſſignat *Phratriae*, ex Joſephi lectione profeciſſe.

Phratriae interpretationem eruere : hic enim ſine ullo diſcrimine *Phratriam* appellatam oſtendit, tum *Cognationem* , tum *Sodalitium* ſive colligatam virorum cohortem , qui una ſimul agnum comedebant Paſchalem : quemadmodum Demetrius Scepſius hujuſmodi globum in aequali temporis circumſtantia *Phratriam* appellavit . Animadvertendum autem eſt , non quaevis Sodalitia convivalia fuiſſe *Phratrias* nuncupatas , ſed ea dumtaxat , quae non ſine religionis obtentu coibant & convivabantur: quandoquidem Joſephus Judaeos, & Demetrius Lacedaemonios , tunc in *Phratrias* diſcretos memorant , cum illi Paſchatis , hi Carneorum inſtaurabant feſtum .

Sed unde factum hariolabimur , ut *Phratria* , olim duodecima pars Attici populi , porro traducta fuerit & coarctata ad ſignificandam paucorum hominum cohortem , ſacris operaturam ? Hoc etiam indagare , mei eſſe penſi duco . *Phrator* , ut pag. 49. monui , vocabatur quicumque in cujuſq. Phratriae *Commune tabularium* fuerat conſcriptus : ſed per antonomaſiam *Phratores* appellabantur ii , quibus ea cura demandata fuerat , ut natalibus liberorum Athenienſium , qui in *Phratrium* deducebantur , exploratis , ſi de eorum ingenuitate conſtitiſſet , eorum nomina inter *Phratoras* referrent . Praeterea coram iiſdem Phratoribus nuptiae celebrabantur, maxime , ut fit vero ſimile , poſt legem latam , qua cavebatur , ut Athenienſis civis ingenuitas ex utroq. parente probanda foret : qua de cauſa Γαμηλία , ſive *nuptiale ſacrum* pariter in *Phratrio* expediebatur . Et quoniam ea occaſione victimae immolabantur , ibiq. epulabantur Phratores ; hinc factum eſſe reor , ut quaecumq. Sodalitates cuicumq. numini mancipatae ad ſacrificandum convenirent , ad Atticae conſuetudinis imitationem nuncuparentur *Phratriae* , & locus ipſe , quo conveniebant , *Phratrium* diceretur . Quid quod Curia Auguſtalium in latina inſcriptione apud Gruterum CCXIV. dicta reperitur *Phetrium ?* Quin immo ipſi Chriſtiani Scriptores illorum Sodalitates , qui eamdem de religione fovebant ſententiam , *Phratrias* , & locum , quo *orandi cauſa* congregabantur, *Phretrium* (2) appellare conſuevere . Omnia ferme ſodalitia , ſive

(2) Stephanus in φατρία : Λέγεται καὶ φάτριον τόπος , ἐν ᾧ οἱ τῆς αὐτῆς φατρίας συνήγοντο . *Dicitur etiam Phatrion locus , in quem homines ejuſdem Phratriae congregabantur* ; hactenus Ethnicographus cum Polluce facit , a quo III.52. φράτριον definitur templum, quo deducebantur pueri Athenienſes inter *Phratores* deſcribendi : ſed quae is ſubjecit , φατριάζειν ἔλεγον , τὸ ἐν τῇ φατρίᾳ εὔχεσθαι , ὅ ἐστι τὸ τῆς φατρίας ἔθος , *Phatriſſare dicebant in Phatrio pre-*

ſive corporata Collegia, praeter communem Curiam, quo coibant, habebant etiam commune ſepulcretum. Vide Reineſ. Cl. X. inſcrip. IV. Ad honeſtandas autem exſtincti ſocii exequias conveniebant ceteri ſodales, qui in Epigrammate Lucillii Antol. lib. II. cap. XXXII. 4. Φράτορες appellantur. Cave tamen inde capias argumentum, *Phratrias* Atticas, tamquam Sacerdotalia ſyſtemata eſſe habendas. Omnes quidem Athenienſes a puerili aetate inter *Phratoras* referebantur: verumtamen κατ' ἐξοχὴν vocabantur *Phratores*, qui politicis muneribus, quae Cap. IX. expoſui, advigilabant; quamquam & ipſi immolarent victimas & epularentur. Idem cernere licet in Romana republica. Singuli cives Romani in *Curias* erant conſcripti, ac proinde omnes ex aequo *Curiones* vocari potuiſſent; quoniam ipſe *agnus* qui immolabatur in *Curia*, a Plauto vertitur *Curio*: vel ſic tamen antonomaſtice ii vocabantur *Curiones*, qui in ſingulis Curiis ſacra tractabant.

Itaque Athenienſium *Phratriae* (ut *Curiae* Romanorum) politica ſyſtemata fuerunt; contra *Phratores* (ut *Curiones*) in ſua quique *Phratria*, ſacrorum etiam antiſtites: ex qua partita *Phratriae*, & *Phratoris* finitione, non animadverſa, ortae ſunt ſtrenuae illae concertationes, quas in Anteloquio deploravi; cum alii de politico Phratriarum ſyſtemate plane perſuaſi, ſacerdotii dignitatem a Phratoribus abjudicarunt; alii contra, eo quod explorate compererant ſacrificaſſe Phratores, contenderunt, Sacerdotes veluti in centurias collectos, Phratriis feciſſe nomen. Et quoniam veterum ſcriptorum teſtimonia ex una parte ſibi favere animadvertebant, ex altera officere, inſontes eorum, qui ſibi obverſabantur, manes inquietarunt, quorum alios pulſando luxandoque, alios equuleo & crurifragio mulctarunt. Sed jam querelarum ſatis. Ad Phratriacas inſcriptiones Neapolitanas accedo illuſtrandas, quarum in commentatione numquam a Phratria deponam oculos, ſed idem argumentum, ubi ſe dederit opportunitas, impenſius expoliam. Hoc in anteceſſum volo praemonitum lectorem, Phratrias Neapolitanas non metiendas eſſe Athenienſium modulo, ſed expreſſam Homericarum geſſiſſe imaginem Phratriarum.

PARS

precari, quae eſt Phatriae conſuetudo, haec, inquam, ad Chriſtianorum Phratrias pertinent. Chriſtiani autem *Phratriae* vocabulo vehementer delectati ſunt, non magis Atticiſmi ſtudio, quam ut ipſi ea familiari compellatione fraternae benevolentiae, Evangelico praecepto graviter inculcatae, admonerentur.

Digitized by Google

PARS ALTERA.

DE PHRATRIIS NEAPOLITANIS

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.

§. I.

Phratriarum Neapolitanarum e vett. lapid. notitia & recenſio. Varia Phratriarum ethnica *ſive gentilitia cognomina indicium faciunt,* multiplices gentium *catervas aequo jure in unam Civitatem Neapol. coiviſſe. Par ſyſtema politicum in Thurina Civitate Magnae Graeciae obſervatum oſtenditur. Plato e Thuriorum conſtitutione nonnihil in ſua condenda republ. profecit. Quid* aquae Medimnus *in Diodoro Siculo. Vocabula ſynonyma* Tribus & Phratria. *Romanorum* Curiae *a locis, non a raptis Sabinis, denominatae.*

DE Phratriacis inſcriptionibus Neapol. plures litterati viri mentionem fecerunt, Scaliger praeter ceteros, Salmaſius, Reineſius, Fabrettus, Mazochius, ſed obiter quidem, alioque properantes, has illuſtrare non ſui eſſe penſi duxerunt. Vtinam Laſena noſter, quod in ſuo *Gymnaſio Neap.* ſaepe fuerat pollicitus, exſequi potuiſſet. Hic enim inſcriptiones, de quibus loquor, ſimul collectas ſe fore editurum promiſerat; ſed acerbo fato, vel qua alia cauſa interceptus, nihil nobis de promiſſis ſuis niſi deſiderium reliquit. Conſilium tamen, quod animo Laſena agitarat, non multis abhinc annis exſecutus eſt Scriptor *Thecae Calamariae*, qui pleniorem quam quivis alius, Phratriarum Neapol. catalogum, plurima eruditione locupletatum, concinnavit: quo nomine affatim gratiae ab aeſtimatoribus rerum patriarum ſibi demeruit. At vero in ea noſtri hominis commentatione plurima quidem ſunt, quae feliciſſimum ingenii ſui acumen oſtentant, ſed non pauca occurrunt, quae praecipitem ejus in ſcribendo arguunt celeritatem. Equidem pro certo habeo, plura ipſum e ſuis lucubrationibus fuiſſe reciſurum, ſi quae ſubito mentis calore effuderat, paullo maturius retractaſſet. Pro Phratriis, ut ſibi videbatur, ſacris ſodalitatibus, conatu maximo decertabat, qua ceteroqui in opinione alii quoque eruditiſſimi viri verſati ſunt; ſed nemo unus eorum tan-

Digitized by Google

tum ſibi licentiae dari arbitratus eſt, ut quae loca veterum ſcriptorum ſibi adverſantia occurrebant, pro libidine inverteret, diſtorqueret, eraderetque. Jam vero quoniam Attica regio in XII. Phratrias fuerat diſtributa; ipſe, ut totidem numero Phratrias in urbe Neapoli, quae nihil cum Athenis (1) habet commune, proderet, e ſuo myrothecio deprompſit Phratrias *Agarrheenſium* & *Eumidarum*, confidentia plane deploranda. Praetereo nunc alias hujuſmodi aberrationes, veluti ubi pro Phratria *Cymaeorum*, qui Cumani ſunt, ſuppoſuit Phratriam *Cynaeorum*, h. e. *impudentium*, quos ipſe non ſat liberaliter *Alexandrinos* interpretatur; namque mihi decretum eſt, Catalogum Phratriarum Neapolitanarum, de quibus explorata habemus teſtimonia, refingere atq. illuſtrare; quod cum exſequar, ad examen ea, quae a Cl. Viro mihi ſecus expoſita videntur, revocabo; atq. ea adjiciam, quae ipſe praeter lectoris expectationem incurioſe tranſiluit.

Cognomina Phratriarum quae nobis innoteſcunt, ſunt hujuſmodi, *Eumelidarum*, *Eunoſtidarum*, *Artemiſiorum*, *Panclidarum*, *Oenonaeorum*, *Ariſtaeorum*, *Cymaeorum*, *Antinoitarum*. Quae denominationes aut recta gentem aliquam produnt, aut per patronymica alicujus Herois illam gentem deſignant, a qua ſcilicet ipſe Heros colebatur eximie. Tales enim appellationes (uti monet Stephanus in v. Ἀθῆναι) a clarioribus viris deſumptas mos erat uſurpandi (2). Has autem Phratrias legenti prima quae ſe offert, il-

(1) Neapolitani non Atticiſmi ſtudio civitatem in *Phratrias* diviſerunt, ſed quia ita a veteribus conditoribus ſuis fuerunt inſtituti. Praeterea Attici ſcriptores nunquam non φρατρίας, φράτορας & φράτριον extulerunt, contra Neapolitani φρητρίας, & φρήτορας. Adhaec qui inſcriptiones apud Gruterum p. CCXXIV. & p. CCCCXVIII. 6. concinnarunt, ii pro Curia uſurparunt *Phetrium*, & urbis regiones verterunt *Phetrias*; hi profecto non Attica dialecto, ſed ore Neapolitano loquuntur. Diſcrimen quidem leve eſt, ne dicam frivolum, ſed tanti, ut par ſuadendo ſit, Neapolitanos non ab Atticis eam vocem, ſed a Pelaſgis Aeolicis (Herod. VII. 95.) fuiſſe mutuatos. Sane id vocabulum ab Homero & Herodoto φρήτρη effertur. Sed quod maxime Phratrias Neapol. diſcernit ab Athenienſibus illud eſt, quod Atticae Phratriae latiſſimae erant acceptionis, tertiamq. cujuſq. Tribus partem complectebantur: nec plures quam XII. in tota Attica numerabantur. At Phratriae Neapol. erant unius ejuſdemque civitatis diviſiones, ut *Curiae* Romanorum. Varro certe ob oculos habens Phratrias Neapol. *Fratriam* interpretatur *Populi partem*.

(2) Veteres populi geſſerunt nomina aut primi conditoris, aut illius qui in ea gente magis magiſque inclaruerit. Argumento ſint *Achaemenidae*, *Dardanidae*, *Pelopidae*, *Aeacidae* &c. Taren-

Digitized by Google

illa eſt erudiendi cupiditas, quinam fuerint *Eumelidae*, *Eunoſtidae*, *Oenonaei* &c. quaenam inciderint cauſae, ut populus unius urbis Neapolis in plures divideretur Phratrias. Atqui eruditiſſimus Scriptor noſter has inquiſitiones ſuſque deque habens, hoc unum negotium ſibi dari arbitratus eſt, ut intento digito oſtenderet, quas urbis noſtrae regiones priſci illi Phratores, duobus annorum millibus retro, occuparint: ac re ipſa adeo definite praeciſeque eo munere defunctus eſt, quaſi ipſe praeſens adfuiſſet, quum ſpatia urbis primis ejus colonis habitanda aſſignarentur. Mihi vero auctor noſter operam ea ſuper re luſiſſe videtur: namque leviſſimi ponderis illud eſt indicium, quod ex urbis loco capit, ubi inſcriptiones Phratriacae nudius quintus, ut ita dicam, palam expoſitae proſtabant: quaſi ſcilicet monumenta vetera, ubi primum fuere propoſita, poſteri religioni ſibi duxerint, inde movere, eaque, veluti immobile *Termini* ſaxum, ſint venerati. Quamobrem hiſce incertis pariterque inanibus concluſionibus poſthabitis, equidem ex denominationibus *Eumelidarum*, *Eunoſtidarum* &c. ar-

I 2 gu-

rentini appellabantur *Phalantiadae*, a *Phalanto* ſcilicet, qui Parthenias Tarentum deduxit. *Stephan.* in v. Ἀθῆναι. Cui Phalanto Tarentini, uti Juſtinus ex Trogo narrat, divinos honores decreverunt. Itaque Phretores *Eumelidae* illi eſſe produntur, qui in Pelaſgiotide *Eumelo*, Regi Pherarum, Homeri carminibus nobilitato, paruerunt. *Eunoſtidae* intelligendi ſunt ii Boeotii, apud quos *Eunoſti* herois cultus quam maxime viguit. *Panelidae* ſunt, qui ex *tota Elide* collecti (quae in IV. partes dividebatur) huc advenerant. Aegina inſula, quae olim vocabatur *Oenone*, ſibi aſſerit *Oenonaeos*. De *Ariſtaeis* & *Artemiſiis* etſi nihil habeo quod exploratè dicam; verumtamen ubi ad has Phratrias devenero, utroſq. non ſine aliqua ipſorum originis divinatione, dimittam. Hiſtorica porro fides dubitare non patitur, *Cumanos* a noſtris civibus in aequum jus civitatis fuiſſe receptos. Denique Neapolitani ad ineundam gratiam Hadriani, ex *Antinoo* jam inter Divos relato, Phratriam *Antinoiton* inſcripſerunt; quemadmodum Athenienſes pari adulationis erga ipſum *Hadrianum* ſtudio, veteribus XII. Tribubus tertiam ac decimam Tribum *Hadrianidem* addiderunt. Verum quae hic breviter ſum complexus, latius diducam, tum cum Phratrias ſigillatim exponam; ubi in earum cognomina curioſius inquirere vacabit. Praeter octo haſce enumeratas Phratrias, forſan alias inſuper exſtitiſſe, quis tot veteribus monumentis vel temporis edacitate, vel hominum incuria barbarieque corruptis, negare auſit? Sane me piget, quod nulla de *Rhodiis*, atque *Athenienſibus* bene de republ. Neapolitana meritis ſuperfuerit memoria. Rhodios quidem Geographus lib. XIV. p. 654. *ante Olympiorum inſtitutionem* (ἐν Ὀπικοῖς Παρθενόπην) *in Opicis Parthenopen* condidiſſe refert: & Scholiaſtes ad Lycophr. v. 732. paucis monet, Diotimum claſſis Atticae Praefectum, Λαμπαδηδρομίαν (*curſum in quo lampades accenſae ferebantur*) Athenis uſurpatam, invexiſſe Neapolim.

gumentum capio, antiquos urbis noſtrae conditores, ex variis Graeciae tractibus excitos, hanc civitatem condidiſſe, eamque aequo jure ſtabilitam in Tribus, ſive Phratrias, ſibi diviſiſſe.

Quaenam inciderint cauſſae, ut populi relicto patrio ſolo in alias terras habitatum conceſſerint, facile quivis ſibi poterit perſuadere, veteres incolas vel ab hoſtibus exturbatos, vel ſterilitate agri, caelique inclementia, vel qua alia calamitate coactos, alio migrare conſueviſſe. Saepe juventute exuberante, & fundis alendae tantae multitudini haud ſufficientibus, perſuaſum fuit junioribus, ut novas ſibi quaererent terras uberiores. Interdum deducebantur coloniae non publico conſilio, ſed perſuaſione cujuſdam privati viri, qui ſolum vertere coactus, plurimos auctoritate ſua pollicitationibuſque ineſcavit, ut ſecum aufugerent, alibique meliorem fortunam experirentur. Tlepolemus Heraclides ob interfectum Lycimnium fertur ab Homero Boeot. v. 173. compegiſſe naves, ingentemque populum in inſulam Rhodum aſportaſſe, atque ibi *populo* (τριχθὰ καταφυλαδὸν) *in tres partes diſtributo*, condidiſſe Lindum, Jalyſſum & Camirum. Hoc etiam uſu obtinuit, ut Cives originis Graecae vel ejecti a patria, vel ad ſolitudinem redacti, confugerent ad populum potentiorem, & flagitarent, ut ejus opera vel reſtituerentur in patriam, vel ſubmiſſo colonorum ſupplemento ſuae civitatis conſuleretur frequentiae ac ſecuritati. Si populus exorari ſe patiebatur, auxilia decernebat, & parata claſſe creatiſque copiarum ductoribus, praecones mittebat in Peloponneſum, ut ipſi coloniam deducendam denuntiarent, & ut qui in eam tranſcribi vellent, ſuum quiſque nomen darent. Vt auditorum animi facilius allicerentur, inſignes, uti ſit veriſimile, a praeconibus proponebantur utilitates, veluti juris aequabilitas cum antiquis civibus ejus urbis, quae novis erat colonis ſupplenda, fortunarum copia, domus, praedia, caeli clementia, ſoli ubertas, aliaeque id genus illecebrae. Peloponneſus autem veluti maximum totins Graeciae habebatur theatrum, ibique quicquid erat Graeci nominis ex Aeolenſibus, Jonibus, Doribus, diverſabatur. Hinc excita plurium colonorum colluvies, atque in deſtinatam regionem traducta, καταφυλαδὸν (*per Tribus*) dividebatur, cuique Tribui nomine ejus regionis, quae ſingulis patria fuerat, impoſito. Ne quis autem ea, quae in coloniarum deductionibus obſervata retuli, a me ſine teſtibus jactata opinetur, graviſſimi hiſtorici locum, Diodori nempe Siculi, tametſi longiuſculum haud gravabor afferre;

quo-

Digitized by Google

quoniam ex ejus lectione plura ſcitu jucunda docebimur.

Ergo Diodorus de Thurio condito in vicinia Sybaris, a Crotoniatis redactae ad ſolitudinem, haec lib. XII. p. 295. tradidit: *Sybaritae, qui ſecundo e patria exacti profugerant, miſſis in Graeciam legatis, a Spartanis & Athenienſibus flagitant, ut & reditûs adjutores, & coloniae participes eſſe velint. Lacedaemonii quidem petitionem illorum non admittunt; ſed Athenienſes, decretis auxiliis, X. naves milite completas Sybaritis mittunt; quarum Lampon & Xenocrates praefecti: Praeconibus ergo huc illuc per urbes Peloponneſi miſſis, publice denuntiant, liberam ſe copiam facere omnibus coloniae ſe novae aggregandi. Non exiguus inde numerus* (3) *aſſenſum praebet. Atque hi conſulto Apollinis oraculo, qui monebat, illic loci condendam eſſe urbem, ubi* (μέτριόν ὕδωρ) *modicae aquae potus, panis vero citra menſuram ſuppeteret, in Italiam navigarunt; & cum Sybarim appuliſſent, locum habitationis a Deo juſſum inquirunt: & ſcaturigine non procul a Sybari inventa (cui nomen* (4) *Thuriae) per aeneum canaliculum, quem accolae* Medimnum (5) *vocabant, latices effundente, ſedem hanc eſſe a Deo praemonſtratam interpretati, circumductis moenibus oppidum ibi ſtatuunt, quod de fonte* Thurium *indigetant. Tum urbis longitudo ab ipſis in IV. plateas diſtributa fuit, quas* Heracleam, Aphrodiſiadem, Olympiadem *&* Dionyſiadem *vocant: latitudo vero in III. plateas, quas* Heroam, Thuriam, & Thurinam *appellant. Cumque vicos his interjectos domibus expleviſſent, urbs commode digeſta, & pulchre exaedificata videbatur. Ad exiguum vero tempus concordia inter Thurios viguit, graviq. admodum reſpub. ſeditione, non ſine cauſa vexari coepit. Nam antiqui loci poſſeſſores Sybaritae praecipuos magiſtratuum honores ſibi uſurpare,* in-

(3) Quo in numero fuit Herodotus, qui municeps *Thurii* factus, per antonomaſian (θούριος λογοποιὸς) *Thurius hiſtoricus* ſalutatur. Advertendum tamen eſt, Herodotum aliquanto fuiſſe juniorem Charonda, Thurii legislatore.

(4) E ſcaturigine *Thuria* quaeſitum urbi cognomen *Thurii*. Illa autem veriſimiliter id nominis nacta eſt, quia θοῦρε, *cum impetu ebulliebat*. Eadem plane aquas *eructandi* ſpecies fecit, ut regio urbis noſtrae, ubi vetus Gymnaſium ſteterat, a ſcaturigine ibi *ebulliente*, vulgo nuncupetur *Bollo*; h. e. θούριον.

(5) *Medimnus* aridorum & liquidorum erat μέτρον i. e. *menſura*. Bibere *aquam in menſura* (ὕδωρ ἐν μέτρῳ Ezechielis IV. 11. 16.) de iis dicebatur, quibus aquae, quantam quiſque vellet, copia deerat. Hinc ille fontis Thurii canaliculus, quia μέτριον ὕδωρ (ut inquit Diodorus) *modicam aquam*, quaſi in *menſura*, ſuppeditabat, appoſite *Medimnus* vocabatur.

Digitized by Google

inferiores autem minuſq. conſpicuos nuper adſcriptis civibus attribuere. Tum ad ſacra Deûm primo loco admittendas antiquorum civium matronas, poſtremo illorum, qui poſtea in jus civitatis venerant, cenſere. Ad haec vicinum urbi agrum inter ſe partiti, remotiorem advenis hoſpitibus relinquere (6). *Cum hic diſſidiorum ignis in funeſtum ſeditionis incendium erupiſſet; adoptati nuper in civitatem cum numero, tum viribus potiores, vetuſtos Sybaritas prope omnes ad internecionem delent, & ſuo urbem arbitrio adminiſtrandam vindicant. Sed cum fertilis & elegantis multum adhuc agri ſupereſſet, cultores ex Graecia non paucos arceſſunt, inter quos & reliquas in urbe ſedes, & agrorum fundos aequali ſorte diſtribuunt. Reſidua ergo civium frequentia magnas brevi divitias accumulavit: initoque cum Crotoniatis amicitiae foedere, praeclare rempubl. adminiſtrarunt: eâque ad ſtatum popularem confirmatâ, Cives* (εἰς δέκα φυλὰς) *in X. Tribus* (7) *digeſſerunt, quibus a ſua cuique gente* (προσηγορίας) *nomina indiderunt. Tres e Peloponneſo collectas nominarunt* ARCADEM, ACHAIDEM, *&* ELEAM: *totidem populis extra* (Peloponneſum) *cuique*

(6) Inaequalis agri diſtributio invidiam procul dubio creabat: namq. ii, qui longinquos ab urbe agros colebant, majore non ſolum incommodo a longinquitate, ſed etiam difficultate ab extrudendis mercibus, laborabant. Remedium huic inaequalitati Charondas Pythagoreus attulit, *qui*, ut Diodorus h. l. narravit, *inſpectis diligenter, & probe conſideratis omnium aliorum ſanctionibus optima quaeq. inde excerpta, in legum ſuarum corpus redegit*. Sed qualem is malo huic medicinam fecerit? illam nimirum, quam poſtea Plato in condenda ſua republ. ſecutus propoſuit, ut ex agri menſura cuiq. civi attribuenda, pars prope moenia, altera procul ab urbe aſſignaretur. Compertum autem eſt ex Laertio II. 8. 9. Platonem magni Pythagoreos feciſſe, ex iiſq. profeciſſe non parum. Me certe Thurinam rempubl. cum Platonica conferentem, non mediocris inceſſit ſuſpicio, Platonem rempubl. ſuam, quod in hanc partem ſpectat, ad Thurii archetypum elaboraſſe. Hic autem vel ex Pythagoreis, quibus uſus eſt familiariter, vel ex iis ſcriptoribus, quos Diodorus in ornanda ſua *Bibliotheca* auctores habuit, edoctus, urbis & agri inter cives Thurinos aequalitatem admiratus, hanc in ſuis libris de Legibus, praeſertim lib. V. p. 745. Edit. Steph. inculcavit.

(7) Populi Thurini *diviſiones* a Diodoro vocantur φυλαὶ, ſed φυλαὶ ſive *Tribus*, hujus loci, non gentes integras, quae φῦλα vocantur Homero, ſed pauca quorumdam congenerum populorum deſignant examina, quae excita e ſuis patriis, & in coloniae Thurii ſupplementum deducta, *Thurium* veluti communem patriam colebant; attamen hujuſmodi populorum examina, priſtinae originis tuendae gratia, dividebantur in φυλὰς, vel, ſi loci uſus ſic ferebat, in φρατρίας, cognomines locis, unde devenerant. Quocirca mirandum haud eſt, ſi Servius ſynonyma vocabula reputarit *Phratriam*, ac *Tribum*. Vide dicta p. 41. adn. 2. In urbe *Thurio* diviſiones populi vocabantur φυλαὶ, at Neapoli *Phratriae*; ut φῦλα ab Homero dividuntur in φρήτρας.

que tribui cognatis BOEOTICAM, AMPHICTYONIDEM, *&* DORICAM : *quatuor inde reliquas ex aliis gentibus* IADEM, ATHENAIDEM, EVBOEAM *&* INSVLAREM (8). *Legislatorem autem ex civibus eruditae ſcientiae cultu ſpectatiſſimis optimum, Charondam delegerunt*. Hactenus Diodorus.

Colonia Thurium deducta ex X. Graeciae regionibus contracta fuerat, ex *Arcadia* ſcil. *Achaja*, *Elide*, *Boeotia* &c. Coloni cum ſua quiſq. familia ubi Thurium advenerunt, unum quidem corpus civitatis conflarunt, ſed pro vetuſto (9) more in Tribus cognomines patriis, quas deſeruerant, aequo jure fuerunt diſtributi; hinc Tribus *Arcas*, *Achaïs*, *Elea*, *Boeotia* &c. Eamdem in Latio conſuetudinem ſecutus eſt Romulus, qui convenas populos partitus eſt in *Curias*, quibus non raptarum Sabinarum, ut nonnulli comminiſcebantur (10), ſed utique nomina indidit vel ducum, vel locorum, unde ὁμόφυλοι (*ejuſdem gentis*) exciti fuerant; ſicuti Curia *Tatienſis*, *Tifata*, *Velienſis* &c. Hiſce autem luculentiſſimis praelucentibus exemplis copia mihi datur judicandi, Phratrias *Eumelidarum*, *Eunoſtidarum*, *Cumanorum* &c. quae in vetuſtis noſtratibus epigraphis comparent, totidem diverſa exſtitiſſe agmina Colonorum, qui hanc urbem una ſimul incoluerint, eamque in *Phratrias* h. e. in congeneres civium familias, aequo ſint jure partiti.

§. II.

(8) Manifeſtae ſunt regiones, unde coloni Thurium ſunt deducti. Per *Athenaidem* deſignantur *Athenienſes*, praeſertim quia Praefecti Claſſis, aſportandae hujus multitudinis gratia, Lampon & Xenocrates erant Athenienſes. Per Ἰάδα vero & Νησιῶτιν notantur evocati e gente *Jonica*, & ex multiplicibus Graeciae *Inſulis*: ferme ut apud Herodotum VII. 95. ubi inter populos, quibus navalia ſubſidia Xerſes imperarat, recenſentur Ἴωνες κ' Νησιῶται, *Jones*, *&* *Inſulares*.

(9) Naturae ceteroqui conſentaneum fuit, ut extorres praeſertim a patria, quae occupaſſent loca, cognomina ſuis antiquis laribus facerent, ad qualecumq. ſoli patrii a ſe deſerti levamen & ſolatium. Vide Servium ad illud Aen. VI. 383. *Gaudet cognomine terrae*. Praeſertim id animadvertere licet in Pelaſgis, qui ciconiarum inſtar vagantes, ubicumq. ipſis nidificandi fiebat poteſtas, fere numquam ex animo nomina veterum deponebant patriarum.

(10) Halicarnaſſeus II. p.112. ubi propoſitâ fabula de Sabinarum nominibus, haec ſubjecit: *Sed Terentius Varro hac parte diſſentit a reliquis*, aſſerens, jam antea nomina Curiis a Romulo fuiſſe impoſita, tum cum diſtribueret multitudinem (τὰς μὲν ἀπ' ἀνδρῶν ληφθείσας ἡγεμόνων, τὰς μὲν ἀπὸ πατρίδων) *partim a ducibus*, *partim a* (veteribus) *patriis deſumpta*. Plutarchus in Romulo p.30. *Singulae* (Tribus) *denis conſtabant Curiis*, *quibus Sabinarum impoſita fuiſſe nomina*, *quidam autumant*: *verum id*, *quia* (πολλὰς ἀπὸ τῶν χωρίων ἔχουσι τὰς προσηγορίας) *complures habent a regionibus cognomina*, *falſum videtur*.

§. II.

Phratriae *Neapol. ſuis quaeque temporibus conſignantur. Vrbs* Parthenope *a Rhodiis condita: ex quo urbis nomine conficta & mutuata eſt nomen Siren* Parthenope, *non contra; nempe ut urbi celebritas Homerica conciliaretur.*

INtelleximus jam a Diodoro Siculo decem Graeciae populos una ſimul navigaſſe Thurium in Magna Graecia. At eâdem ne expeditione omnes pariter *Eumelidae*, *Eunoſtidae*, *Artemiſii*, *Rhodii* (1), *Panelidae*, *Ariſtaei. &c.* an ſinguli per temporum intervalla in urbem noſtram advenerint, nihil certi pronuntiari poteſt. Namque uſuvenire ſolebat, ut alienigenae ſubinde advenientes, ab alicujus urbis civibus vel vi vel ſponte, in aequi juris admitterentur ſocietatem. Exempla ſunt obvia (2). In hoc tamen incerto rerum, mihi varias urbis noſtrae nomenclaturas modo *Eumelidis* vocatae, modo *Parthenopes*, modo *Neapolis*, pariter & *Palaepolis*, reputanti, ſubit animum cogitatio, diverſos populorum greges ac diverſo quidem tempore huc adveniſſe; indeq. repetendam eſſe cognominum varietatem. Profecto qui epocham *Phratriae Eumelidarum*, ad mythica tempora pertinentis, cum ea certa exploratаque aetate contulerit, qua *Cumani* fuere in *Phratriam* recepti, facile in meam ingredietur ſententiam. Animadverſa itaque hujuſmodi varietate temporum & colonorum, me rem non ingratam Neapolitanis facturum confido, ſi tum colonorum, tum urbis nomenclationum viciſſitudines ſuis conſignem temporibus.

Nulla aetas coloniarum huc illuc deductarum feracior exſtitit eâ, quae belli Trojani tempeſtatem aut praeceſſit, aut excepit; ſed haec eadem aetas omnium maxime latrociniis terra marique no-

(1) Rhodiorum nulla quidem exſtat hodie mentio *Phratriae*, quae teſtetur, olim in civitatem noſtram fuiſſe receptos. Attamen quia Strabo docet, ab his conditam *Parthenopen in Opicis*; Rhodii a catalogo veterum urbis conditorum ſine injuria expungi nequeunt.

(2) Pauſanias lib. VII. cap. 2. *Incolebant Cares eam Aſiae partem: ab iis Cretenſes* (σύνοικοι) *in domicilii ſocietatem recepti:* & mox cap. 3. *At Jones icto cum Graecis, qui Colophone conſederant, foedere* (συνεπολιτεύοντο οὐδὲν πλέον ἔχοντες) *aequabili cum illis jure, civitate eadem fruerentur:* & cap. 4. *Ac eo quidem tempore, qui inſulam* (Samum) *incolebant, vi potius coacti, quam benevolentia adducti* (συνοίκους) *in penatium ſuorum ſocietatem Jonas receperunt.*

Digitized by Google

nobilitata fuit, *quum hoc factum* (ut inquit Thucydides initio ſuae hiſtoriae, ubi facies hujus aevi graphice deſcribitur) ***nondum ignominiam, ſed nonnihil gloriae potius afferret***. Quamobrem cum intuta res eſſet ultro citroque commeare; ſi colonia deducenda eſſet, ne a piratis interciperetur, neceſſe fuit, ut claſſe alicujus populi θαλαττοκρατοῦντος (*mari-potentis*) vel duceretur, vel protegeretur. Maris imperium obtinuerunt *Pelaſgi*, *Rhodii*, *Phoenices*, *Aeginetae*, *Athenienſes* &c. quos Caſaubonus Comment. in Polybium haud procul a fine, recenſet, & quamdiu ſinguli pelago imperitarint, ex Euſebii chronico definit. Itaque ſi quando de alicujus coloniae epocha inquiratur, dummodo alicunde innoteſcat, cujuſnam ductu populi ſit exportata; ejus primordia facile in eam rejicientur aetatem, qua is populus maris imperium occupabat. Hac autem animadverſione in conſilium adhibita, facile datur conjiciendi opportunitas, primam coloniam fuiſſe Neapoli fundatam a Pelaſgis, & quidem paullo poſt excidium Trojae. Cujus conjecturae argumentum capio tum ex maris imperio, quod adhuc penes Pelaſgos aliqua ſaltem (3) ex parte ſupererat; tum ex antiquo hujus urbis nomine, quod a Statio noſtro proditur ***Eumelis***, & cives a Silio Italico vocantur ***Pheretiadae*** (4); utique ſic dicti ab ***Eumelo Pheretiade***, rege ***Pherarum*** in ***Pelaſgiotide***, qui bello Trojano pro Graecis militavit. Nolo tamen quis opinetur, ipſum Eumelum huc locorum coloniam deduxiſſe; ſed conjicere praeſtat, Pherarum Pelaſgos in ea deductione primas obtinuiſſe partes; qui pro conſuetudine illius aevi ſuo ab heroe nuncupati ſunt *Eumelidae*, ut eo patronymico diſcriminarentur ab aliis congeneribus Pelaſgis, longe lateque per Chalcidicam regionem, Boeotiam, Phocidem, Euboeam, Aſiam, & Helleſponti oram diſperſis. Pelaſgos vero Eumelidas, qui decreverant in Italiam navigare, quo alii Pelaſgi ſuperioribus aetatibus pervenerant, ſeque adjunxerant Aboriginibus (Dionyſ. Halicarn. I. p. 15.), in ſuae navigationis coloniaeq. ſtabiliendae ſocietatem ingentem ex Boeotia & Peloponneſo populum contraxiſſe, inde ſit veriſimile, quod in hac urbe Neapoli ſimul cum Phratria *Eumelidarum* conſociatas

 intue-

(3) Strabo XIII. p.621. Dionyſ. Halicarn. I. p. 20.

(4) Hodie in vulgatis Silii Editionibus legitur: *Muri Pherecyadum*, & alibi *Phereciadum*. Sed ibi legendum *Pheretiadum* h. e. Pheretiadarum, ſuo loco docebitur.

Digitized by Google

intuemur Phratrias *Eunoſtidarum* & *Panelidarum*: quae ſociorum cognomina, per aeque pollentes enuntiationes, inſinuant *Boeotios* & *Elidenſes*, ſeſe comites ad congeneres Pelaſgos *Eumelidas* applicuiſſe, & condidiſſe urbem, quae initio a Pelaſgis *Eumelidis*, coloniae ducibus, vocata fuit *Eumelis*, ut ea urbs effertur a Statio. Ceterum alia mihi in promptu ſunt indicia de Pelaſgis urbis noſtrae conditoribus; verum ne ſeriem populorum mari-potentium abrumpam, §. ſeq. exponam.

Poſt Pelaſgos Rhodii imperium maris obtinuerunt, qui *Parthenopen* h.e. Neapolim, condidiſſe feruntur. De *Rhodiorum* coloniis quaquaverſus emiſſis operae pretium eſt Strabonem ita lib.XIV. p. 654. differentem audire: *Res eorum mari ſecundas fuiſſe non ab eo demum tempore, quo urbem, quae exſtat hodie; ſed etiam ante Olympiorum inſtitutionem permultis annis eos procul a patria claſſem eduxiſſe hominum ſervandorum cauſa. Ita & uſque ad Hiſpaniam eos navigaſſe, & Rhodum condidiſſe, poſtmodo a Maſſilienſibus occupatam; (* ἐν δὲ τοῖς Ὀπικοῖς τὴν Παρθενόπην *) & in Opicis Parthenopen*. Condita h. e. amplificata (5) dicitur a Rhodiis urbs *Parthenope in Opicis*, ne cum alia cognomine confunderetur. Quemadmodum autem advenae Jones (v. adnot. 2. p.72.) a Graecis Colophoniis, ita Rhodii ab Eumelidis in domicilii juriſq. ſocietatem fuerunt accepti. Rhodii porro coloniam ſuam nomine illuſtris alicujus feminae Rhodiae compellarunt *Parthenopen*. Pauſanias initio Boeot. monet, oppida fuiſſe interdum a viris, ſed *plerunq.* a feminis cognominata. Sed ne a Rhodiis diſcedam, Strabo ibid. refert, Tlepolemum, qui primus e Graecis *Rhodum* occupavit, oppidis a ſe conditis nomina a Danai filiabus impoſuiſſe. Parthenope ubi e vivis exceſſit, ſollemnia juſta ludorum decreta ſunt, & quotannis ad ejus tumulum inſtaurata. Ejus ſepulcrum adhuc aevo Strabonis oſtentabatur. Sed e tumuli honore facile colligitur, Parthenopen inter viragines magni nominis, non inter fabuloſas Sirenas, eſſe referendam: quod novitium commentum nullum habet in Homero (6) praeſidium; praeterea qui primus Par-

(5) Κτίζειν (*Condere*) non adeo ſtricte capiendum eſt, quaſi Rhodii omnium primi hanc urbem erexerint a fundamentis. Saepe enim *facere*, aeque ac *condere* pro *reficere* & *inſtaurare* uſurpatur, praecipue ubi additamenta facta priorem molem vel amplitudine ſuperant, vel elegantia.

(6) Sane Euſtathius duas omnino Sirenas, non tres ab Homero agnitas, animadvertit; id quod colligit ex numero duali *Inſularum* Σειρηνοῖιν, ac poro

Parthenopen noſtram uti ſemi-volucrem depinxit, ſexcentis ferme annis (7) junior eſt eâ epocha, qua Rhodios condidiſſe in Opicis urbem Parthenopen traditur. Vehementiſſimum, quo calebant homines, per Homeri (8) carmina inclareſcendi ſtudium effecit, ut Parthenope una e Sirenibus Homericis exſtitiſſe jactaretur. Sed

ro ex Homeri ſilentio negat eas *alis* inſtructas fuiſſe, aut *in mare ſe praecipitaſſe*: addit praeterea, ternarium Sirenum numerum, earum propria nomina, alarumque remigia, recentiorum fuiſſe commentum mythologorum, inter quos recenſet Lycophronem, magni ceteroqui nominis poëtam & auctoritatis.

(7) Lycophron poëta tragicus floruit temporibus Ptolemaei Philadelphi, qui regnum Aegypti auſpicatus eſt Olympiade CXXXVI. At *Parthenope* urbs in Opicis condita fuit a Rhodiis *ante ludorum Olympiorum inſtaurationem*, ut Strabo docet; quo aevo nihil dum de *Sirene Parthenope* inauditum fuerat.

(8) Poſtquam Lycurgi & Piſiſtratidarum opera Homeri carmina Graecis innotuerunt, incredibile dictu eſt, quanta cum voluptate excepta fuerint, quantoque habita in pretio; uſque adeo, ut ſi quae controverſiae divini humaniq. juris incidiſſent, ejus auctoritate dirimerentur. Ejuſdem ſententiae, veluti Oracula Delphica reputatae, ab ipſis Philoſophis veluti quaedam emblemata ſuis inſerebantur commentariis. Vide egregium Pauſaniae locum m. pag. 349. ubi is inquit: *Haec ab Homero ad juvandos homines univerſos edita ſunt, rerum bene gerendarum exempla.* Quocirca quiſque Homeri verba apiceſque ea ſedulitate, qua exta haruſpex, perluſtrabat, uti genus ſuum vel patriam poſſet ex Poëtae carminibus illuſtrare: itaque ſe immortalitati commendatum arbitraretur, etiamſi nomen ſuum male apud Homerum audiret. Alexander Magnus aliquando dixiſſe fertur: *Malle ſe Therſitem Homeri eſſe, quam Choerili Achillem.* Acro ad Art. Poet. v. 357. Nimirum is tanti per Homeri carmina quoquo modo inclareſcere faciebat; ut etſi ibi ridiculam perſonam *Therſitis* ageret, diurius tamen in poſteritatis memoria vivere ſperaſſet, quam ſi ut *Achilles* extolleretur a Choerilo. Quae cum ita ſint, & Homerus Sirenas de nomine non compellaſſet; liberum cuique fuit, eas quo vellet nomine, ſalutare. Hinc minime mirum videri debet, ſi ad conciliandam urbi noſtrae (quam Rhodii conditores *Parthenopen* appellarunt) Homericam celebritatem, excogitatum fuerit, unam ex Homericis Sirenibus (cui *Parthenopes* nomen indiderunt) huc maris aeſtu jactatam, ibique conditam, nomenclationem ſuam cum urbe communicaſſe. Verum ſi ſapimus, non Siren ibi tumulata urbi *Parthenope* nomen fecit, ſed ex urbe *Parthenope*, inſulis Sirenuſis proximâ, nacti ſunt mythologi opportunitatem confingendi nomen, quod Sireni Homericae commodarent. Idem eſto judicium de inſula *Leucoſia*, quae ex dialecto vocis proditur habitata olim fuiſſe a Pelaſgis Aeolicis, quibus Σιὸς pro communi θεὸς: ſed ut ejus origo ex Homeri poëmate pariter niteſceret, commenti ſunt Sirenem *Leucoſiam* ab Ulyſſe ſpretam exanimatamq. huc deveniſſe. Quemnam habitum corporis geſſerint Sirenes, non convenit inter philologos. Spanhemius Diſſer. III. p. 226. fretus auctoritate typi numiſmatici, contendit, eas in avium pedes deſiiſſe; ac praeterea taxat eos, qui Sirenibus caudas piſcium appingunt. Atqui in arcu portae Orientem verſus, antiquiſſimae urbis Paeſti, adhuc ſtante, viſitur hodie puella

Digitized by Google

hactenus de Rhodiis mari-potentibus Parthenopes conditoribus.

Athenienſes ſubinde Aeginetaeque maris imperium obtinuerunt; & utrique novis colonorum ſupplementis urbem Parthenopen frequentarunt. De Claſſe Athenienſium huc appulſa fidem facit Strabo v. 246. & Sholiaſtes Lycophronis ad v. 731. ſeq. Verum aegre mihi eſt, quod nulla adhuc in lucem prodierit inſcriptio, quae nos de Phratria hujus populi in hac urbe ſtabilita doceat. Jamvero niſi inſcriptio Phratriae *Oenonaeorum* ſubſidio veniret, plane ignoraremus, Aeginetas (namque Aegina antiquitus *Oenone* appellabatur) in noſtrae Civitatis jura fuiſſe adſcitos.

Poſtremo ante Chriſtum natum alia colonorum acceſſio huic urbi facta fuit, *Cumanorum* ſcilicet, qui quadringentis poſt Romam conditam annis, expulſi a Campanis, huc lares transtulerunt, ibique hoſpitaliter ac benigne accepti, & in omnia jura civitatis admiſſi, *Phratriam Cumanorum* conflarunt. Magnum id urbi noſtrae incrementum fuerit oportet: quandoquidem cum urbs tantam haud caperet multitudinem, tunc in pomoerio urbis *Eumelidis*, ſive mavis, *Parthenopes*, nova urbs condita fuit, ut novis hoſpitibus νεοπολίταις (9) *novis civibus*, fieret locus: tunc quoque ſtatio ab advenis Cumanis occupata, dicta fuit Νεαπόλις (*nova urbs*), ad diſcrimen veteris & propinquae urbis Parthenopes, quae non antea, ſed tum primum Παλαιπόλις (*vetus urbs*) ratione habita recentioris urbis Cumanorum, audiri coepit. Verum de hiſce nominum vicibus plura diſſerentur, cum ad Phratriam Cumanorum deventum fuerit.

Denique poſt Conſtantini M. aetatem nova colonorum acceſſio urbi Neapoli ſuperaddita fuit, *Herculanenſium* dico, qui urbe ſua Veſevi torrentibus ſepulta, Neapolim confugerunt; ibique ſocialiter excepti, quamdam Regionem urbis a Neapolitanis impetrarunt: quae a novis colonis vocata fuit *Regio Herculanenſium*, ut ex antiqua inſcriptione, adhuc palam expoſita in atrio Eccleſiae Divi Antonii Abbatis, poſtea docebitur. Haec autem nupera civium

ac-

anaglypta, quae Nereidis inſtar a pube in piſcium caudas exit; ita forte depicta ut ad Sirenem *Leucoſiam* & inſulam cognominem, quae in Paeſtano praetenditur ſinu, alluderet. Sed epithalamium Salomonis inſcriptum *Sir-haſirim* (*Canticum canticorum*) infert ſuſpicionem opinandi, *Sirenes* ſermone Phalegico neque *piſces* neque *alites*, ſed utique denotaſſe feminas *cantatrices*.

(9) Compoſito bello Italico ii qui recens *Cives Romani* facti ſunt, ab Appiano de Bell. Civil. I. mihi p. 641. νεοπολῖται (*novi cives*) appellantur.

acceſſio, non palliatorum, ſed togatorum fuit. Herculaneum olim a Pelaſgis habitatum, in Romanorum poteſtatem venerat; & ſane inſcriptiones, quae plurimae ibi detectae, latine loquuntur (ſi pauca excipias monumenta, quae Oſce blaterant): quo minus mirandum eſt, ſi latinis hominibus, non *Phratria*, ut in urbe Graeca conſuetudo tulerat, ſed *Regio*, ex uſu Latino, ſit attributa & compellata.

§. III.

Pleraque loca Latii & Campaniae a Pelasgis Aeolicis occupata, ac praeſertim Phalerum, *uti antiquitus vocabatur Neapolis. E variis populis urbis noſtrae colonis Pelaſgos primos omnium conditores habendos eſſe oſtenditur. Hujus coloniae*, Phalerum *deductae, aetas tentatur.*

JAm populos, priſcos urbis noſtrae habitatores, e veteribus inſcriptionibus recitavi, partite recenſui, & per ſua quoſque tempora digeſſi. Quamquam ex ipſo recenſionis ordine facile pateat, Pelaſgos primos omnium hujus urbis fundamenta jeciſſe, volupe tamen eſt, crepundia hujus Pelaſgicae originis in ipſo antiquo urbis vocabulo, *Phalero* ſcilicet, propius recognoſcere, ac veluti intento digito demonſtrare. Monitum ante volo lectorem, Pelaſgos mirifice delectatos fuiſſe Campaniâ, quae ab ubertate *Felix* cognominatur, ibique praeter alia oppida condidiſſe *Lariſſam*, *Nolam*, *Pompejos*, *Herculaneum*, *Phalerum*, quae poſtea Neapolis, & *Cumas*. De *Lariſſa* teſtatur Dion. Halicarnaſſeus I. p. 17. *Tenüerunt hi* (Pelaſgi) *& Campanorum, quos vocant, camporum partem quamdam non exiguam, aſpectu amoeniſſimorum & aptiſſimorum paſcuis, pulſis inde Auruncis, gente barbara; ubi inter ceteras urbes condidere Lariſſam, Peloponneſiacae illius cognominem, quae metropolis ipſorum erat. E ceteris oppidis quaedam ſteterunt ad noſtra tempora, mutatis ſaepe habitatoribus. Lariſſa autem deſerta eſt*, &c.

Nola a *Tyriis* condita dicitur a Solino, at a Silio Italico cognominatur *Chalcidica*. Lipſius emendat Solinum, & feliciter legit a *Tyrrhenis*: ceterum *Chalcidici* promiſcue habitarunt aliquando cum *Pelaſgis* & *Tyrrhenis*, ac propterea vocantur a Thucydide IV. p. 156. Edit. Steph. δίγλωττοι *bilingues*, quia Graecum, & Barbarum uſurpabant ſermonem. Idem promiſcuum conſortium de-

deprehenditur inter Tyrrhenos ac Pelaſgos, non quia una eademque natio foret, ſed quia tanta inter utrumque populum intercedebat conjunctio, ac prope dixerim, affinitas, ut alteri genti, quod alterius erat, tribueretur. Dionyſ. I. p. 20. *Hos ceteri homines de nomine regionis eoſdem Tyrrhenos vocabant & Pelaſgos*. Anticlides etiam apud Strabonem V. 221. *Primos* Pelaſgos *Lemnum & Imbrum condidiſſe, & quoſdam eorum cum Tyrrheno Atys filio in Italiam navigaſſe*, prodidit.

Nolae contermini ſunt *Pompeji*, quos excipit *Herculaneum*: quae duo poſtrema oppida, teſte Strabone V. 247. occuparunt (Ὄσκοι . . ., εἶτα Τυῤῥηνοὶ καὶ Πέλασγοι· μετὰ ταῦτα δὲ Σαυνῖται) *Oſci . . . deinde Tyrrheni & Pelaſgi; poſthaec Samnites*. Tres diverſas habitatorum gentes Strabo percurrit, *Oſcorum*, *Tyrrhenorum Pelaſgorumque*, & *Samnitum*. Antiquiores ſunt *Oſci*, qui veluti locorum indigenae habendi ſunt: deinde *Tyrrheni* ac *Pelaſgi*, non diviſim & per intervalla temporum, ſed conjunctim (1), opera viribuſque collatis *Oſcos* e ſedibus expulerunt ſuis. Propoſitus ordo flagitaret, ut continenter de Pelaſgica urbis noſtrae, quae ad Orientem verſus proxime contingit Herculaneum, origine dicerem; ſed id paullo poſt exſequar, poſtquam ſcilicet urbem Cumas a Pelaſgis conditam oſtendero; quod eo etiam intuitu conſilioque facio, ut viſis a dextra laevaque urbis Parthenopes Pelaſgis conſtabilitis, difficile ſit non credere, *Phalerum*, vetus *Parthenopes* vocabulum, fuiſſe in camino Pelaſgico elaboratum.

Cyme (de Cumis Campaniae ſic loquitur, Strabo V. 243.) *Chalcidenſium & Cymaeorum opus vetuſtiſſimum . . . Ductores claſſis Hippocles Cymaeus, & Megaſthenes Chalcidenſis inter ſe pepigerunt, ut alterius* (2) *Colonia eſſet, alterius appellatio*. Praerogativa

(1) Nulla inter Tyrrhenos & Pelaſgos particula temporis, ſucceſſionem denotans, hoc loco infinditur a Strabone; quam is, locuturus de Samnitibus haud neglexit interponere. Quae mea fortaſſe nimia ſedulitas in haec Geographi impenſa, eo pertinet, ut magis magiſque confirmetur id, quod ante Strabonem Dionyſius Halic. auctoritate Thucydidis probaverat, Tyrrhenos nempe & Pelaſgos, una ſimul orbem terrarum peragraſſe, unamque gentem pro altera fuiſſe vulgo nuncupatam.

(2) H. e. ut equidem interpretor, ut colonia *Cumana* ex utroque populo concreta, ut ut a Cymaeis nomen nanciſceretur, *Chalcidem* tamen, uti metropolim ſuſpiceret & coleret: qua juris fictione efficiebatur, ut ſi altera in diſcrimine foret, altera ferre ſuppetias teneretur; uti colligere licet ex gravi querimonia Corcyraeorum adverſus Corinthios Corcyrae conditores, & contra, apud Thucydidem I.

Digitized by Google

tiva imponendi nominis Coloniae delata fuit Cymaeis Aeolicis, fortaſſe ob majorem Cymes prae Chalcide praeſtantiam atque antiquitatem. *Aeolicarum* (Strab. XIII. 622.) *urbium maxima eſt*, *& praeſtantiſſima Cyme*. Ampla regio Aſiae, inter Troadem, & Joniam exporrecta, utpote a Pelaſgis *Aeolicis* Theſſaliae frequentata coloniis, *Aeolia* tranſnominata fuit. Vndenam Pelaſgis Theſſaliae cognomen *Aeolum* inhaeſerit, atque unde repetenda ſit dialectus *Aeolica*, ſequenti §. divinabo. Interim pro certo habeamus, Cymen Aeolicam a Pelaſgis Theſſaliae fuiſſe conditam; quod plane luculenterque docuit Herodotus, ubi inquit in *Vita Homeri*: *Cymen tum in Hermei ſinus receſſu aedificabant. Civitati autem, quae condebatur, nomen impoſuit Smyrnam Theſeus, ab uxoris nomine, cujus memoriam relinquere volebat. Hic autem Theſeus* (3) *ex primariis Theſſalorum fuit, qui Cymen condiderant, ab Eumeli filio oriundus*. Ex hac *Cyme Aeolica* repete colonos Cumarum, quos Hippocles Cymaeus in Campaniam deduxit. Atque hic animadverte, ſodes, Theſeum, unum e primis *Cymes* conditoribus, nepotem exſtitiſſe illius ipſius *Eumeli* (4), a quo habitatores *Phaleri*, quemadmodum antiquitus vocabatur Neapolis, dicti ſunt *Eumelidae*, & urbs ipſa *Eumelis*: quo minus mirandum eſt, ſi *Cymaei Aeoles*, in hanc Campaniae oram maritimam curſum direxerint, in quam ſui conſanguinei *Eumelidae* ſuperiore aetate devenerant.

Sed

(3) Qui heic deſcribitur *Theſeus*, domo *Theſſalus*, conditor *Cymes*, & quidem poſt *Aeolum* in Aſiam tranſmigrationem, perperam a Cl. V. Guarnaccio confunditur cum *Theſeo*, Aegei Athenienſium Regis filio, ac Minotauri debellatore; indeque captabat argumentum conjiciendi, *Semibovem* illum *virum*, qui paſſim in nummis Neapolis & Siciliae viſitur, nonniſi *Minotaurum* ab hoc *Theſeo Eumeli* filio extinctum deſignari. De quo docti Viri hiſtorico pariterque chronologico παροράματι, ſatis ſuperque conqueſtus ſum in Palaeſtra Neapol. p. 233. adnot. 2.

(4) *Eumelus* memoratus ab Herodoto, idem ipſe eſt ac *Eumelus* ab Homero commendatus. Vterque *Admeti* in Pelaſgiotide regis *filius*; uterq. domo Theſſalus ſive *Pelaſgus*. Verum *Theſeus* Cymes conditor non ἀμέσως Eumeli *filius* enuntiatur ab Herodoto, ſed ἀπὸ Εὐμήλου τοῦ Ἀδμήτου, h. e. qui genus ſuum *ab Eumelo Admeti filio* repetebat, & recte quidem, & ad veritatem chronologicam appoſite. Eumelus qui bello Trojano pro Graecis belligeravit, ducentis ferme annis anteceſſit Theſſalum *Theſeum*: tot enim annos excidium Trojae ſuperat Aeolum in Aſiam tranſmigrationem. Idcirco autem Homeri biographus Eumelum e Theſſali Theſei progenitoribus memoravit, ſcilicet ut ille Homericis carminibus nobilitatus, hunc, inter Aeolas primarium, faceret illuſtriorem.

Digitized by Google

Sed jam tempus eſt, ut de Pelaſgica Neapolis origine diſpiciamus. *Phalerum* antiquitus haec urbs appellabatur. Τύρσις φαλήρου (*Turris Phaleri*) apud Lycophronem v. 717. ipſiſſima eſt Neapolis, ubi libationibus *Parthenope* propitiabatur. Confirmatur hoc nomen a Stephano Ethnic. ΦΑΛΗΡΟΝ, δῆμος, καὶ ἐπίνειον τῆς Ἀττικῆς . . . . Ἔστι καὶ ΠΟΛΙΣ ἐν Ὀπικοῖς, εἰς ἣν ἐξεβράσθη ἡ Σείρην ΠΑΡΘΕΝΟΠΗ, ἣ καλεῖται ΝΕΑΠΟΛΙΣ. *PHALERUM, pagus, & navale Atticae . . . , Eſt etiam URBS in Opicis, quo maris aeſtu ejecta fuit Siren PARTHENOPE, quae vocatur NEAPOLIS*. Martorellius Th. Calam. p. 677. ſeq. ſtatuit *Phalerum* ad occidentem Neapolis, in amoeniſſimo colle *Mergellinae*, eo nimirum ductus indicio, quod *mergus* Graece dicatur Φάληρις· itaque in ejus opinionem *Mergellina*, quaſi *ſtatio gratiſſima mergis*, interpretatio fuerit *Phaleri*. Equidem tantum ei adeoque feſtivum inventum haud invideo; ſed mirari ſubit, doctum virum latuiſſe, non unam Neapolim, ſed plura alia oppida, ubi greges mergorum circumvolitaſſe non conſtat, *Phalera* nihilominus fuiſſe nuncupata. Contra vero animadverti loca, quae olim *Phaleri* nomine inſignita reperiuntur, vel a Pelaſgis condita, vel ab iiſdem aliquando fuiſſe occupata.

Praeter *Phalerum* juxta montem Oetem, & *Phalerium* ſive *Phalorium*, quae utpote ſita in *Aemonia*, ſive Theſſalia, (quo primum *Pelaſgi Arcades*, a Peloponneſo expulſi, ſe receperant), teſtatae ſunt Pelaſgicae originis. Athenae quoque ſuum oſtentant *Phalerum*, quod pridem urbis navale fuit, antequam Themiſtocles Piraeeum exſtrueret; ſed poſtea ad pagi frequentiam evaſit: quin immo via, quae ad hunc pagum ducebat, *Phalerica*, Cererisque templum ibidem aedificatum, *Phalericum* cognominabatur. Pauſan. X. 35. Verum hae *Phalericae* denominationes praemonſtrant, *Pelaſgos* Athenis aliquando inhabitaſſe. Sane id manifeſto proditur a Thucydide IV. p. 156. Edit. Steph. a quo hiſtorico etiam ſcimus, templum, quod ſub arcem Athenarum ſtabat, *Pelaſgicum* fuiſſe vocatum lib. II. p. 54. nec aliter appellatum murum, quo arx ipſa circumſepta erat, Dionyſius I. p. 22. docet. Igitur extra dubitationis aleam ponendum eſt, *Phalerum* Athenarum nonniſi a Pelaſgis, hujus urbis hoſpitibus, eſſe repetendum. Quod vero Pelaſgi Athenis expulſi fuerint, & in inſulam Lemnum commigrarint, vide quae Berkelius ad Stephani v. Ἡφαιστία adnotavit.

Quid

Digitized by Google

Quid quod Pelaſgi in ipſo Latio *Phalerium* condiderint? Conſulatur Dionyſius Halic. I. p. 16. qui, ubi narraſſet, Pelaſgos atque Aborigines plura oppida tenuiſſe indiviſa, ſic dicere pergit: *Phalerium* (lat. *Falerii*) & *Phaſcenium* (lat. *Feſcennia*) *etiam meo tempore a Romanis habitata* (μικρὰ ἄττα ζώπυρα τοῦ Πελασγικοῦ γένους) *parvas quaſdam ſcintillas Pelaſgici generis ſervant*. Ejuſdem notae mihi eſſe videtur *Falernus* ager inter Calenum & Sinueſſam, & maxime quod paullo ante a Dionyſio intelleximus, Pelaſgos *Campanorum camporum partem non exiguam* obtinuiſſe. Pelaſgi autem idcirco *Phaleri* voce delectati ſunt, quia ipſi a *Phalero* Aemoniae ſive Theſſaliae, erant oriundi; pro conſuetudine ſcilicet erronum, qui, ubicumque ſedes figere daretur, nomina antiquae patriae locis a ſe recenter occupatis, indere ſolebant (5). Et dubitabimus adhuc urbem noſtram ab ultimis temporibus *Phalerum* vocitatam, a Pelaſgis fuiſſe conditam? Modo Strabo nos docuit, Pelaſgos tenuiſſe *Pompejos* & *Herculaneum*; ac porro ab eodem Strabone didicimus, Cumas in vicinia Neapolis, h. e. *Phaleri*, nomen fuiſſe nactas a *Cyme* Aeolidis, quam Herodotus, ſive quis alius fuit auctor vitae Homeri, aedificatam a Pelaſgis Theſſaliae prodidit: mirum ſane foret, ſi *Phalerum* noſtrum, utrimque ſtipatum a Pelaſgis, ἀλλόφυλον (*alterius nationis*) haberetur.

Colonia Pelaſgica, quae *Phalerum* in Campania condidit, huc locorum vel ductu vel auſpiciis *Eumeli*, qui *Admeti* regis in Pelaſgiotide filius, *Pheretis* nepos, devenit: namque Neapolis, olim dicta *Phalerum*, cognominata deprehenditur *Eumelis*, & cives *Eumelidae* atque etiam *Pheretiadae*; quemadmodum ipſe *Eumelus* ab Homero *Pheretiades* denominatur; ut infra in *De Phratria Eumelidarum* uberius exponam. Sed colonia ab Aeolide deducta *Cumas* Campaniae, multo poſterior coloniâ *Phalero* fuit, etſi a Strabone omnium coloniarum Hellenicarum antiquiſſima fuerit reputata. Inter primarios Cymes Aeolicae conditores recenſetur ab Herodoto in Vita Homeri *Theſeus* ἀπὸ Εὐμήλου τοῦ Ἀδμήτου, *oriundus ab Eumelo Admeti filio*. Saltem nepos, ne dicam abnepos Eume-

L li

(5) Argumento ſint multiplices *Pherae* Pelaſgicae, quas Geographi veteres in Peloponneſo, in Theſſalia, & in Boeotia deſcribunt. Idem colligere licet ex *Lariſſa* in Theſſalia, in Aeolide, in Peloponneſo, addo etiam, in noſtra Campania; immo Stephanus Ethnic. undecim enumerat *Lariſſas*.

li fuerit oportet ille Theſeus, qui in aedificanda Cyme operam contulit ſuam. His adde quod plurimum temporis a condita *Cyme* ad fundatas in Campania *Cumas* debuit effluere; uſque adeo donec populus Cymes ita excreſceret, ut e re publica eſſe videretur, ſi Hippocles Cymaeus exuberantem juventutem claſſe aveheret in Campaniam, ibique cum Megaſthene Chalcidenſi *Cumas* conderet, haud ita procul a *Phalero*, quo ſuperioribus temporibus Eumelus Theſei conditoris Cymes progenitor, ſuos Pelaſgos emiſerat. Qua temporum & perſonarum animadverſione in conſilium adhibitâ, facile eſt colligere, *Phalerum* ſive Neapolim, ſtatim a Belli Trojani tempeſtate fuiſſe conditum, *Cumas* vero diu poſt Aeolenſium in Aſiam tranſmigrationem.

Vaga gens fuit Pelaſgorum (inquit Strabo XIII. 621.) *& ad migrationes praeceps, & incrementa ac decrementa magna, ac ſubita tulit, maxime ſub Aeolenſium & Jonum tranſitum in Aſiam*. Varias Pelaſgorum fortunas Strabo conſignat iis temporibus, quae bellum Trojanum ſunt ſubſecuta, & celeberrimis Aeolum Jonumque praeivere transfretationibus. Enimvero Dionyſius I. p. 20. tradiderat, Pelaſgos ab Ilii excidio fuiſſe *in gentem minimam* redactos. At vero Pelaſgorum colonia deducta Neapolim fuit, dum adhuc, prope dixerim, Trojae Pergama fumarent, certiſſimo capto indicio ex nomine *Eumeli Pheretiadae*, quod cognomen huic urbi adhaeſit: hic autem heros Homericus bello Trojano pro Graecis interfuit, & a praeſtantia equarum a Poëta commendatur. Ilii excidium a peritiſſimis chronologis conſignatur anno ante CHRISTUM natum 1180. quae epocha ducentis ferme annis Homeri aetatem ſuperat. Quae temporum animadverſio mihi anſam praebet conjiciendi, Homerum a Pelaſgis Aeolicis, ultro citroque per mare Siculum (ubi *Aeoli regia*) & per mare Inferum (ubi *Circeji* & *Sirenii ſcopuli*) commeantibus, non pauca didiciſſe de natura genioque noſtrorum locorum, & quae ab ipſis admiranda, ac praeter verum (uti ab erronibus ludificandi gratia fieri ſolet) exaggerata audiverat, poëticis a ſe pigmentis ad affectandam admirabilitatem expolita, in ſuum poëma contuliſſe.

§. IV

§. IV

Παρέκβασις (digreſſio) *de Pelaſgis* Aeolenſibus. *Homeri* Aeolia inſula *nonniſi in mari Tyrrheno quaerenda; ejuſque Mazochiana etymologia. Italicorum* Aeolum *cum Latinis & Campanis commercium: inde affinitas inter Aeolicum & Latinum ſermonem repetenda. Pelaſgorum* Aeolum *ex Italia profugorum, aliquanto poſt bellum Trojanum, in Theſſaliam, Boeotiam, aliaſque Graeciae regiones tranſmigratio. Hinc* Aeolum *nulla apud Homerum belli Trojani tubicinem mentio, &* Aeolica *dialectus poſt Ilii cladem in Graeciam tranſmarinam invecta.*

DE Pelaſgis Aeolicis utramque, ut ita dicam, paginam feci; attamen me mordet adhuc ſciſcitandi curioſitas, unde terrarum cognomen *Aeolum* adhaeſerit Pelaſgis: nam qui *Aeoles* Aſiatici, diu poſt Epocham *Aeolicae* migrationis, naves Xerſi Perſarum Regi ſuppeditarunt, (τοπάλαι, inquit Herodotus VII. 95. καλεόμενοι Πελασγοί) *olim Pelaſgi vocabantur*. Vaga & errabunda ea natio fuit; & ubicumque ipſis conſiſtendi copia dabatur, cognomina a locis nanciſcebantur occupatis. Hinc ex Dodona a Pelaſgis habitata, Jupiter ab Achille Iliad. II. v. 233. ſalutatur Δωδωναῖος Πελασγικὸς: ex Arcadia Pelaſgi Αρκάδες Herodot. I. 146. e Peloponneſo Αἰγιαλέες (*litorales*), qui poſtea ab Jone Xuthi filio, tranſnominati ſunt *Jones*, Herod. VII. 94. Quos idem Hiſtoricus VII. 95. Αἰολέας appellat, profecto ſunt ii, qui e Theſſalia profecti, ut ex ipſo Herodoto initio Vitae Homeri colligere licet, regionem illam Aſiae, quae preſſius a Graecis vocatur Αἰολὶς, coloniis frequentarunt ſuis. Haec autem omnia plana ſunt, & explorata: verum non aeque liquido patet, denominatio *Aeolenſium* indigena vox fuerit, an advena; hoc eſt, ut apertius meos ſenſus aperiam, utrum Pelaſgi, jampridem *Aeolenſes* cognominati, regioni Aſiaticae nomen *Aeolidis* tum primum impoſuerint; an regio antiquitus vocata *Aeolis*, nomen ſuum cum advenis Pelaſgis communicarit. Verum ſolutio hujus quaeſtionis pendet ab altera negotii intricatioris inquiſitione.

Duplex *Aeolia* recognoſcitur a Vett. Geographis, una Aſiatica, altera Italica in mari Siculo. Itaque ad enodandam quaeſtionem propoſitam antea explorandum eſt, utra earum Aeoliarum ſuperet alteram antiquitate; tunc profecto patebit, ab Italica an

Digitized by Google

ab Aſiatica Pelaſgi ſibi nomen *Aeolenſium* quaeſierint; ſimulque eruetur, unde gentium, quove ſub caelo, dialectus *Aeolica* ſubſtantiam ceperit. Nemo hactenus in hujuſmodi diſquiſitionis Maeandrum ſe ultro conjecit; quia perſuaſum vulgo fuerat, indubitatumque, Pelaſgos ab *Aeolide* Aſiatica, tunc primum *Aeolenſes* fuiſſe denominatos. Primus (quod equidem ſciam) qui vulgatam hanc opinionem in dubium revocarit, ſteteritque pro remotiore *Aeoliae* Italicae antiquitate, exſtitit immortalis memoriae vir, Alexius Symmachus Mazochius, de me fortuniſque meis benemeritus, qui in Additamentis ad Voſſii Etymologicum (1) hanc animi ſui ſententiam aperuit quidem, propoſuitque; ſed fractus viribus (annum enim octogeſimum uno minus agebat) explicate tradere, diſerteque more ſuo perſuadere, non potuit. Itaque in gratam mei optimi magiſtri memoriam, quod ipſe primis lineis adumbravit, id figurare quodammodo, & colorare adnitar.

Ac primum Homerus nuſquam in ſuis poëmatis *Aeolas* memoravit; tametſi occaſio ipſi non defuerit *Aeolas* de nomine compellandi, ſi hi quidem bello Trojano interfuiſſent; maxime ubi in ſcenam induxit Pelaſgos, qui pro Troja, & qui contra Trojam militarunt. Ex hac autem Poëtae reticentia ſuboritur haud negligenda ſuſpicio, Pelaſgos *Aeolas* belli Trojani tempeſtate nondum ex inſulis *Aeoliis* Italiae in Graeciam tranſmarinam, multoque minus in Aſiam Minorem, ubi regio *Aeolis*, deveniſſe: namq. *Migratio Aeolica* in Aſiam, ut mox dicetur, centum amplius annis eſt Iliaca clade poſterior. Praeterea nullus alius ab Homero *Aeolus* deſcribitur, niſi fabuloſus ille promus condus ventorum, qui *natante in inſula Aeolia habitabat*. Odyſs. K. 1. ſeq. Si veteres grammaticos interroges, hoc tibi reddetur reſponſum: Διὰ τὸ Αἴολος, Αἰολία χώρα, καὶ τὸ ἐθνικὸν Αἰολεύς, *Ab Aeolus* (deſcendit) *Aeolia regio*, *&* *gentile* (nomen) *Aeolenſis*. Stephanus in v. Αἰμονία. Septem, immo plures, enumerantur in vicinia inſulae cognomine *Aeoliae*, & in una ex his *Strongyle* locatur *Aeoli* regia: de qua Strabo VI. 276. *Strongyle a rotunditate figurae ſic dicta* (ἔστι καὶ αὐτὴ διάπυρος) *ignita ipſa quoque, violentiâ flammarum minor, fulgore excellens: ibi habitaſſe Aeolum ajunt*. At, ni malumus illudi, non ab *Aeolo* defluxit *Aeolia*, ſed ex *Aeolia* inventione poëtica fabre factus eſt *Aeolus*. Quae Homeri licentia facilem ſecutis mythologis ſtravit viam, ut de inveſtigandis origini-

(1) In voc. *Aula*, *Ferus*, *Simpulum*, *Veſuvius*, & fortaſſe alibi.

nibus nominum, terris montibus fluviiſque impoſitorum, haud valde ſatagerent; ſed audacter vocabula localia ab aliquo heroe cognomine deducta, comminiſcerentur. At vero recentiores Critici, poſthabitis fictitiis heroibus, eas locorum etymologias maxime ſectantur & probant, quae characterem, ſeu ingenium loci exprimant ad vivum. Inſulae *Aeoliae*, fremitibus, exſufflationibus, flammis, igniumque crateribus (Strab. loc. cit.) infames, a Graecis vel vocantur *Aeolides*, vel per interpretationem redduntur Ἡφαιστιάδες, h. e. *Vulcaniae*, ſcilicet a ſolo ſulphureo, igneiſque eructationibus: ac propterea veriſimile fit, a Phalegicis erronibus de induſtria appoſiteque nuncupatas fuiſſe haſce inſulas *Aeolias*, quia id vocabulum apprime naturae loci reſpondebat; namque עלה (*bala*) in primaeva lingua etiam *incendere* ac *flagrare* ſignificat (2). Quemadmodum autem primitivi Pelaſgi ex *Arcadia* dicti ſunt *Arcades*, ut paullo ante admonui; ita ex inſulis *Aeoliis*, ubi ipſi dominabantur, ſunt *Aeoles* nuncupati, eorumque dialectus *Aeolica*.

Nunc ſane intelligi datur, quo pacto Latini caſcam ſuam linguam, abnormem inconcinnamque, ita expolierint, ut proxime ad *Aeolicam* dialectum accederet. Nimirum *Aeoles* ex hiſce inſulis ſolventes, vertendarum mercium cauſa Latium frequenter adibant: qua commercii opportunitate Latini non ſolum ab *Aeolibus* eruditi, ſuae linguae rubiginem deterſerunt, verum etiam plura ab iiſdem vocabula adoptarunt: compertum enim eſt, linguam latinam idiotiſmis *Aeolicis* ſcatere quamplurimis. Dionyſius, qui XXII. annos ſuae vitae tranſegerat Romae, ita teſtatur I. p. 76. *Romani ſermone nec prorſus barbaro, nec abſolute Graeco utuntur; ſed ex utroque mixto, accedente in pleriſque ad proprietatem linguae Aeolicae*. Quintilianus porro I. cap. 1. *Plurima ſunt* (inquit) *Aeolica ratione, cui eſt ſermo noſter ſimillimus, declinata* (3). En uterque ſcriptor, Graecus unus, alter Latinus, auctores ſane non poenitendi, conſentiunt, haud mediocrem inter ſermonem Aeo-

(2) Conſule Mazochium in v. *Simpulum*, ubi poſt expoſitam *Aulae*, ſive *Ollae*, originationem ab עלה (*Hala*), quatenus eſt *ardere*, *ſuccendi*, ſic claudit: *Quod dixi* τῷ Aula *Tuſcum eſſe; id ex eo liquet, quia ab eadem radice fit, unde & iidem Tuſci & ILVAE nomen & PVTEOLORVM, immo & inſularum AEOLIARVM fecerunt*.

(3) Cum utroque conſpirant Athenaeus X. 6. *Romani omnino Aeolum imitatores:* & Terentianus Maurus Cap. de Syllabis pag. 2397. Edit. Putſch. *Aeolica etiam Dialectos fere eſt miſta Italiae*.

Digitized by Google

Aeolicum ac Latinum interceſſiſſe affinitatem. Quid quod Latini non ſolum polite loqui, verum etiam litteras eleganter pingere & exarare, ab iiſdem Pelaſgis addidicerint? Dionyſius, ubi verba facit de aerea columna, in qua, Rege Servio Tullio, inciſae fuerant leges foederis inter nonnullos populos Latini nominis, ſic inquit lib. IV. p. 230. *Ea columna permanſit ad noſtram aetatem in Dianae templo dedicata, inſcripta litterarum characteribus Graecanicis, qualibus olim Graecia utebatur*. Itaque, uti fert Halicarnaſſi opinio, quadratae litterae veterum Latinorum propius ad normam veteris Graecanicae calligraphiae accedebant, quam quae poſteriore aevo uſurpabatur a Graecis. At roges, unde Latini hujuſmodi ſcribendi ſpeciem arripuerint? Vtique a Pelaſgis ſuis Aeolicis: Pelaſgos enim in tuenda veteri ſcriptura ceteris exſtitiſſe tenaciores, inde argui poteſt, quod ipſi, uti animadvertitur ab Euſtathio ad Iliad. B. p. 358. *Soli Graecorum poſt diluvium* (τὰ ςοιχεῖα) *elementa litterarum ſervarint*. Cataclyſmus, cujus meminit Euſtathius, ille, opinor, eſt intelligendus, qui Arcadiam devaſtavit, eamque ob calamitatem Pelaſgi Arcades exceſſerunt e Peloponneſo Dionyſ. Halic. I. p. 49. 55. quorum Pelaſgorum alii alio, ſed plerique omnes in Italiam devenere. Primi Graecorum, qui in oras delati ſunt noſtras, Ἀρκαδικοῦ γένους (*Arcadici generis*) fuiſſe produntur ab eodem ſtrenuo Antiquitatum Rom. indagatore lib. I. p. 9. Cum *Arcades* audis, ſtatim, ut paullo ante ex Herodoto animadvertimus, ſubaudi Pelaſgos. Quantam hi porro contulerint operam, ut rudes Latii populos, quoad ſacra & profana, expolirent, omnino legi dignus eſt Halicarnaſſeus loco cit. ſed quae hîc in rem praeſentem faciunt, haud gravabor afferre e lib. I. p. 26. *Dicuntur etiam* (Arcades) γραμμάτων ἑλληνικῶν (litterarum graecarum) . . . . *uſum primi in Italiam tranſvexiſſe; inſtrumenta quoque muſica . . . cum ad id temporis nonniſi paſtoralibus fiſtulis uſi fuiſſent, nec ullo praeter has invento muſico inſtrumento*. Ingenuas ergo artes in primiſque Muſicen Itali a Pelaſgis Arcadibus didicere. Atque hîc animadverte, ſodes, acumen & eruditionem Maronis, qui ubi Ecloga VII. 4. cecinit

Ambo florentes aetatibus, Arcades ambo,
Et certare pares, & reſpondere parati.

paſtores *Tyrſin* & *Corydonem* curioſe *Arcadas* ſalutat, non magis quidem ut eorum natale ſolum, quam ut poëticam facultatem, a Pelaſgis *Arcadibus* primis Italorum magiſtris excultam, appoſite commendaret. Vi-

Digitized by Google

Vidimus jam etymologiam *Aeoliae*, quatenus *conflagrationem* denotat, aptius cum ingenio *Aeoliarum* inſularum Italiae, quam *Aeolidis* Aſiaticae, congruere: illas enim poſt hominum memoriam igneis eructationibus inclaruiſſe conſtat; hanc porro non item. Praeterea animadvertimus, Latinos Aeolica dialecto ſuum concinnaſſe ſermonem, ab iiſdemq. Pelaſgis veterum etiam litterarum characteres didiciſſe: inde, opinor, colligendum eſt, Pelaſgos ex domicilio *Aeoliarum* inſularum ſibi nomen *Aeolum* peperiſſe, ac dialectum *Aeolicam* ex commercio Latinorum & Campanorum olim coalitam, deinde ab retrogradis in Theſſaliam Pelaſgis, cum tranſmarina Graecia communicatam. Nunc ſi e medio Latio Pelaſgos *Aeolas* ſubmoveris; haud facile alios repereris Graecos, qui deditâ operâ *Aeolicam dialectum* docuerint Latinos. Sed quae ruſpando hactenus argutandoque conjeci, ea nunc indiciis a Diodoro Siculo captis confirmaturum me poſſe confido.

Siculus ergo de *Aeolo* a Deucalione prognato, haec prodidit Biblioth. IV. p. 188. ſeq. *Aeolus non credens* (Arnen) *a Neptuno compreſſam, & ſtuprum id vitio puellae vertens, hoſpiti cuidam Metapontino, caſu tunc iſthuc loci delato, Arnen Metapontum transferendam dedit. Quo facto Arne inter Metapontinos victitans, Aeolum peperit, & Boeotum. Quos Metapontinus ille oraculi cujuſdam inſtinctu, cum liberis careret, adoptavit. Hi virilem ingreſſi aetatem, orta Metaponti ſeditione, vi regnum obtinuerunt. Poſt excitatis inter Arnen & Autolyten, Metapontini uxorem, diſſidiis, ut matri auxilium ferrent, Autolyten occiderunt. Quod facinus cum iniquiſſime ferret Metapontinus* (4)*: comparatis navibus cum matre & amicis non paucis inde diſcedunt. Et Aeolus quidem maris Tyrrheni* (νήσους Αἰολίδας) *inſulas Aeolidas, de nomine ſuo dictas, occupavit, urbemque in ea Liparam exſtruxit. Boeotus vero ad avum maternum profectus, & filii loco habitus* (τῆς Αἰολίδος τὴν βασιλείαν) *Aeolidis regnum adiit, & regionem nomine matris Arnen, de ſe vero populos Boeotos nuncupavit*. Hactenus Diodori verba fabulis inquinata; quae, ſi exinde muſtum mythicum defaecaveris, huc recidunt, deſignantque, errones illos, (vel a Peloponneſo, unde initio fuerant expulſi, vel ab Aemonia, quo plerique Pelaſgi ſe receperant,

(4) Sic etiam Tlepolemus ob interfectum a ſe avunculum Licymnium, *Statim* (inquit Homerus Boeot. v.171.) *naves compegit, multiſque copiis coactis, aufugit mari*, & in inſulam Rhodum devenit.

Digitized by Google

rant, profectos) primum deveniſſe in urbem *Metabum*, ſive *Metapontum* (5), ibique vi regnum occupaſſe; mox orta ſeditione ſolum vertere coactos, comparatis navibus cum ingenti populo (hi ſunt *amici non pauci*) demigraſſe in inſulas maris Tyrrheni *Aeolias*; tunc forſan ob recentia ignium incendia habitatoribus vacuefactas: hinc facile conjici datur, Pelaſgos ex inſulis *Aeoliis* occupatis ſibi cognomen *Aeolum* peperiſſe. Igitur fabulâ *Aeoli* valere juſsâ, libenter conquieſcamus in propoſita *Aeoliarum* inſularum notatione ab Phalegico עלה (*flagravit*); quemadmodum ampla regio Meoniae, de qua Strabo, Vitruvius aliique, ob ſimile, uti paret, infortunium dicta Κατακεκαυμένη (*Cremata*) reperitur.

Proſpera autem Pelaſgorum fortuna in Inſulis Aeoliis & in reliqua Italia, coepit paullo ante bellum Trojanum & aliquanto poſt defluere, ita ut eorum natio contracta fuerit (εἰς ἐλάχιστον ἔθνος) *in gentem minimam* Dionyſ. Halic. I. p. 18. Hi autem ex Italia, & inſulis Aeoliis pulſi, partim in Boeotiam, partim in Aemoniam, ſive Theſſaliam, vetus ceteroquin ſuae nationis aſylum, tranſmigrarunt, totamque, ut ita dicam, inundarunt Graeciam. Strabo V. p. 200. *Pelaſgos antiquam gentem per univerſam Graeciam, maxime inter Aeolas Theſſaliae incolas, claram, apud omnes in confeſſo eſt.* Quin immo non *Theſſalia* ſolum *Aeolia* aliquando dicta fuit (ἡ τότε μὲν Αἰολὶς, νῦν δὲ Θετταλία, inquit Diodorus loco ſupra cit.); ſed & *Boeotia* (6). Quid quod *omnes Graeci extra Iſthmum*, uti docet Strabo VIII. 333. *exceptis Athenienſibus, Megarenſibus, & Dorienſibus Parnaſſi accolis*, (καὶ νῦν ἔτι Αἰολεῖς) *hodieque vocantur Aeolenſes?* Jamvero quod *Aeoles* non aliunde in Theſſaliam aliaſque Graeciae regiones, niſi ex inſulis Italiae *Aeoliis* devenerint, praeter ea, quae hactenus expoſui, adde

(5) Antiquum hujus urbis nomen fuit Μέταβον, a barbaris, uti Grammatici veteres ajunt, h. e. a Phalegicis erronibus, impoſitum; quod poſtea incolae Graeci, in Μεταπόντιον, ut Graecae videretur originis, expolierunt. De priore nomine *Metabi* lege ſis, quae Berkelius ad Stephani Byzantini v. Μεταπόντιον e Salmaſio collegit: quibus adde, quae Mazochius ad Tabb. Heracl. p. 100. de nativa *Metabi* ſignificatione commentatus eſt.

(6) Boeotia a Diodoro Sic. loc. cit. vocatur (τῆς Αἰολίδος ἡ Βασιλεία) *Aeolidis regnum*. A Varrone etiam *Aeoles Boeotii* cognominantur. *L. Aelius*, inquit III. 12. de R. R. *putabat, ab eo dictum leporem, quod levipes eſſet. Ego arbitror ab vocabulo antiquo, quod eum Aeoles Boeotii λέποριν appellabant.*

de & hoc diſertum ſuffragium Euſtathii, qui enarrans illos Poëtae verſus Boeot. v. 347. quibus deſcribitur Hippothous eduxiſſe ex Lariſsa Pelaſgos, inquit (*οἱ ἀπὸ τῶν Αἰολίδων μεταναστάντες ἔκτισαν*) *qui ex Aeoliis* (inſulis) *excedentes* (urbem Lariſſam) *condiderunt*. Quamquam, ut ingenue fatear, Euſtathius, Lariſſam Homericam a Pelaſgis *Aeoliarum* inſularum antiquis habitatoribus, conditam referens, anacroniſmo laborat; namque ſi eo tempore jam *Aeoles* pedem in Graeciam tranſmarinam retuliſſent, Homerus profecto illos de nomine compellare haud neglexiſſet: attamen Euſtathius, fortaſſe a veteribus Poëtae Scholiaſtis eruditus, cum prodiderit, Pelaſgos *ab Aeoliis* in mari Tyrrheno inſulis in Graeciam transfretaſſe, rem acu tetigit, & opinionem, quam in praeſentia tueor, confirmat.

Aetas, qua Pelaſgi Aeoles exceſſerint ex inſulis Aeoliis Tyrrheni maris, Campania, ac reliqua Italia, ubi tamdiu proſpera fortuna uſi ſunt, omnino *poſt bellum Trojanum* ſtatuenda eſt, ut modo ex Halicarnaſſeo didicimus; & *ante Aeolenſium & Jonum tranſitum in Aſiam*, uti dat intelligere Strabo XIII. *621*. *Migratio* autem *Aeolica* ab Herodoto in Vita Homeri conſignatur anno CXXX, & *Homeri natale* anno CLXVIII. poſt expeditionem ſcilicet Atridarum contra Trojanos. Conſule Marſhamum ad Saeculum XIII. Hinc haud abſurde colligitur, *Aeolas* Iliaca tempeſtate nondum in Aemoniam deveniſſe; ac proinde Homerum Trojani belli ſcriptorem, nullam de *Aeolibus* (quamquam hi aetate ſua non ſolum in Theſſalia, verum etiam in *Aeolide* Aſiatica inclaruerint), conſulto feciſſe mentionem. Ergo, ut rem totam paucis complectar, Pelaſgi a patrio Peloponneſi ſolo extorres, partim in Aemoniam, partim (uti ex Diodoro Siculo argui poteſt) Metapontum in ſinu Tarentino profugerunt. Hi poſtremi a Metapontinis benigne accepti, mox violarunt hoſpitium, & vi regnum occuparunt: ſed orta in urbe ſeditione, Pelaſgi ſuae incolumitati conſulentes, e re ſua eſſe duxerunt, in inſulas Tyrrheni maris *Aeolias* confugere; ibique regni ſui propugnacula locare. Ex inſulis (Αἰολίαι) *Aeoliis* Pelaſgi cognominati ſunt *Aeoles*, eorumque dialectus, *Aeolica*; atque hinc ſubinde enavigantes, commercii cauſa diverterunt in Italiam, ac praeſertim in Latium & Campaniam, & utrobique non obſcura oppida condiderunt. Qua conſuetudinis opportunitate, Latini ruſticum ſuum emolliverunt ſermonem, & verba in torno *Aeolico* elaborarunt. Atqui ea natio, de Italis be-

ne merita, paullo poſt excidium Trojae, in Italiae caelo deliquium paſſa eſt, fugamque arripuit in Theſſaliam. Ipſi vero ex *Aeoliis* inſulis profugi, quocumque perveniſſent, ſecum cognomen *Aeolum* circumferebant: quamobrem in Theſſaliam recepti, dicti ſunt *Pelaſgi Aeoles Theſſaliae*, uti colligi poteſt e loco Strabonis, quem paullo ante recitavi; itemque ex alio Geographi loco XIII. 621. *Chii quoque a Pelaſgis ſe conditos affirmant, a Theſſalia profectis*. Quibus ex locis una collatis facile ſupra dicta tria nomina eidem nationi aptata comperies. Itaque primum *Aeoles* in Theſſalia requievere; ſed ſolo Theſſalo, alendae tantae multitudini, uti ſit veriſimile, minime ſufficiente, coacti ſunt novas ſibi terras quaerere; ideoque in Aſiam minorem cogitarunt, & regionem inter Troadem & Joniam armis ſuis ſubactam, non a Theſſalia, unde proxime pedem extulerant, ſed a remotioribus *Aeoliis* inſulis, quibus aliquando imperarant, Αἰολίδα (*Aeolidem*) denominarunt. Simile ferme fatum *Jones* (qui olim etiam ipſi *Pelaſgi Aegialees* vocabantur, teſte Herodoto VII. 94.) exagitavit; qui expulſi e Peloponneſo in Atticam confugerant; ſed mox eadem premente neceſſitate, & relicta *Atticâ*, in Aſiam minorem navigarunt; ibique a ſe conditam coloniam, non e proximo hoſpitio *Atticam*, ſed utique e longinquo *Joniam* compellarunt.

Exploratis jam in Italico caelo nationis Aeolicae crepundiis, nullus, opinor, dubitaverit, quin Pelaſgica lingua propter diuturnam cum Latinis atque Oſcis conſuetudinem, uſitatior evaſerit, & locupletior. Experientia enim ſuperiorum aetatum eſt comprobatum, ubicumque alienigenarum globus aliquamdiu familiariter verſatus eſt, ibi ſermonem populi tum advenae, tum indigenae perturbari quodammodo & commiſceri. Tunc enim neceſſitas flagitat, ut ſenſus animi quoquo modo percipiantur; itaque niſi quis linguam ſuam ad captum alterius modificetur & inflectat, aër verberabitur incaſſum: quo fit, ut ſponte ſua plura vocabula ultro citroque fenore (ut ita dicam) & accipiantur, ac dentur (7). Pelaſgi

(7) Paene piaculum committerem, ſi Varronis locum, huc apprime facientem, ſilentio praeterirem. Exſtat locus is apud Gellium I. 18. *L. Aelius noſter litteris ornatiſſimus memoria noſtra, erravit aliquotiens: nam aliquot verborum antiquorum Graecorum, proinde atque eſſent propria noſtra, reddidit cauſas falſas: non enim leporem dicimus, ut ais, quod eſt levipes; ſed quod eſt vocabulum antiquum Graecum: multa enim vetera illorum ignorantur, quod, pro iis, aliis nunc vocabulis utantur: & illorum eſſe ple-*

ri-

laſgi non ſolum cum Aboriginibus icerunt foedus, verum etiam plura in Latio, & in Campania, ubi tunc Oſci dominabantur, oppida condiderunt. Quemadmodum autem Dionyſius & Quintilianus, viri eruditiſſimi, judiciique maturitate ſubacti, Aeoliſmum in lingua Latina deprehenderunt; ita contra non temere quis ſuſpicaretur, Pelaſgos Aeolas non paucas ex ore Latino, atque Oſco arripuiſſe dictiones. Poſtquam Pelaſgi ex *Aeoliis* inſulis in Theſſaliam advenerunt, quemadmodum ipſi tranſnominati ſunt *Aeoles*, ita peculiaris eorum ſermo dictus eſt *Aeolismus*, longe lateque diffuſus, & prae ceteris dialectis Graecanicis vulgatior & uſitatior. Pauſanias lib. IX. 22. narrat, Pindarum in certamine poetico fuiſſe a Corinna ſuperatum; eamque adjecit cauſam: *Viciſſe eam* (Corinnam) *arbitror linguae cauſa: neque enim Doricâ, uti Pindarus, cecinit; ſed ea, quam eſſent Aeolenſes percepturi*. Inter populos mari-potentes primi poſt Lydos recenſentur in Euſebii Chronico *Pelaſgi;* diu poſtea *Phoenices*, Tyrii ſcilicet & Sidones. Itaque priſcis illis temporibus Pelaſgi, qui maria ac terras everrendi laborabant vertigine, ſoli cum innumeris gentibus commercia agitabant; a quibus non merces ſolum, ſed plura etiam vocabula in rem vertebant ſuam: quo factum eſt, ut Pelaſgorum Aeolenſium lingua ferme *οἰκουμενική* (*univerſalis*) evaſerit. Hac forſan adhibita animadverſione Corinna, cum Pindaro certans in Boeotia, eo conſilio *Aeolicam* praetulit, ut a majore auditorum numero percepta, pluribus manuum extolleretur plauſibus. Sed jam ſatis de Pelaſgis Aeolenſibus; nunc e ſemita, uti dici ſolet, redeundum eſt in viam, ut quae de *Diis Phratriis* mihi praemonſtranda reſtabant, quam breviſſime potero, expediam.

 §.V.

rique ignorent Graecum, quod nunc nominant ἴλληνα, puteum quod vocent φρέαρ, leporem quod λαγωὸν dicunt. Queis verbis profecto admonemur, vocabula *Lepus*, *Graecus*, *Puteus*, a prima origine fuiſſe Graeca, ſed poſtea a Graecis ipſis ignorata, quia pro iis recentiores Graeci alias ſubſtituerint nomenclationes. Si Varroni, ſi cuivis alii utriuſque ſermonis peritiſſimo, veniſſet in mentem, elenchum conficere vocabulorum, quae commercii causa Latinis Pelaſgi *Aeoles*, & viciſſim quae *Aeolibus* caſci Latii populi commodarunt; propius intueremur affinitatem, quam majores noſtri manifeſto inter utramque linguam deprehenderunt.

§. V.

De Diis Patriis, & Phratriis, *eorumque diſcrimine. Inſcriptio graeca Neapol. producitur & illuſtratur. Quam ob cauſam Dii* Patrii *Neapolitanorum transnominati fuerint* Σεβαστοὶ (Auguſti).

MOs olim obtinuit, ut ii, qui relictis laribus ſuis alio migrare vel vi, vel ſponte cogitabant, ne deſerendo patrias ſimul diis patriis valedixiſſe viderentur; nihil ei curae praevertendum putaverint, quam ut ſecum deos patrios, veluti comites itineris & auſpices aveherent. Appulſos, quo deſtinarant, vel ubi eos fors fortuna expoſuerat, alia novos advenas inceſſebat religio, adorandi ſcilicet *Deum loci*; pro opinione illorum temporum, quibus vulgo putabatur, ſingulis terrarum tractibus peculiare Numen praeſidere, cujus cultum negligere nefas eſſe ducebant. At ſi plures variarum gentium populi eodem conveniſſent, ſtatuiſſentque unam ſimul civitatem aequo jure conflari; tunc omnibus quidem in communi *Deus loci* proponebatur colendus, attamen ſingulis populis, ex quibus conſtabat civitas univerſa, fiebat poteſtas, ut privatim & inter congeneres (hae ſunt Graecorum *Phratriae*) numina veterum patriarum colere proſequerentur. Faſtidium profecto crearem, ſi quae hic raptim expoſui, latius diducere ſatagerem: res enim notior eſt, quam ut in dubium revocari queat; nequii tamen temperare, quin locum ex IV. Regum XVII. 26. ſeqq. lectorum oculis ſubjicerem; quo in loco, tamquam in tabula, quaenam fuerint opiniones & ſtudia veterum colonorum in religionis negotio, vivis expreſſa coloribus intueri licet: *Nuntiatumque eſt Regi Aſsyriorum, & dictum: Gentes quas tranſtuliſti, & habitare feciſti in civitatibus Samariae, ignorant* (τὸ κρίμα τοῦ θεοῦ τῆς γῆς) *legitima Dei terrae: & immiſit in eas Dominus leones, & ecce interficiunt eos, eo quod ignorant ritum Dei terrae. Praecepit autem Rex Aſsyriorum dicens: Ducite illuc unum de Sacerdotibus, quos inde captivos adduxiſtis, & vadat & habitet cum eis, & doceat eos legitima Dei terrae. Igitur cum veniſſet unus de Sacerdotibus ſuis, qui captivi ducti fuerant de Samaria . . . . docebat eos, quomodo colerent Dominum. Et unaquaeque Gens fabricata eſt Deum ſuum . . . Viri enim Babylonii fecerunt Sochothbenoth; Viri autem Chutaei fecerunt Nergel, & Viri de Emath fecerunt Aſima.*

Por-

Porro Hevaei fecerunt Nabahaz, & Tharchac. Hi autem qui erant de Sepharvaim comburebant filios igni Adramelech, & Anamelech... & nihilominus colebant Dominum... & cum Dominum colerent, diis quoque ſuis ſerviebant juxta conſuetudinem gentium, de quibus tranſlati fuerant Samariam.

Itaque a primis uſque temporibus hoc in more poſitum fuit, ut coloni aliquo traducti, inibi praeter Deos, quos a veteribus patriis quiſque ſuis avexerant, *Deum* quoque *terrae* (τὸν θεὸν τῆς γῆς) h. e. patronum illius, in quam devenerant, regionis, ſibi propitiarent, & colerent. Pone modo tibi ob oculos Thurii civitatem, quae ferme ad ſolitudinem redacta, colonos ex *Achaja*, *Arcadia*, *Attica*, *Boeotia*, *Elea*, *Euboea*, &c. (vide pag. 70. ſeq.) oblatâ ipſis conditione dividendi ſecum ex aequo urbem & agrum Thurii, arceſſivit. Hi turmatim advenere, diviſique in Tribus, cognomines locorum, unde devenerant, unam urbem, unumque cum antiquis habitatoribus populum conflarunt. Quis autem perſuaderi ſibi poterit, tot diverſas gentium cohortes, veterem cultum Deorum, quos colere & invocare a pueris aſſueverant, dedidiciſſe, penituſque ex animo expectoraſſe? Mihi quidem, nec cuivis alii, fiet veriſimile. Quocirca tenendum eſt, multiplices advenas populos, praeter τὸν θεὸν τῆς γῆς (*Deum terrae*), quo devenerant, *Thurium* ſcilicet, illos quoque coluiſſe *Deos* vel heroas, quos ſinguli in ſuis veteribus patriis obſervarunt.

Idem plane de *Eumelidis*, *Eunoſtidis*, *Artemiſiis*, *Panelidis*, *Cumanis* &c. antiquis noſtrae urbis habitatoribus, affirmandum eſt, & ex eorum cognominibus eruendum, quaſnam ipſi inſtitutas a majoribus ſuis retinuerint divinitates. Jam pag. 81. oſtendi paulloque poſt explicatius tradam, primos noſtrae urbis conditores, exſtitiſſe *Pelaſgos*, qui vel ductu vel auſpiciis *Eumeli Pheretiadae*, urbem a ſe in Campania fundatam, de nomine ejus nuncuparunt *Eumelin*; & ipſum *Eumelum* inter *Deos patrios* retulerunt. Alii ſubinde populi ſupervenere, & in aequum jus civitatis recepti, novis colonis urbem frequentarunt, nempe *Artemiſii*, *Panelidae*, *Oenonaei*, *Cumani*. Advenae recenter adſcripti in civitatem, tenebantur ea numina revereri, quae ibi *patria* habebantur; attamen non vetabantur quidem, ut ſinguli per *Tribus* ſuas, ſeu quod idem eſt, per *Phratrias*, obſervare eos deos, quos in veteribus a ſe derelictis patriis fuerant reveriti. Hinc ſane intelligitur, quamobrem in una eademque Neapoli, quae in plures Phratrias erat pro nume-

mero advenarum populorum diſtributa, dii *Patrii* ſimul & *Phratrii* culti comperiantur. Ex. gr. *T. Flavius Pius* ſignum Eumeli *Dei Patrii*, unde nomen Phratriae Eumelidarum, erexit: contra *M. Coccejus* Scyphum *Diis Phratriis* Cumanorum dedicavit.

Non minus de *Patriis*, quam de *Phratriis* diis Neapolitanae civitatis loquitur etiam, ni ſplendide fallor, vetus inſcriptio, palmari littera eleganti in epiſtylio exarata, quae proſtat apud Gruterum CXII. 8.

ΘΕΟΙΣ · ΣΕΒ · ΚΑΙ · ΦΡΗΤΡΙΟΙΣ · ΘΕΩΤΑΔΑΙΜ

Reineſius Cl. VI. 37. qui explorate norat, Neapolitanam civitatem in plures olim Phratrias fuiſſe diſtributam, opinatus eſt, illis litteris male conſarcinatis Θεωταδαιμ, neſcio quam Phratriam *Theotadarum* deſignari. Auctoritas tanti viri Mazochio impoſuit, ut ipſe quoque *Theotadaeos* phratores interpretaretur. At vero haec eadem inſcriptio edita fuerat a Capacio, ejuſdem plane exempli, atque ea quae hodie legitur in Grutero, niſi quod pro ΘΕΩΤΑΔΑΙΜ Gruteriano repraeſentatur ΘΕΩΤΕΔΑΙΜ. Qua Capacii lectione doctior factus Martorellius Th. Calam. p. 671. facilius animadvertit, haſce litteras temere coacervatas, ac proinde in ΘΕΩ ΤΕ ΔΑΙΜονι diſtribuendas eſſe, ut inde hic ſenſus eruatur:

Diis Auguſtis, *& Phratriis*, *deoque* (urbis) *Genio*.

Nihil ea lectione Martorellii expeditius feliciuſque; quam, ut magis magiſque mea opera confirmem, in memoriam lectori revoco, Dionyſium Halic. II. p. 93. haud aliter fuiſſe locutum; ubi de *Curiis* Rom. (quas equidem cum Graecis *Phratriis* aequiparavi pag.52. ſeqq.) agens, haec de Romulo Curiarum inſtitutore peculiariter adnotavit: Διῄρει πάλιν κατ' ἐπιτηδειότητα ταῖς φράτραις τὰ ἱερά, ΘΕΟΥΣ ἀποδεικνὺς ἑκάσταις, καὶ ΔΑΙΜΟΝΑΣ, οὓς ἔμελλον ἀεὶ σέβειν, i. e. *rurſus ſuae* (1) *cuique Curiae ſacra partitus eſt*, *aſſignatis in ſingulas Diis & Geniis*, *quos perpetuo colerent*. Sed *Curiae* (2), utpote ejuſdem civitatis participes, praeter Deos *Phratrios*

(1) Κατὰ ἐπιτηδειότητα &c. recte Latinus interpres reddidit, ſua cuique Curiae Sacra, h. e. prout cuique Curiae reſpondebant. Antea animadvertimus pag. 71. Curias vel a locis, unde devenerant, vel a ſuis ducibus, ſuas arripuiſſe nomenclationes. Quidni & *Deos*, quos didicerant, & ſacra, quibus aſſueverant a pueris, retinuerint?

(2) Vox *Curia*, tum ejuſdem civitatis partem inſignem denotat, tum locum, quo Curiales deliberandi vel ſacrificandi cauſa, conveniebant. Itaque ſingulae *Curiae*, quas Dionyſius, Plutar-

-trios i. e. Curiales, Deos pariter *Patrios* invocabant: de quibus Silius Ital. IV. 672.

Dii Patrii, quorum auſpiciis ſtat Dardana Roma.

Ad ſummam ubi Dii *Phratrii* comparent; quiſque ſibi perſuadeatur oportet, illos ita fuiſſe cognominatos, ut a Diis *Patriis* diſtinguerentur.

At vero in Graeca epigraphe, quam modo protuli, praeeunt Diis *Phratriis* non Dii *Patrii*, ut dignitatis ratio flagitabat, ſed Σεβαστοὶ (*Auguſti*). Vbinam, ſodes, viſi uſpiam ſint Dii *Auguſti* & *Phratrii* in eodem aſſidere ſubſellio? Profecto nulla inter Deos *Auguſtos* & *Phratrios*, at magna apparet inter Deos *Patrios*, & *Phratrios* relatio. Cui difficultati, ut, quoad ejus facere potero, ſatis faciam, praemittendum eſt, Neapolim circa alterum aerae vulgatae ſaeculum, evaſiſſe Coloniam *Auguſtam* (Graece Σεβαστήν), ut pluribus oſtendi in *De Palaeſtra Neapol.* p. 217. ſeqq. Quo honorifico titulo, vel Senatûs conſulto, vel reſcripto Principis impetrato, Civitates adeo ſunt delectatae, ut poſthabitis ferme priſcis locorum nominibus, per antonomaſiam *Auguſtas*, & *Sebaſtas* praeferrent nuncupari. Quamobrem opinor, in Diis *Phratriis* noſtratis inſcriptionis delitefcere *Patrios*, eo ductus indicio, quod Neapoli facta Colonia *Sebaſte*, pro rei dignitate ſit viſum, ut dii quoque *Patrii* auguſtali, prope dixerim, ornati paludamento, propalam *Sebaſti* ſalutarentur. Ergo, Dii Σεβαστοὶ (*Auguſti*) intelligendi ſunt ii, qui colebantur a *Colonia* Σεβαστῇ (*Auguſta*) *Neapoli*, ac proinde Dii *Patrii* Neapolitanorum. Nec porro verendum fuerat, ne *Sebaſte* Neapolis cum pluribus aliis *Sebaſtis* geographicis confunderetur: namque una Neapolis in toto Orbe Romano adhuc *Phratriarum* (unde Dii *Phratrii*) tuebatur inſtitutum. Sed argumento de Phratriis jam in omnes partes verſato exploratoque, oportet, ut ad illuſtrandas Phratriacas inſcriptiones Neapolitanas, quarum gratia ſuſceptus a me hic labor eſt, protinus accedam.

IN

tarchus, aliique Graece reddiderunt φράτρας, ſuos peculiares colebant Deos: quos ſi graeciſſans *Phratrios* appellaris, nulla tibi ſane creabitur invidia. Certe Vesbinus, qui *Curiam* pro corpore *Auguſtalium* aedificarat, non *Curiam* more latino, ſed PHETRIVM inſcripſit, apud Gruterum pag. CCXkV. De quo Vesbini opere erit alias diſſerendi locus.

Digitized by Google

IN INSCRIPTIONES

PHRATRIACAS NEAPOLITANAS

COMMENTARII CAPVT I. Ευμηλειδῶν.

Eumelus Deus patrius Pelaſgicae urbis Phaleri, *quae poſtea* Neapolis. *Eumelus, a quo urbs* Eumelis, *&* *cives* Eumelidae, *ille fuiſſe oſtenditur, qui ab Homero* Eumelus *&* Pheretiades *ex aequo vocatur. Silii Italici locus ſuae veritati reſtituitur. Inſula* Euboea *antea dicta* Aba, *unde* Abantes *Homerici. Primi noſtrae urbis conditores* claſſe Abantia *huc locorum devenere. Studia gymnica Neapolitanorum per* Olympiadas Italicas *inſtaurata. Quinam inter athletas fuerint* Pueri Politici.

A Phratria Eumelidarum auſpicabimur, eo quod Populus *Eumelidarum*, ab *Eumelo* ſic utique dictus, ceteris populis, qui in urbem noſtram ſubinde advenerint, antiquior fuiſſe deprehenditur. De qua Phratria duo ſuperſunt marmora antiqua, quorum prius *Eumelum Deum* urbis patrium oſtentat; in altero Graecorum *ludorum certamina* ab Eumelidis exculta, ac praeterea *Olympiadas Italicas* ad Graeciae tranſmarinae aemulationem enumeratas, contemplabimur. A deo Eumelo, unde ſunt dicti *Eumelidae*, eſto principium.

ΕΥΜΗΛΟΝ · ΘΕΟΝ · ΠΑΤΡΩΟΝ
ΦΡΗΤΟΡΣΙΝ · ΕΥΜΗΛΕΙΔΩΝ
Τ · ΦΛΑΥΙΟΣ · ΠΙΟΣ
ΦΡΟΝΤΙΣΤΗΣ · ΑΝΕΘΗΚΕΝ
ΣΥΝ · Τ · ΦΛΑΥΙΩΙ · ΤΕΚΝΩΙ

Eumelum Deum patrium Phratoribus Eumelidarum T. Flavius Pius Curator dedicavit cum T. Flavio filio. In hac Epigraphe omnia ſunt plana & expedita. ΕΥΜΗΛΟΝ ΘΕΟΝ ΠΑΤΡΩΟΝ. *Eumelus* hîc eſt *Eumeli ſignum*, pro conſueto more Graecorum ac Latinorum. Strabo X. 462. recitat epigramma baſi imaginis Aetoli inſculptum; ubi, Ἐνδυμίωνος παῖδ' Αἰτωλὸν . . . ἀνέθηκαν . . . Αἰτωλοί, *Endymionis filium Aetolum dedicarunt Aetoli*: ibi Αἰτω-

λόν

λόν eſt Αἰτωλοῦ εἰκόνα, *Aetoli imaginem*. Idem Strabo VI. p.264. refert, Metapontinos dedicaſſe Delphis θέρος χρυσοῦν, *aeſtatem auream*, h. e. *ſimulacrum aeſtatis*: ut plenius Herod. II. 121. ἀνδριάντας vocat *ſtatuas Aeſtatis & Hyemis*. Horatio *Apollo dedicatus*, *ſtatua* eſt *Apollinis* ab Auguſto dedicata. Cujas fuerit *Eumelus*, paullo poſt divinabitur. Is deus erat in hac urbe Πατρῷος. Quid interceſſerit diſcriminis inter Deos *patrios* & *phratrios*, jam dicere occupavi pag. 92. Summa huc redit: ſingulae Phratriae peculiares ſuos deos, qui *phratrii* ſunt dicti, colebant; ſed univerſae Phratriae deos *patrios*, qui totius nimirum civitatis & patriae gerebant tutelam, in communi tenebantur obſervare. Eumelus autem, quia primus coloniae huc deductae vel auſpex vel ductor fuit, tamquam deus patriae eſt habitus, non dumtaxat ab Eumelidis, ſed ab iis etiam populis advenis, quos Eumelidae in civitatis ſocietatem receperant.

ΦΡΗΤΟΡΣΙΝ ΕΥΜΗΛΕΙΔΩΝ. *Phratoribus* (1) *Eumelidarum*. Phratriae Neapolitanae, quemadmodum Tribus Atticae, nominibus Heroum plerumque inſigniuntur. Qui ejuſdem Phratriae erant participes, ex aequo nuncupabantur *Phratores*. Sed quoniam in hac urbe noſtra plures Phratriae numerabantur; ſane neceſſe fuit, ut diſcriminantes appingerentur notae, queis Phratores ab ἀλλοφρήτορσιν (*alius Phratriae participibus*) diſcernerentur. Phratria de qua agimus, Εὐμηλειδῶν in hoc marmore exaratur. Emendatius Εὐμηλιδῶν, utpote patronymicum ab Εὔμηλος, ſcriptum oportuiſſet. Sed quis in Graeciſmo, tunc temporis animam agente, oris ſpeciem elegantiamque requireret?

Τ. ΦΛΑΥΙΟΣ ΠΙΟΣ ΦΡΟΝΤΙΣΤΗΣ. *T. Flavius Pius*, *Curator*. Ex toto nomenclationis apparatu, is origine ſaltem Romanus fuiſſe deprehenditur. Gens Flavia frequenter in noſtris marmoribus comparet, ut in Palaeſtra Neap. pag.31. 33. animadverti. Quod autem in rem noſtram juvat collegiſſe, illud eſt, quod Romani homines, quos Neapolitana ſtatione maxime delectatos affirmat Strabo, haud aegre tulerint in Phratrias adſcribi, ut ex hoc T. Flavio Pio erui licet, qui non ſolum allectus in Phratriam, ſed etiam φροντιστής (*Curator*) Phratriae Eumelidarum eſt factus.

N Inter

(1) Τό φρήτορσι eſt a φρήτωρ, at φρήτερσι (vide Heſychium in Πάκτις, & Caſaubonum ad Athen. VIII. p.596.) a φρήτηρ, φρήτερος, unde Latinorum *Frater*: de qua origine plura diſſerui p. 6.

Inter Phratriae magiſtratus, qui in prolixa illa inſcriptione Phratriae Ariſtaeorum enumerantur, φροντιστής (*Curator*) quoque ſuum tuetur locum. Ac fortaſſe Flavius ob eam dignitatem ſibi a Phratoribus delatam, Eumeli ſtatuam in Phratria Eumelidarum ſuo filiique nomine dedicavit.

ΑΝΕΘΗΚΕ ΣΥΝ Τ. ΦΛΑΤΙΩΙ ΤΕΚΝΩΙ. *Dedicavit cum T. Flavio Filio*. Filius a Patre conſultiſſime ſejungitur; qui ſi poſt τὸ φροντιστής (*Curator*), qui ejus genitor erat, ſine ulla intercapedine fuiſſet adſcriptus, in hunc modum, *T. Flavius Pius Curator cum T. Flavio dedicavit*, ut ea nomina propria ordinari juſſit Cl. Scriptor Th. Calam. p. 608. incertum relinquebatur, utrum Pater in *Curationis*, an in *Dedicationis*, ſocietate habuiſſet filium (2). Quamobrem nullus ut ſupereſſet ambigendi ſcrupulus, exaratum in Graeco fuit: *T. Flavius Pius Curator dedicavit cum T. Flavio filio*, nempe ut dedicatio utriuſque nomine peracta intelligeretur.

Sed age, quis hic Eumelus deus patrius Eumelidarum fuerit, intueamur. Scriptor Th. Cal. quamvis de Phratria Eumelidarum diu multumque differuiſſet, de inveſtigando Eumelo deſperaſſe videtur: ſic enim pag. 615. ingenue fatetur: Quis fuerit *hic Eumelus, quem Deum ſuum fecit haec Neapolitana regio, divinet quivis, non ego, cum tot heroas hujus nominis commendat antiquitas*. Atqui e pluribus in antiquitate nomen Eumeli gerentibus inveſtigaſſe illum, qui divinos honores in urbe noſtra promeruit, quam maxime conducebat ad faciendam conjecturam de illo populo, qui in hanc Campaniae oram venerit habitatum. Sane ubi auditur urbs aedificata *Eumelis* cognomine, cives dicti *Eumelidae*, ac deus patrius *Eumelus*; ſtatim ſuccurrit animo conjicere, priſcis illis temporibus alienigenam populum Eumeli cujuſdam ductu vel auſpiciis, ex ipſius patrio ſolo huc fuiſſe deductum, urbemque a nomine conditoris nuncupatam, & conditorem ipſum inter Deos patrios pro conſuetudine aliorum populorum fuiſſe relatum. Itaque patriarum

(2) Latini Scriptores hujuſmodi amphibolias hoc modo decidiſſent: *T. Flavius Pius Curator cum T. Flavio filio dedicarunt*, praepoſitione *Cum* vim copulativae conjunctionis habente; ut non raro uſurpatum intuemur. Virgil. Aen. I. 296. *Remo cum fratre Quirinus, Jura dabunt populis*. Corn. Nep. XIX. 2. *Ejus conſilio Demoſthenes cum ceteris . . . . in exilium erant expulſi*. Conſule Pitiſcum ad Curtii IV. cap. V. p. 170. qui plura hujuſmodi exempla ſuppeditabit.

rum antiquitatum amatoribus nihil ei curae praevertendum fuiſſet, quam ut Eumelum noſtrum inter plures cognomines intento digito demonſtrarent, ac veluti de facie recognoſcerent. Hoc nimirum equidem oſtendere in me recepi, atque indiciis non negligendis palam faciam, *Eumelum* Admeti filium, Homeri carminibus nobilitatum, vel ductu vel auſpiciis ſuis, emiſiſſe Pelaſgicam coloniam in hanc pulcherrimam Campaniae regionem, quae urbem fundarit *Eumelin*, auctoremque ſuum tamquam deum patrium coluerit. In anteceſſum tamen monitum volo lectorem (ne quemquam laude ſua defraudem) Reineſium I. 56. (ubi hanc de Deo Eumelo inſcriptionem expoſuit) ibi agi de Eumelo Admeti filio, Pherarum in Theſſalia regi innuiſſe, ſed adeo ſicce jejuneque, ut nulli ſatisfecerit; uſque adeo ut Scriptor Th. Cal. auctoritatem tanti viri defugere, atque omnimodam Eumeli noſtri ignorationem ultro fateri, quam pedibus in ejus ſententiam ire maluerit. Primum igitur hujus *Eumeli Pheretiadae*, quemadmodum is ab Homero cognominatur, genus & natales exponam; deinde ex *Pelaſgiotide* ubi Eumelus regnavit, non incertum indicium capiam, a *Pelaſgis* noſtram coloniam fuiſſe conditam, quippe quod ejus cives tum *Eumelidae*, tum *Pheretiadae* dicti comperiantur.

Eumelus, qui pro Graecis contra Trojanos militavit, filius Admeti fuit. Hom. Catal. nav. v. 220. Hic idem *Pheretiades* vocatur a Poëta, & a praeſtantia equarum quas ad bellum adduxit, commendatur. Ib. v. 270.

Ἵπποι μὲν μέγ' ἄριϛαι ἔσαν Φηρητιάδαο

Equae omnium optimae erant Pheretiadae, ubi Euſtathius p. 340. monet *Pheretiadem* deſignari vel Admetum *Pheretis* filium, vel ipſum *Eumelum* Pheretis nepotem. Hoc alterum veroſimilius: namque Poëta nullum de Admeti opera in bellum Trojanum collata verbum fecit; Eumeli equarum rurſus meminit Homerus Iliad. Ψ. v. 288. & 380. ut nulli dubium eſſe poſſit, quin *Pheretiades* intelligendus ſit Eumelus, *Pheretis* nepos. Confecto bello Trojano Eumelus in patriam ſuam rediit, & cum Ulyſſes in proximo erat ut Ithacam appelleret, jam Eumelus cum conjuge ſua Pheris degebat. Odyſſ. Δ. 795. Haec uxor Eumeli, forſan *Iphthime* nomine, vocatur a Penelope Vlyſſis uxore Κασιγνήτη (*ſoror*). Ib. v. 809. Hac autem neceſſitudine inter Laërtiadem & Pheretiadem intercedente, conjectura inſtitui ornarique poſſet, Eumelum ab Vlyſſe de amoenitate, opportunitate, ac fortaſſe etiam ſolitu-

dine hujus noſtrae regionis, quam ipſe praeternavigavit, edoctum, fuiſſe ab eodem excitatum, ut rebus jam Pelaſgicis poſt bellum Trojanum in diem ruentibus, coloniam huc emitteret, urbemque in vacuo conderet ſolo. Jamvero Eumelus Pheris in Aemonia regnavit. Pelaſgi a Peloponneſo expulſi in Aemoniam quae poſtea Theſſalia, demigrarunt; ſed ibi quoque ab Hellenibus afflicti alii alio rebus conſuluerunt ſuis. Non pauci tamen e Pelaſgis in Theſſalia conſtitere; quando & latiſſima regio in IV. partes diviſa proditur a vett. Geographis, ſcil. Phthiotin, Theſſaliotin, Eſtiotin, & Pelaſgiotin. In Pelaſgiotide nimirum oppidum *Pherae* regia Eumeli fuit. Strabo p. 442. Atque haec de Eumelo rege Pherarum, Admeti filio habui quae dicerem: nunc eumdem Eumelum habendum eſſe conditorem urbis noſtrae ſuadere aggredior.

Fundus hujus meae opinionis Statius eſt, qui Sylv. IV. 8. 45. ſeqq. ſic cecinit:

> *Dii Patrii, quos auguriis ſuper aequora magnis*
> *Littus ad Auſonium devexit Abantia claſſis:*
> *Tu ductor populi longe emigrantis Apollo,*
> *Cujus adhuc volucrem laeva cervice ſedentem*
> *Reſpiciens blande felix EVMELIS adorat.*
> *Tuque Actaea Ceres, curſu qui ſemper anhelo*
> *Votivam taciti quaſſamus lampada myſtae:*
> *Et vos Tyndaridae . . . .*
> *Hos cum plebe ſua patrii ſervate Penates.*

Plerique Scriptores noſtri, qui res patrias illuſtrarunt, arbitrati ſunt, Eumelum Patrem fuiſſe Sirenis Parthenopes, quae per patronymicum a Statio efferatur *Eumelis:* ſed hi taxantur a Scriptore Th. Cal. p. 615. & haud immerito, ut mihi videtur; quandoquidem ſemivolucres puellae non ab Eumelo, ſed ab Acheloo procreatae feruntur ab Ovidio, Pauſania, aliiſque; ac propterea noſtra Parthenope (quam poëtae, Homero poſteriores, veluti Sirenem commenti ſunt) a Silio Italico *Acheloias* vocatur: affirmat tamen is Cl. Scriptor, *Eumelin* eſſe ab *Eumelo* repetendam; ſed *Eumelin* non totam urbem, ſed urbis regionem *phratorum Eumelidarum* a Statio deſignari contendit. Verum Poëta de *populo* loquitur, quem Abantia claſſis huc locorum devexit, non de *phratria;* praeterea non *phratrios*, ſed *patrios* Deos, & penates precatur, ut Menecratis filios *cum plebe ſua* (hi ſunt cives Eumelidae,

lidae , ſive Neapolitani) incolumes tueantur . Quocirca judicandum eſt, primum urbis nomen fuiſſe *Eumelin*; ſed poſtea aliis ſubinde populis advenis in civitatem adſcitis , in phratriaſque diſtributis , urbis nomen pro temporum conditione fuiſſe variatum . Itaque *Felix Eumelis* Statiana eadem omnino eſt , ac Εὐδαίμων Νεαπόλις , *Felix Neapolis* , quo elogio noſtra urbs a Juliano Imperatore ornatur . His jam animadverſis ſi quis in conſilium adhibuerit ea , quae de voce *Phaleri* peculii Pelaſgici pag. 77. adnotavi , contuleritque cum iis , quae paullo ante de Eumelo Pherarum rege in Pelaſgiotide expoſui , facile hanc urbem noſtram ab Eumelo Pelaſgo , Admeti filio , conditam exiſtimarit . At inquies: Eſto Eumelus Pelaſgus qui primus huc coloniam deduxerit ; at quis tuto affirmare auſit , conditorem fuiſſe Eumelum Admeti filium , Pheretiadem h. e. Pheretis nepotem , & non alium cognominem Pelaſgum ex antiquitate notum? ſi hic unus reſtat ſcrupulus; facile mihi erit , hanc difficultatem amoliri , modo Silii Italici locus corruptus , & hactenus infeliciter explicatus , veritati ſuae reſtituatur .

Silius ergo , qui Conſul proceſſit anno Ch. 67. ſaepiſſime divertit Neapolim , ut viſum iret Virgilii ſepulchrum , quod uti templum ſuſpiciebat . Plin. III. epiſt. 21. Ex quo repetito Neapolim acceſſu , haud futiliter conjicietur , ipſum apprime de Neapolitanis originibus fuiſſe inſtructum . Is autem , ubi infelicem Hannibalis conatum potiundi Neapoli Cumiſque deſcripſit , ſic cecinit lib. XII. 158. . . . *Regreſſus ad altos*

Inde PHERECYADVM muros frondentia laeto
Palmite devaſtat Nyſaea cacumina Gauri .
Hinc ad Chalcidicam transfert citus agmina Nolam .

Capacius lib. II. cap. 20. ex doctorum ſui aevi virorum opinione putat , *Pherecyadas* deſignari *Neapolitanos* & *Cumanos* a *Pherecyde eorum duce* . At , ſodes , unde hic noſter *Pherecydem ducem* eruerit ? Peregrinius in Camp. Fel. II. ubi de Puteolis agit , opinatur intelligi *Puteolanos* (3) . Sed uterque arguitur falſi ex ipſo itinere

(3) Peregrinius vir diligentiſſimus optimeque de litteris meritus in ſtabilienda de Puteolanis Pherecyadis conjectura , hoc Sorite utitur . *Pherecydes* Pythagorae praeceptor *Sami* diutiſſime habitavit . Ex quo Samii dicti *Pherecyadae* . Samii autem , ut ex Chronico Euſebii & Stephano Byzant. colligitur , coloniam condidere Puteolos ; *Pherecyadae* igitur intelligendi ſunt *Puteolani* , utpote origine Samii . Hanc conjecturam expoſuiſſe , perinde eſt ac exſibilaſſe.

nere Hannibalis: qui primum acceſſit Neapolim, a qua oppugnanda *conſpecta MOENIA Poenum abſterruere* Liv. XXIII. 1. mox Cumas eodem infeſto animo contendit, verum hac etiam ſpe fruſtratus, *regreditur*, ut inquit Silius, ad *ALTOS Pherecyadum MUROS*. Nunc ſi Livius cum Silio conferetur, ſine ulla haeſitatione licebit affirmare, Pherecyades Silii neque Cumanos, neque Puteolanos, ſed plane fuiſſe Neapolitanos. Ac primum vox vulgata *Pherecyadae* in aliquot Silii codicibus cum tertia vocali I, exaratur *Phereciadum*. Compertum porro eſt, amanuenſes vel fallente manu, vel ſic uſu ferente, ſaepiſſime litteram T in C mutaſſe (4). Adhibita hac librariorum conſuetudine, cum ex τῷ *Phereciadum* nulla certa populi notio exſculpi poteſt; eo confugiendum eſt, ut a manu Silii exaratum fuiſſe τὸ *Pheretiadum* arbitremur, quod ſcribae librarii poſtea in τὸ *Phereciadum* depravarunt (5). Jam qui ſint *Pheretiadae*, vel me tacente quivis intelliget; nimirum Neapolitani veteres: quorum urbem *Eumelin* & cives *Eumelidas* dictos ab *Eumelo*, jam ſupra prodidimus. At cujus generis nationiſque hic fuerit *Eumelus?* non alius certe niſi ille Admeti filius, & *Pheretis* nepos, qui propterea ab Homero *Pheretiades* nuncupatur. Itaque *Eumelidae* & *Pheretiadae* ſunt plane ſynonymi. Quemadmodum *Aeneae* comites modo vocantur a Marone *Aeneadae*, modo *Dardanidae* mutuato nomine a *Dardano* Aeneae progenitore; ſic et am Neapolitani tum *Eumelidae* ab conditore coloniae Eumelo, tum *Pheretiadae* ſunt dicti a *Pherete* avo Eumeli. Interim ingentes, nec enim diffitendum eſt, Silio Italico habendae ſunt gratiae. Profecto Eumelus & Eumelidae ſatis ſuperque nobis erant comperti: at cujates hi forent, explicate definiri non poterat. Silius vero, nuncupando Neapolitanos *Pheretiades*, certos nos facit, *Eumelum* coloniae noſtrae Pelaſgicae conditorem & indigetem non alium fuiſſe niſi *Pheretiadem* h. e. Admeti filium, *Pheretis* nepotem

(4) Maxime ubi litteram T excipit τὸ I alia ſubſequente vocali; ut in *Otium*, *Nuntium*, quod in *Ocium*, *Nuncium* converſum eſt. Eadem de cauſa *Itius* in *Icius* corruptum legitur in Horat. I. od. 29. & Cic. Phil. III. Plin. Hiſt. Nat. I. ſed ibi reponendum eſſe *Itius*, jam viri docti monuerunt, quia inter gentes Rom. *Itia* non *Iccia* gens comparet.

(5) Correctioni modo propoſitae minime officit, quod Statius primam ſyllabam in *Pheretiades* ab Homero productam corripuerit; namque ab ipſo Homero Odyſs. Λ. verſ. 258. corripitur *φέρης*, Admeti pater, & avus *Eumeli Pheretiadae*. Vide ibi Euſtathium.

tem. Qua porro aetate Pelaſgica Colonia Eumelidarum in has Campaniae oras delata fuerit, jam pag. 82. ſum praefatus; nempe poſt Trojani belli tempeſtatem, cum adhuc Pelaſgica gens nonnihil e priſtina potentia tuebatur; maxime in *Chalcidica* regione, in inſulis *Lemno* & *Imbro*, quas a Pelaſgis Othanes Dux Cambyſis eripuit. Herod. V. 26. qui lib. VII. 42. *Antandrum* etiam *Pelaſgidem* memorat.

Noſtra colonia *Eumelis* deducta fuit *Abantia claſſe*, ut eam vocat Statius l. c. ex ea ſcilicet inſula, quae antea *Abantis*, poſtea *Euboea* tranſnominata fuit. Heſiodus, ex deperdito ejus carmine, apud Stephanum in v. *Abantis*.

. . . . *in divina inſula*,
Quam prius Abantidem *vocabant Dii aeterni*,
Quam nunc a bove *cognominatam* Euboeam *vocavit Jupiter*.

Ea nomenclationis varietate hoc unum ſignificatur, *Abantidem* eſſe vocabulum antiquius, *Euboeam* recentius; & ſane Homerus *Euboeae* quidem meminit, ſed eos, qui ex hac inſula opitulatum iverant Graecis, non *Euboicos* ſed *Abantes* nominat. Quamobrem concoquere non poſſum etymologiam *Abantum* a Bocharto allatam; qui vir admiranda eruditione praeditus, *Abantes* a Phoenicia radice אבס *Abas*, quod eſt *ſaginavit*, deduxit, eo fultus argumento, quod *Euboea*, ubi *Abantes* Homerici, opimis paſcuis abundaverit. Verum hoc pacto vir praeclariſſimus *Abas* Phocicas cum ſaginantibus paſcuis Euboeae confundit, cum utraque vox tum ſono diſcrepent, tum ſignificatione: praeterea Abantes non indigenae ſunt inſulae Euboeae, ſed advenae ex Abis, uti mox docebimus.

Strabo pag.445. ex Ariſtotele refert: *Thraces* (hi ſunt Pelaſgicae gentis) *Abis Phocidis urbe profectos*, *inſulam hanc* (Euboeam, de qua loquitur) *occupaviſſe*, & *incolis Abantum nomen impoſuiſſe*. Hoc primum pro certo teneamus, *Abantes* Euboeae ab iis Thracibus fuiſſe propagatos, qui ex eorum patria *Abis* ſcil. profecti transfretarunt in inſulam, eamque occupaverunt. *Abae* vel *Aba* (utroque numero hanc urbem veteres extulerunt) urbs in Phocica regione, nulla re magis commendata, quam ex Oraculo: de quo Herodotus, Strabo, Diodorus, Pauſanias. Sed praeſtat Herodotum producere; namque ad ejus uſque aetatem Oraculum perduravit. Ergo Herodotus VIII. 33. ubi narrat Perſarum populationes ductu Theſſalorum in Phocica regione, haec de *Abis* refert:

Digitized by Google

ſert : *Vbi delubrum Apollinis erat locuples , theſauris ac donariis compluribus exornatum ; ubi etiam tum erat , ſicut nunc quoque eſt ORACVLVM* (χρηςήριον). Hoc autem oppidum diripuerunt Perſae & incenderunt : ſed oraculum non ſiluit , ut de ſua aetate praeter Herodotum , teſtatur etiam Strabo p. 423. *Neque longe ab iis locis abſunt ABAE , quod eſt ORACVLVM* (μαντεῖον) , quaſi ſynonyma forent Ἄβαι & Μαντεῖον . Et ita quidem ſe res habet . Nam ſi mihi quoque facultas ex Phoenicia voce deducendi *Abae* etymologiam daretur , ſine ulla haeſitatione eam ex אוב *Ob* repeterem , quae vox *Pythonem* , divina conſulentibus reſponſa dantem , ſignificat . Saepiſſime ea vox in vetere Teſtamento recurrit , neque quis alius , niſi qui Graecis dicitur Πυθόμαντις *fatidicus* , intelligitur . Ex *Ob* Phoenicio facile fuit *Aba* ſeu *Auba* , converſo , uti fieri ſolet , Vau Cholem (*6*) in AV , efferri ac pronuntiari : quae vox primitus *Oraculum* denotabat : mox hominibus de futuro eventu ſollicitis , illuc in dies confluentibus , paullatim ibi coaluit populus , factaque urbs , *Aba* dicta eſt , & cives *Abantes* ; ferme ut ii populi , qui in nemore circa Hammonis oraculum (κωμηδὸν) *vicatim* habitabant , *Hammonii* ſunt dicti . Diodor. XVII. 50. Curtius IV. 7. Audivimus paullo ante a Strabone , Thracas ex urbe *Abis* profectos inſulam Euboeam occupaſſe , nomenque ſuum cum incolis communicaſſe . Incolis adde quoque ipſam inſulam , quae *Abantis* vocata proditur ab Heſiodo . *Abantes* igitur , quos Homerus excivit ex Euboea , ſunt plane oriundi ex iis Thracibus , qui *Abis* in Phocide relictis , in inſula Euboea lares fixerant ſuos . Inde quoque repetenda eſt *Abantia Claſſis* Statii , quae *Eumelidas* Neapolim devexerat .

Sed poſt bellum Trojanum , hoc eſt , poſteaquam Graecia ſuas vires ſimul collectas , quantum valerent , experta eſt ; Pelaſgi & qui cum Pelaſgis faciebant , vel internecione ab Hellenibus deleti ſunt , vel ſubacti in eorum venerunt poteſtatem . Sollemne autem Graecis fuit , locorum barbara vocabula ita inflectere & emollire , ut Graecanicae jamdudum originis eſſe viderentur : quocirca ea ſubſtituere affectabant , quae cum ipſius loci convenirent ingenio .

In

(*6*) In nummis *Cauloniae* ſaepe Jupiter *fulmina* jaculans exhibetur . Hinc Mazochius *Tab. Her. l.* pag. 527. feliciſſime divinavit , etymon Cauloniae repetendum eſſe a קול *Col* ſeu *Caul* , h.e. *Vox* : & ſane *Vox Domini* in Sacris Bibliis haud raro *tonitruum* ſignificat .

In quo mangonico artificio detegendo Bochartus, & qui eum aemulatus eſt, Mazochius, enixe laborarunt, & plura ſane vocabula, quae ad ſpeciem videbantur Graeca, enuclearunt, & quaſi recuperatorio judicio, ſermoni aſſeruerunt Phoenicio. Vt ecce *Abantum* inſula, ab imperante populo *Aba* vel *Auba* vocabatur. Sed poſtquam ea inſula Graeci potiti ſunt, hi *Auban* in *Euboeam* tornarunt, eoque veroſimilius, quia eo vocabulo optima natura loci exprimebatur, paſcuorum feraciſſimi, bobuſque paſcendis omnium opportuniſſimi: ac proinde Graeci poëtae commenti ſunt, ea in inſula Apollinem *boum* Admeti (is eſt *Pheretis* filius, & *Eumeli* noſtri pater) armenta paviſſe. Vide Servium ad Georg. III. 2. Spanhemium ad Callimachi hymnum in Apollinem v. 48. Atque haec, quam expoſui, Abae in Euboeam metamorphoſis, non leve praeſidium ſibi adſciſcit ab Heſiodo; is enim admonet, quae inſula ſuo tempore a *bove* dicebatur *Euboea*, antea fuiſſe *Abantidem* vocatam. Itaque ut in pauca huc uſque dicta contraham; *Abantes* nomen repetunt ſuum ab *Aba* urbe Phocidis. *Abam* vero haud aegre deduxi ab אוב *ob* ſive *aub*, quae vox *Pythonem* denotat, quia ea urbs praedivite Apollinis delubro, & quod magis ad rem noſtram facit, *Oraculo* inclaruerat.

Antequam hinc abeam, praetereunda ſilentio haud eſt accuratiſſima Homeri in ſcribendo proprietas. Sua aetate inſula *Aba* jam ab Hellenibus occupata, vulgo, ne Homero quidem excepto, appellabatur *Euboea*: attamen is priſcos inſulae dominos belli Trojani tempore deſcripturus, non *Euboeenſes*, ſed *Abantes* denominat, ſicuti re vera illo aevo compellabantur. Inde facile eſt colligere, Abantes non citius Ilii excidio, neque poſt Homeri aetatem ex inſula fuiſſe profligatos: quo temporis interſtitio cultiores Hellenes barbarum *Abae* vocabulum modificati ſunt in *Euboeam*. Nec Statius noſter laude ſua privandus eſt; qui, cum cecinit, conditores noſtrae urbis (quam ab *Eumelo* appellat *Eumelin*) vectos *Abantia claſſe* in hanc Campaniae oram appuliſſe, haud dubiis characteribus aetatem coloniae Pelaſgicae huc deductae, definit. *Eumelus* enim Pheretiades bello Trojano interfuit; eoque tempore *Abantes* adhuc in inſula, tunc *Aba* dicta, dominabantur. Quocirca eruendum e Statio apparet, aetatem coloniae *Phaleri*, quae Neapolis eſt, illo tempore eſſe conſignandam, quae poſt Iliacam calamitatem & ante Homeri excurrit natale; ut paullo ante pag. 82. conjeceram. Atque haec de prima e duabus inſcriptio-

O ni-

nibus, ubi Phratria Eumelidarum ſe dat conſpiciendam: nunc ad alteram illuſtrandam accedo.

In antica Marmoris facie

Τ̄ . ΦΛΑΒΙΩΙ . Τ . ΥΙΩΙ
ΕΥΑΝΘΗΙ ΝΙΚΗΣΑΝΤΙ
ΙΤΑΛΙΚΑ ΡΩΜΑΙΑ ΣΕΒΑΣΤΑ
ΙΣΟΛΥΜΠΙΑ ΤΗΣ. Μ̄. Γ̄.
ΙΤΑΛΙΔΟΣ. ΠΑΙΔΩΝ
ΠΟΛΙΤΙΚΩΝ. . ΔΙΑΥΛΟΝ
ΑΝΑΘΕΝΤΙ ΕΝ ΤΗΙ ΦΡΗΤΡΙΑΙ
ΑΝΔΡΙΑΝΤΑΣ. ΔΙΟΣΚΟΥΡΩΝ
ΣΥΝ. Τ. ΦΛΑΒΙΩΙ. ΖΩΣΙΜΩΙ
ΑΔΕΛΦΩΙΤΩΑΥΤΩΑΓΩΝΙ
ΤΑΓΜΑΝΙΚΗΣΑΝΤΙΚΑΙ
ΒΡΑΒΙΟΝ. ΛΑΒΟΝΤΙ
ΕΥΜΗΛΕΙΔΑΙ. ΦΡΗΤΟΡΕΣ
ΑΜΟΙΒΗΣ. ΕΝΕΚΕΝ

In altera Marmoris facie.

ΣΕΟΥΗΡΩΙ ΚΑΙ ΕΡΕΝΝΙΑΝΩΙ ΥΠΑΤ
ΡΟ
ΥΠ. Ε. ΕΙΔΩΝ ΜΑΡΤΙΩΝ
Τ. ΦΛΑΒΙΟΣ ΖΩΣΙΜΟΣ ΚΑΙ
ΦΛΑΒΙΑ ΦΟΡΤΟΥΝΑΤΑ ΓΟΝΕΙΣ
ΧΑΡΙΣΑΜΕΝΟΙ. ΛΥΧΝΙΑΣ ΜΕΤΑ
ΛΥΧΝΩΝ. ΚΑΙ ΒΩΜΟΥΣ ΔΙΟΣΚΟΥΡ
ΑΥΘΙΣ ΚΑΘΙΕΡΩΣΑΝ

Laurea corona, in cujus medio legitur.

ΣΕΒΑΣΤΑ

T. Flavio T. Filio Evanthi (1), *qui* (in certaminibus) *Italicis, Romanis, Auguſtis Olympiorum aemulis* (Olympiadis) *XLIII. Italicae vicit puerorum politicorum claſſem, dedicavitque in Phratria ſigna Dioſcurorum una cum T. Flavio Zoſimo fratre, qui eodem agone ſuperavit claſſem, & aſſecutus eſt praemium, Eumelidae Phratores remunerationis cauſa.*

Severiano & Herenniano Coſs. V. Idus Martias T. Flavius Zoſimus & Flavia Fortunata parentes elargiti candelabra cum lucernis araſque Dioſcurorum vice ſua dedicarunt.

Viginti quinque abhinc annis inſcriptionem hanc protuli in *Palaeſtra Neapolitana*, & pluribus a pag. 148. ad pag. 160. illuſtravi.

(1) In marmore ΕΤΑΝΘΗΙ, perinde ac ſi eſſet primae Simplicium Ε'υάνθης, οῦ, ῃ. Quod veto damnari. Sane Grammatici obſervarunt, nomina propria primae Contractorum in quibuſdam caſibus, ut quarto & quinto, tamquam primae Simplicium inclinari: qui minus & in tertio caſu licuit, maxime adſtipulante noſtri marmoris auctoritate? Ε'υάνθης & apud Plutarchum in Solone & apud H. Stephanum, penacuitur; at indicio hujus marmoris, oxytonum, ut cetera ſunt quae cum Α'νθος componuntur, eſſe debet.

Digitized by Google

ſtravi. Omnium nunc breviſſimum foret, illuc amandare lectorem. Verum cum ejus diſſertationis exemplaria haud facile cuivis eſſe poſſent in promptu; ac praeterea ne inſcriptionem, quam omnibus equidem Phratriacis epigraphis Neapolitanis ob *Olympiadum Italicarum* mentionem antefero, ſine ullo illuſtrationis choragio dimitterem; haud abs re me facturum arbitratus ſum, ſi ea tantum illinc excerperem, & αὐτολεξεὶ (*ad verbum*) recuderem, quae mihi ad juſtam hujus inſcriptionis illuſtrationem ſatis eſſe videntur.

Phratria ergo *Eumelidarum* titulum, baſi marmorea exaratum, *T. Flavio*, *T. Filio*, *Evanthi* (2) poſuit. De hujuſmodi titulis late diſſerui in *Palaeſtra Neapol.* Cap. II. pag. 26. ubi oſtendi titulos hoſce citra ullius ſtatuae poſitionem fuiſſe marmori mandatos, idque preſſius eſſe, quod Latini *Titulum ponere*, Graecique Τιμὴν ἀναςῆσαι dixerunt; itaque ubi baſim antiquitus inſcriptam contemplemur, neceſſe non eſt, ut continuo de ſtatua illic impoſita cogitemus. Tituli enim id genus plerumque athletis, quemadmodum Evanthi noſtro, in victoriae monumentum excitabantur: tametſi honor is Evanthi non magis victoriae cauſâ, quam *ſtatuarum* Dioſcurorum dedicatione, delatus ſit. *Evanthes* enim cum *fratre T. Flavio Zoſimo*, *ſigna Dioſcurorum in Phratria*, tum ad loci ornamentum, tum in argumentum gymnicae palmae, appoſite *dedicarat*. Appoſite inquam; nam haud mediocris *Flaviis* fratribus cum *Caſtoribus* convenientia intercedebat; ita ut harum ſtatuarum honor ab utroque fratre Divis Fratribus prope (3) debitus videretur. Dedicatis igitur in phratria ſignis Dioſcurorum, Eumelidae *remunerationis gratia* titulum hunc poſuerunt. Nec eatenus mutua ſtetit officiorum concertatio: quandoquidem, ut in altero lapidis latere legitur, *T. Flavius Zoſimus* ac *Flavia Fortunata* no-

(2) Cur Flavii fratres athletae e diis ἐπαγωνίοις (*palaeſtrae praeſidibus*) non paucis, Caſtorem ac Pollucem ornare maluerint, haud difficile illi erit divinare, qui reputaverit, par nobile divum fratrum gymnicis quoque exercitationibus inclaruiſſe. Quamobrem non magis religione, quam parium ſtudiorum conjunctione ac germanitate ducti videntur, ut Dioſcurorum ſimulacra dedicarent. Ceterum divi Caſtores impenſe culti in urbe Neapoli fuere, uti ex lapide noſtrate apud Gruterum XCVIII. 2. diſcere licet.

(3) Eduardus Corſinus Vir Clariſſimus hanc epigraphen primus omnium illuſtravit in *Agoniſticis* Diſſert. IV. pag. 103. diligenterque enucleavit. Eodem verſando ſaxo inſudavit poſtea Martorellius noſter in *Theca Calamaria* a pag. 609. ad pag. 612.

Digitized by Google

ſtrorum athletarum *parentes*, χαριστάμενοι (Corſinus *filiis obſequentes:* Scriptor Th. Calam. *voti compotes* verterunt: mihi magis placet) *elargiti candelabra cum lucernis araſque Dioſcurorum*, αὖθις καθιέρωσαν, *rurſus* h. e. vice ſua (nam ſigna Caſtorum nomine filiorum dedicata fuerant) *conſecrarunt*.

Dedicandorum ergo ſignorum occaſio ex opportunitate victoriae athleticae deſumpta eſt. Enimvero, ut in marmore ſcalpitur, vicerunt Flavii fratres Quinquennalia Neapoli ; quae certamina majoris amplificationis cauſâ cognominantur *Italica*, *Romana*, *Auguſta*, & *Olympiorum aemula*. Corſinus primum aeſtuavit, unum ne an plura certamina hic deſignarentur; ſed poſtea dubitatione depoſita, de uno eodemque agone verba fieri affirmavit; idque pluribus, quam oportuit, ſuadere contendit. Atqui eo labore ſuperſedere poterat vir eruditiſſimus : nam cui ignota eſt Graeculorum ventoſiſſima de ludis gymnicis opinio? Sane advertimus pag. 20. athletarum ſynodum ad oſtentationem renuntiari voluiſſe, φιλορώμαιον, καὶ φιλοσέβαστον, *amicam-Romanorum*, *amicam-Auguſtorum*. Hinc minus mirari ſubit, ſi hîc certamina ipſa Ρώμαια καὶ Σέβαστα, *Romana*, & *Auguſta* praedicantur. Additur autem hinc τὸ Ἰταλικά, ut Auguſtalia *Italica* ab aliis alibi gentium (4) editis, diſtinguerentur; hinc τὸ Ἰσολύμπια, ut oſtenderetur, Auguſtalia tantae fuiſſe Neapoli dignationis, ut cum *Olympiis* ipſis praemio & dignitate *aequipararentur*. Atque huic altius excitatae de Auguſtalibus Neapolitanis opinioni Strabo velificatus eſt, cum de Neapolitanis lib. V. p. 246. inquit: Πενταετηρικὸς ἱερὸς ἀγὼν συντελεῖται παρ' αὐτοῖς. . . . ἐνάμιλλος τοῖς ἐπιφανεστάτοις τῶν κατὰ τὴν Ἑλλάδα. *Sacrum quinquennale certamen ab ipſis agitur . . . . ludis Graeciae nobi-*

(4) Certe Alexandriae edita fuiſſe, patet ex inſcriptione Gruteri CCCXVI. 2. Σέβαστα ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, *Auguſtalia Alexandriae*. De Romanis Auguſtalibus nulli dubium. Sed eccur Auguſtalia hîc *Italica* dicantur, & non potius *Neapolitana*, ut ceteroqui factum oportuit, ſicuti apud Grut. CCCXIV. Σέβαστα ἐν Νέᾳ πόλει? Vox enim *Italica* nimis ambitioſa eſt, & vaſtioris quidem ſignificationis, quam ut ſub *Italiae* nomine Neapolis veniret. Equidem non magis id ad arrogantiam noſtrorum hominum pertinuiſſe arbitror, quam quod Neapolitani ea tempeſtate ſoli in Italia hoſce ludos ritu Graeco frequentarint; idcirco dubitari non poterat, quin Auguſtalia *Italica* privatim Neapoli tribuerentur. Eo etiam refer, quod *Olympiades*, quas una Neapolis obſervabat, in marmore *Italicae* dicuntur. Nimirum quia Neapolitani conſuetudinem numerandi annos per Olympiades, ſoli Italorum ex more Graeco retinuiſſent.

nobiliſſimis aemulum. Dolet interim mihi, quod Corſinus, fortaſſe deceptus exemplari, ubi diviſim ΙΣ ΟΛΥΜΠΙΑ pro Ἰσολύμπια exhiberetur, ipſe ratus binas eſſe voces, ſit praeter verum ΙΣελαςικα, Ὀλύμπια (5) interpretatus.

Jamvero ad ludi genus quod attinet; vicit Evanthes παιδῶν πολιτικῶν δίαυλον, *iteratum curriculum puerorum urbanorum*. Eadem in claſſe (6) viciſſe videtur frater ejus Zoſimus, & βραβῖον (pro βραβεῖον) victoriae ſcilicet *praemium* retulerat. Quid porro ſit δίαυλος (7) Pauſanias breviter quidem, ſed accurate deſcripſit, & Heſychius ac Suidas dimenſionem tradidit. Porro quam ob rem *pueri*, quibuſcum Evanthes certavit, πολιτικοὶ (*urbani*) dicantur, infra (8) conjiciam.

Sed

(5) Praeterquam quod τὸ Ἰσελαςικὰ probâ orthographia non ſuſtinetur, hoc amplius excludi debet, quod alterutrum vocabulum, aut Εἰσελαςικὰ, aut Ὀλύμπια, redundaret. *Olympium* enim certamen potiore in primis ratione *Iſelaſticum* erat: itaque ſatis ſuperque fuiſſet, Auguſtalia renuntiari *Olympica*; hoc autem ipſo ſimul etiam *Iſelaſtica* eſſe ſignificabantur.

(6) In marmore ſcalpitur: Τῷ αὐτῷ ἀγῶνι, *in eodem certamine* h. e. *iterato curſu*, quo victor exſtiterat Evanthes. Τάγμα ſive *aciem* cum Corſino, ſive *claſſem* interpreteris, perinde eſt. *Collegium Epheborum*, quod vertit Cl. Scriptor Th. Calam. non placet. Illi enim, qui nomina dabant palaeſtrae, collectitii erant, nec niſi edendorum ludorum causâ coibant; neque corpus politicum conſtituebant, neque ullis legibus, praeterquam palaeſtricis, obligabantur. Agonothetae porro ſive Gymnaſiarchae officium erat, probare athletas, eoſque in *numeros* ſive *claſſes* (ea ſunt τάγματα, a re militari ad gymnicam traducta) digerere, ſimulque edicere, qui eorum in *claſſe puerorum*, quive in *imberbium* ac denique *virorum*, committi deberent. Quamobrem ex claſſe Evanthis innoteſcet, ecquod fuerit τάγμα ſive *claſſis*, quam Zoſimus ſuperavit; nempe *urbanorum puerorum*; quibus Evanthes quoque palmam in eodem certamine praeripuerat.

(7) *Diauli*, ſive iterati curſus, dimenſionem habes apud Suidam. Sed lege, quae Joannes Alberti ad Heſychium in ea voce commentatur in Suidam. At *diaulum* nemo luculentius, quam Pauſanias, prope dixerim, delineavit; qui Eliac. I. 17. expoſiturus vetuſtiſſimam ſcribendi rationem, quae, quoniam *boum ſulcos*, a dextra in laevam & alternis vicibus a laeva in dextram euntes, imitaretur, a Graecis βουςροφηδὸν dicebatur; hac breviſſima comparatione rem illuſtrat, Ὥσπερ ἐν διαύλου δρόμῳ, *quemadmodum in diauli curſu fit*. Nempe in diaulo quaedam curſûs reciprocatio fiebat; ad metam enim currebatur, indeque rurſus ſine ceſſatione repetebatur curſus: ſic pariter etiam antiqua illa ſcribendi methodus decurrebat.

(8) Neapolitani jam municipes Rom. facti, per peregrinae conditionis artifices, Romanorum ſcilicet exemplo, ſpectacula gymnica inſtaurabant. Nolo tamen ſic mihi dicta accipias, quaſi noſtros homines, adhuc in aliquo graeciſmo perſeverantes, omnino excluſerim a palaeſtra; verum ajo, plurimum eo tempore delibatum e gymnaſii dignita-

te,

Digitized by Google

Sed ecquando Evanthes in ſtadium Neapolitanum prodierit, per auctoritatem marmoris ignorare non licet; viciſſe nempe ibi proditur, *Auguſtalia*, *Olympiorum aemula* ΤΗΣ Μ. Γ ΙΤΑΛΙΔΟΣ. Doctiſſimus homo noſter, quem ſaepe laudavi, interpretatur, τῆς Μεγάλης Γραικίας Ἰταλίδος, *Magnae Graecie Italicae*. Serio ne an captandi riſus cauſa? Hoc alterum malim. Nam quis Graece ſcribens umquam Γραικίαν appellavit eam regionem, quae nonniſi Ἑλλὰς dicta (9) reperitur? Praeterea quid attinuit τὸ Ἰταλίδος addere? num ut ab alia Magna Graecia, Gallica nimirum, ſi diis placet, aut Hiſpanica, diſtingueretur? Tum porro quis noſtrum hominem docuit, Neapolim in Magnae Graeciae themate comprehenſam fuiſſe? Sane fines Magnae Graeciae anguſtiores erant, quam ut urbem quoque Neapolim complecterentur. Conſule Mazochium in Tab. Heracl. p. 13. ſeq. Poſtremo, ut ut dem Neapolim, utpote urbem origine graecam, recte dici poſſe, in *Graecia* conſtitiſſe; numquam tamen in *Magna Graecia* fuiſſe, ſuadebitur. Profecto quicquid Graeci nominis fuit, quin id *Graecia* appelletur, haud repugnaverim; at *Magnae Graeciae* nomenclatio ſic illi regioni peculiaris erat, ut eam ab Elide, atque a cetera diſſeminata Graecia diſtingueret. Sed cauſae jugulum rectâ petamus: Veteres ſcriptores ſic de *Magna Graecia* meminerunt, ut id nominis, nonniſi quamdiu ibi Graecorum coloniae floruerunt, regioni haeſiſſe oſtendant (10); at poſtquam omnia ad barbariem defecerint; cre-

te, noſtroſque homines, ratos rem gymnicam puerile eſſe negotium, nonniſi pueros ſuos adhuc ſub palaeſtrae diſciplina, dum interim & peregrinos homines committebant, & in puerorum certamine ſuos etiam pueros componebant. Hinc ortum mihi videtur diſcrimen inter *pueros urbanos* & *peregrinos*. Evanthes in hoc lapide viciſſe dicitur παιδῶν πολιτικῶν δίαυλον, *puerorum politicorum iteratum curriculum*. Simul ac audis *pueros urbanos*, animo reputa, fuiſſe quoque in palaeſtra *peregrinos*. Apud Athenaeum V. p. 194. ἱππεῖς πολιτικοὶ, ſunt *urbani equites*, comparate ſcilicet ad *peregrinos*, qui paullo ante ab eo recenſentur.

(9) Pluribus docere ſatagit homo noſter eruditiſſimus, eos, qui poſtea Ἕλληνες, olim Γραίκους audiviſſe. Sed cui non dictus Hylas? Equidem maluiſſem ut unam ſaltem ipſe veterem auctoritatem prodidiſſet, ubi *Magna Graecia* dicta reperiatur Μεγάλη Γραικία Ἰταλίς. At quî prodere poterat, ſi quae contendit, univerſa ignoravit antiquitas?

(10) Graeci Latinique Scriptores ſic de Magna Graecia locuti ſunt, ut eam vetuſtiſſimis, non ſuis quidem certe temporibus, ſtetiſſe ſignificent. Thucydides II. mihi p. 175. *Quo tempore in illa Italiae parte* (κατὰ τὴν Μεγάλην Ἑλλάδα ΤΟΤΕ προσαγορευομένην) *quam Magnam Graeciam TVNC vocabant, Pythagoreorum collegia ſunt incenſa.*

Valer.

credibile non eſt, antiquatam jam *Magnae Graeciae* nomenclationem, reſtitutam fuiſſe exeunte altero Chriſti ſaeculo in inſcriptione noſtra, ſic ut quis viſis illis ſiglis M. Γ. confeſtim ac nullo praeeunte monitore, ultro de *Magna Graecia* cogitaret. Mihi quidem, nec cuivis alii, opinor, perſuadebitur.

Reducto itaque ſipario, neque ibi Magnâ Graeciâ latere deprehensâ, liberum cuique fuerit ſuſpicari, ſiglas M. Γ. non eſſe elementares vocabulorum litteras, ſed utique artificiales notas, ſignandis numeris excogitatas. Enimvero nihil magis obvium in elogiis athleticis occurrit, quam ut poſt enárratam victoriam, confeſtim ad fidem rei geſtae faciendam, annus, quo parta victoria fuit, conſignaretur. Quamobrem cum in inſcriptione dicatur, Evanthem viciſſe **Σέβαστα** Ἰσολύμπια τῆς $\overline{\text{M.Γ.}}$ Ἰταλίδος, tralaticiae conſuetudinis ratio poſtulat, ut intelligamus, athletam noſtrum viciſſe *Auguſtalia*, *Olympiorum aemula* (Olympiadis) *XLIII. Italicae*. Abeſt quidem vox *Olympiadis*; ſed praeterquam quod ex ipſo contextu ſupplenda dabatur; ſponte ſua ex τῷ praecedente Ἰσολύμπια fluebat, ut protinus Ὀλυμπιάς, connectenda utique cum notis numeralibus $\overline{\text{M.Γ.}}$ (*XLIII.*), deliteſcere intelligeretur; ad normam ſcilicet athleticarum inſcriptionum, in quibus *Olympias* initi agonis ſignificari ſolebat. Jamvero additur *Italicae*, ut moneretur lector, numerationem Olympiadis in marmore ſignatae, non ab Elidenſi, ſed ab Italica conſuetudine eſſe repetendam. Sed age, ecquid Cl. Scriptor Thecae Calam. Corſino, qui primus eruerat Neapolitanas Olympiadas, obduxerit, propius inſpiciamus: ***Sed nihil magis*** (inquit pag. *614.*) ***tam belle quaeſitum tanti viri*** (is eſt Corſinus) ***interpretamentum elevat, quam quod bis cerneres in eodem lapide annum agonum victoriae; ſcil. tum Olympiade 43. tum Coſs. Severo & Herenniano: quod quam ſit novum atque inſolens, quiſque exputat***. Sed eruditiſſimo homini, neſcio quid humanum paſſo, indulgenda eſt venia, cum vacillante memoria id ***novum atque inſolens*** traducit, quod millies ab eo fuiſſe lectitatum, mihi perſuadeo. Ubicumque peculiares epochae uſurpabantur, ibi plerumque duplices annorum characteres ſignari deprehendimus;

quo-

Valer. Maximus lib. VIII. *In Italiae etiam partem, quae TVNC Major Graecia appellabatur, pervexit*. Quae cum ita ſint; ecquas Scriptori lapidis Neapolitani cauſas incidiſſe ſuſpicabimur, ut Magnae Graeciae, quae jamdudum eſſe deſierat, antiquatam nomenclationem reponeret in ſcaenam.

quorum unus imputandus eſt illi urbi, ad quam res geſta ſcriptave pertinet; alter ille eſt idemque notior, quem pleraeque gentes in commune obſervabant. Eaque numerandorum annorum ſedulitas non ſolum hiſtoricis, quorum maxime intereſt quaſcumque temporum circumſtantias adnotare, ſed lapidibus (11) etiam, quorum praecipua dos in breviloquentia ſita eſt, commendatur. Cum itaque in noſtro marmore tum Olympias XLIII. (quae ad Graeculos Neapoli feriantes ſpectabat) tum Conſulatus Severi & Herenniani (quae communis erat per Orbem Rom. epocha) ſignetur; quid, rogo, *novum atque inſolens* in ea temporum deſignatione incuſabimus? Imo contra ſi ſapimus, ſcalptorem noſtrum binos ejuſdem epochae characteres Graece (12) Latineque conſignantem, appoſite ad plenam temporis intelligentiam, cumulateque feciſſe, judicabimus. Praeterea nihilo firmior eſt altera noſtri viri eruditiſſimi criminatio: *Cum hi* (ead. pag. 614.) *Flaviorum gentis liberti Evanthes, Zoſimus, & Fortunata Romà Neapolim ſe recepiſſent, ab eiſdem Latinorum more, Conſulum nempe nominibus annos, non vero Olympiadum numero, quas vergente ſecundo Chriſti ſaeculo ne in ipſa quidem Graecia celebratas reperies, adnotandos oportuit*. Quae de ſtatu libertino athletarum, de eorumque profectione Romà Neapolim, comminiſcitur, ſunt plane incerta; at illud omnino falſum, *Olympiadas vergente ſecundo Chriſti ſaeculo ne in Graecia quidem fuiſſe celebratas*. Diu enim poſtea Julianus Caeſar in *Epiſtola pro Argivis* 18. aetate ſua, h. e. inclinato jam ſaeculo IV. Olympiadas in Graecia πολυθρυλλήτους (*celebratiſſimas*) memoriae prodidit. Sed ne a marmorum auctoritate abſcedamus; Olympias CCXL. conſignata viſitur in lapide Gruteriano pag. CCCXIV. quae Olympias incidit

(11) Legatur vetus Puteolana inſcriptio, quae aliquando Neapoli proſtabat, apud Gruterum p. CCVII. ubi: *Ab Colonia deducta anno XC. . . . P. Rutilio, Cn. Mallio Coſs.* Colonia Romana deducta fuit Puteolos anno V.C. 559. Rutilius & Mallius proceſſere Conſules anno V.C. 649. Itaque tum annus XC. ab Colonia deducta, tum Conſulatus Rutilii & Mallii ſunt unius ejuſdemque epochae characteres. Pluribus abſtineo; nam nolo in re comperta lectorem obtundere diutius.

(12) Graeco Latinoque more characteres temporum conſignantur; nam etſi alter Graecis quoque litteris exaretur, reipſa ad Romanorum, quorum conſuetudo erat per *Idus* & *Kalendas* menſium partes exprimere, normam componitur. Hinc autem adverte 1. neceſſe fuiſſe, ut pro populo utriuſque linguae binae numerationes eodem euntes, inſtituerentur. 2. extremas Graeciſmi deſinentis tempeſtates; cum vel in ipſis Graecis elementis Latina vocabula triumpharent.

cidit in annum Ch. 181. hoc eſt, decennio poſt epocham Neapolitani marmoris.

His ita conſtitutis firmatiſque operae pretium eſt, ut Olympiadum Neapol. initium aperiam; id quod ex convenientia Olympiadis XLIII. cum conſulatu Severi atque Herenniani facile quivis eruerit. Evanthes viciſſe in marmore ſcalpitur *Olympiade XLIII.* eoque ipſo anno, ut oppido veriſimile videtur, ſigna Dioſcurorum in phratria dedicavit: nam cur dedicationem, quae in hujus victoriae ſignificationem peragebatur, in aliud tempus diſtuliſſet? Jamvero Zoſimus ac Fortunata parentes de ſuo elargiti candelabra, lucernas, araſque, quae in dedicatione filiorum defuiſſe videbantur, conſecrarunt *V. Id. Martias Severo & Herenniano Coſs.* Quamobrem extra dubitationis aleam ponendum eſt, annum primum Olympiadis XLIII. convenire cum anno Chr. 171. quo nimirum anno illi proceſſere Conſules. At vero ludorum Neapol. celebritas, quantum e Suetonio (13) intelligitur, in ſolſtitium aeſtivum incidebat; idcirco ſtatuendum eſt, annum primum Olympiadis XLIII. inchoaſſe a ſolſtitio aeſtivo anni Chr. 170. Coſs. Cethego & Claro, ac deſiiſſe in ſolſtitium aeſtivum anni Chr. 171. Coſs. Severo & Herenniano; hos vero potius Conſules, quam illos, in marmore fuiſſe ſignatos, quia dilata paulliſper conſecratione *ad V. Idus Martias*, novi Conſules, qui jam a Kalendis Januariis magiſtratum inierant, non ii qui exceſſerant, notandi erant. Itaque ut unde diſceſſi, redeam, Olympias XLIII. Italica decurrere incipit a ſolſtitio aeſtivo anni Chr. 170. Hinc autem ſi retroverſus inſtituas gradum, facta per quadriennium quodque ſtatione; facile comperies, Olympiadem primam incidiſſe in ſolſtitium aeſtivum

P anni

(13) Suetonius Aug. 98. *Mox Neapolim trajecit, quamquam & cum infirmis inteſtinis morbo variante: tamen & quinquennale certamen gymnicum honori ſuo inſtitutum perſpectavit, & cum Tiberio ad deſtinatum locum contendit. Sed in redeundo, aggravata valetudine tandem Nolae ſuccubuit.* Hinc patet, a quinquennali Neapol. ſpectaculo ad Auguſti exitum haud plurimos effluxiſſe dies. Mors autem Auguſti incidit in XIV. Kal. Septembr. ut oſtendit Scaliger de Em. Temp. V. p. 448. Jamvero liquet, Olympia Graeciae circa ſolſtitium aeſtivum peragi conſueviſſe: de quo vide eumdem Scaligerum ibid. IV. p. 242. Quamobrem videntur Neapolitani ad hoc eamdem anni tempeſtatem pro editione Auguſtalium obſervaſſe, ut propius ad ludorum Elidenſium imaginem accederent. Ex vero itaque Auguſtalia Neapol. vocantur Iσολύμπια, nimirum quia & praemio & dignitate aequabant Olympia: hoc amplius, eâdem, ac Olympia, tempeſtate inſtaurabantur.

anni Chr. 2. qui erat annus ſecundus Olympiadis CXCV. Elidenſis, & V. C. 755. Rurſus facto jam initio pentaëteridum Neapolitanarum ab eo anno Chr. 2. neceſſe fuit, ut obſervato quadriennii ſpatio, inſtaurari agon debuerit annis Chr. 6. 10. 14. Ac ſane anno Chr. 14. qui ultimus Auguſti Imp. fuit, edita fuiſſe Neapoli Auguſtalia, egregie oſtendit Scaliger l. c. Fuit igitur is agon, quem Auguſti mors ſecuta nobilitavit, quartus a primi editione, atque adeo quarta Olympias Italica ſive Neapolitana. Porro ſi citeriora tempora per eadem quadriennii intervalla dimenſus fueris; devenies ad annum Chr. 42. qui fuit alter Claudii Imp. annus. Hujus autem inter cetera humanitatis, pietatiſque in ſuos argumenta, quae initio imperii ſui edidit, illud etiam a Suetonio, ac Dione commendatur, quod Neapoli *ut privatus* interfuit: &. ad fratris memoriam, comoediam *Neapolitano certamine* docuit. Ecquando Claudius advenerit Neapolim, neuter hiſtoricus explicate tradidit; tametſi Caſſius profectionem Caeſaris Neapolitanam eo ipſo anno, quo ſalutatus Imperator fuerat, conſignaſſe videtur. Atqui non fit veriſimile, Claudium, qui exeunte menſe Januario anni Chr. 41. iniit imperium, poſt quinque aut ſex menſes, relicta Româ, ad Neapolitanos ludos circa ſolſtitium aeſtivum edi ſolitos, convolaſſe. Potius eſt ut ſtatuamus, anno inſequente Chr. 42. Claudium *ſtabilito* jam *imperio*, ut loquitur Tranquillus, abdicatoque conſulatu, quem per duos menſes geſſerat, tunc ſatis otii ad peragrandam Campaniam habuiſſe: Dionem vero idcirco in annum ſuperiorem rejeciſſe Auguſti profectionem, obtentu colendae fratris memoriae obitam; quia quae recte ac pie Claudius ab exordio imperii gerere inſtituerat, ſimul una, nec obſervato temporis ordine, complecti voluit. Atque huic rationi non poenitendae adde alteram efficaciorem. In annum Chr. 42. incidebat Olympias XI. Neapolitani certaminis Auguſtei. Itaque Auguſtus tum ut ſuo deſiderio ſatisfaceret (incenſiſſimo enim ſtudio ad ſpectacula ferebatur); tum ut ſe pium erga fratris memoriam probaret, videtur ex oblata occaſione ludorum Neapoli edendorum, peregrinationem eopte anno ſuſcepiſſe. Jamvero percurre ſecuta tempora, & praeſto tibi aderit annus Chr. 170. quo revera anno Flavius Evanthes Neapoli vicit, Olympiaſque XLIII. ut paullo ante indicio noſtri marmoris oſtendi, incepit. Interim videſis ingentem Neapolitanae inſcriptionis dignitatem ac pretium, per quam origo Olympiadum Italicarum progreſſuſque, amplius latere non poſſunt.

CAPVT II.

C A P V T II. Εὐνοςιδῶν.

Eunoſtidarum Phratria *perperam a Fabretto credita* Sodalitas Pudicitiae. *Binae inſcriptiones, una Romana, altera Herculanenſis, ſupplentur & illuſtrantur. Cultus* Eunoſti *herois e Graia Boeotiae Neapolim traductus. Boeotica Eunoſtidarum Neapolitanorum origo firmatur ex* Orionis *ſimulacro & menſe* Lenaeone. *Heſychii locus emendatur. Mutila Inſcriptio Neapol. ubi* Lenaeon *menſis, ſuppletur, & illuſtratur.* Adonia *Neapoli celebrata. Sepulcreta* Eunoſtidarum, *reliquarumque Phratriarum in Suburbiis aedificata. Aliquot inſcriptiones ſaeculi aurei latinitatis extra* Portam Campanam *nuper inventae, producuntur.*

P · SVFENATI · P · F
PAL · SEVERO · SEMPRO
NIANO · DECVRIALI
SCRIBARVM · AEDILIVM · CVRV
LIVM · FRETRIACO · NEAPOLI · EV
NOSTIDON · DECVRIONI · ET
SACERDOTI · APOLLI
NIS · ALBANI · LONGA
NI · BOVILLENSES · OB · MERI
TA · SVFENATIS · HER
METIS · PATRIS · EIVS
L · D · D · D

NEapolitanas Phratrias *Eunoſtidon* & *Antinoiton* plane ignoraſſemus, niſi eas Fabrettus Inſcript. Cap.VI. p.456. & 462. doctrina diligentiaque commendatiſſimus, inſperato nobis ſervaſſet incolumes. Agam primum de *Eunoſtidis*, quia hi antiquitate longe praeſtant *Antinoitis*, quos loco ſuo repraeſentabo. Vnde ſint *Eunoſtidae* repetendi, Fabrettus feliciſſime expedivit, ab *Eunoſto* ſcil. *Tanagrae Boeoticae culto*: inquit enim l. c. *Plutarchus Quaeſt. Rer. Graecar. narrationem fuſe explicat, ejuſque caſtitatem celebrat, per quam mulieribus Templum ac Lucum ipſius ingredi vetabatur. Vnde*

temerarium forſan non eſſet conjicere , fragmentum iſtud inſcriptionis , quae in hortis Juſtinianeis viſitur

ICI · SODALITAS · PVDICITIAE

hanc Fratriam Eunoſti innuere. Hactenus Fabrettus; e quo proficiens Martorellius longius praetervectus eſt; & conjecit, Eunoſtidas caſtitatis & pudicitiae tutius ſervandae causâ ſeorſim in urbis habitaſſe pomoerio, ibique in luco virgines conſenuiſſe; indeque factum fuiſſe, ut ſuburbium (hodie dictum *Borgo de' Vergini*) a virginitate Eunoſtidarum eam nomenclationem acceperit. Condonemus libenter Martorellio hujuſmodi opinandi facilitatem; memores & ipſi, nihil eſſe tam abſurdum, quod non ab aliquo propugnetur philologorum.

Ceterum fuerit, per me licet, Eunoſtidae caſti & pudici, num propterea etiam ἄγαμοι (*caelibes*) praedicentur? numquid caſtitatis & pudicitiae exercitationes exſulant a conjugio? Legatur Livius X. 23. *Inſignem* (inquit) *ſupplicationem fecit certamen in Sacello Pudicitiae patriciae . . . inter matronas ortum. Virginiam Auli filiam, patriciam plebejo nuptam L. Volumnio Coſ. matronae , quod e patribus enupſiſſet , ſacris arcuerant . Brevis altercatio inde ex iracundia muliebri in contentionem animorum exarſit . . .* (Virginia) *in Vico Longo, ubi habitabat, ex parte aedium, quod ſatis eſſet loci modico ſacello, excluſit: aramque ibi poſuit; & convocatis plebejis matronis , conqueſta injuriam patriciarum „ Hanc ego aram , inquit , Pudicitiae plebejae dedico: voſque hortor, ut quod certamen virtutis viros in hac civitate tenet, hoc pudicitiae inter matronas ſit: detiſque operam, ut haec ara, quam illa, ſi quid poteſt, ſanctius, & a caſtioribus coli dicatur „*. Vnde diſcimus, nobilem inter matronas Patricias & Plebejas exarſiſſe aemulationem, utrae earum majore ſanctitate & caſtitate *Pudicitiae* litarent. Hunc Livianum locum eo libentius attuli, ut non temere conjiciatur, quo referenda ſit Fabrettiana *Sodalitas Pudicitiae*, quam ille Vir accuratiſſimus praeter verum ad *Eunoſtidas* retulit. *Sodalitas* in epigraphe Fabretti eſt ille coetus Matronarum, de quo Livius: ac porro *Pudicitia* eſt ipſa *Venus*, quae a Graecis Ἀποστροφία (Pauſan. p. 472.) & a Latinis appellatur *Verticordia*, (*quo facilius virginum mulierumque mentes a libidine ad pudicitiam converterentur* Val. Max. l. 8. c. 15.) appellatur. Quamobrem in hunc equidem modum mutilam Fabretti inſcriptionem ſupplerem:

VENERI GENITRICI SODALITAS PVDICITIAE

Sed

Sed quando huc oratione delatus ſum , haud abs re eſſe puto , ſi conſimilem ferme inſcriptionem , at praepoſtera interpretatione ac paraphraſi foedatam , in medium producam . Haec de qua loquor, epigraphe , quae nunc in Muſeo Herculanenſi viſitur , edita fuit a Martorellio in Th. Cal. p. 372.

VENERI · PROBAE · SANCTISS · SACR
TI · CLAVDIVS · MARCION

SALVE MILLE ANIMARVM INLVSTRI CENARE OPVS SALVE
PVLCHRI ONERIS PORTATRIX INEXVPERABILE DONVM
RERVM HVMANARVM DIVINARVMQVE MAGISTRA
. . . ATRIX SERVATRIX AMATRIX SACRIFICATRIX
SALVE MILLE ANIMARVM INLVSTRI CENARE OPVS SALVE

In autographo marmore litterae oblongae ſunt , atque adeo ſpiſſae confertaeque ut nihil (1) ſupra : ſi a primis duabus lineis abſceſſeris , quae aequatis ſpatiis exarantur . Vltimi quinque verſus hexametri ſunt : ſed horum primus ad hymni normam in fine repetitur :

Salve mille animarum inluſtri cenare opus ſalve

Sed hic ſi *Cenare* (2) legatur , ut perperam ab illitterato ſcalptore

(1) Ceteroqui aegre quidem , attamen proſpere procedit lectio , quae integra eſt , excepto quod in penultima linea primae litterae ſuperſtitis vocis ATRIX ob marmoris detrimentum periere . Martorellius unam litteram ſupplendo , edidit , MATRIX : ſed quo ſignificatu , alii divinent . Attamen ſi hoc ſupplementum probaretur , tunc culpandus foret poëta, quippe qui primam ſyllabam *τοῦ Amatrix* per errorem produxerit . Ego vero legerem *er*ATRIX , vel potius *pac*ATRIX , tum quia ea lectio ſpatium marmoris quod deſideratur , exaequat ; tum quod utrumque adjunctum Venerem pro dignitate decet . Nec porro dica appingi jure poteſt poëtae , quod ultimam corripuerit ſyllabam in *Portatrix* & *Servatrix* ; namque ſuo aevo ad barbariem declinante, magna licentia in ultimes invecta eſt ſyllabas ; quemadmodum ad ultimae ſyllabae metrica quantitate , etſi in fine verſus , nulla ab antiquis habebatur ratio . De hujuſmodi licentia aevi poſterioris vide epigramma de Peſcennio Nigro apud Spartianum in ejus vita cap. ult. *Hunc Reges , hunc gentes amant* . Conſule quoque Salmaſium ad Lampridii Alexandrum Severum cap. 38. ubi animadvertes poſtremas ſyllabas in *vides , dentes , gentes , majeſtas* corripi .

(2) Qui primus hanc inſcriptionem edidit , *τὸ Cenare* marmoris audacter in *Coenare* mutat , idque ſic *παραφράζων* exponit : *Salve , Venus , opus eſt, nos coenare cum illuſtri mille animarum , ſalve : ſcilicet , juvat nos commiſceri* . . . Pudet me cetera tranſcribere .

re ſemel atque iterum exaratum fuit, verſus ſemipede metrico redundaret; contra ſi pro *Cenare* ſubſtitues *Genere*, uti ſcalptum oportuit; & metrum (3) ſibi conſtabit, & ſententia confeſtim eluceſcet:

Salve mille animarum inluſtri genere opus, ſalve

Vt *animae viles* Virgilio dicuntur homines imae plebis, ita contra hic *animae inluſtri genere* accipiendae ſunt *Matronae Patriciae*, de quibus Livius loco paulo ante citato; quae ſane plurimae numero (qui poëtice per *mille* enuntiatur) conſociatae, conflabant illam *Sodalitatem Pudicitiae* Fabrettianae inſcriptionis. Porro illa quae hîc ſalutatur *Rerum humanarum divinarumque magiſtra*, procul dubio, *Venus* eſt *Proba* & *Sanctiſſima*: cui ſunt etiam adſcribenda praeconia *Pulchri oneris portatrix*, *ſacrificatrix*, cetera; ita tamen ut matronae ejus cultu mancipatae paria ſibi bona augurarentur. Itaque *Opus illuſtrium Matronarum*, cui ſalutatio defertur, eſt ipſa Venus, ſeu potius Veneris ſimulacrum, propterea quod operâ ipſarum induſtriâque in templo fuerat dedicatum. Quidquid a quoquam efficitur, recte ejus *opus* dicitur. Darius *Fortunae* (ἔργον) *opus* dicitur Plutarch. Alex. Fort. I. 326.

Sed illuc redeo, unde diverteram. A Sacris Eunoſtidarum abſterrebantur (4) quidem feminae; quemadmodum a Sacris mulierum mares arcebantur: ſed ea cautio ab Eunoſtidis eo diligentius tuenda fuerat, quod hi in loco nemoroſo, ubi major ad facinus impudentia eſſet ſolet, ſacris operabantur. Sed inde concludi nequit, Eunoſtidas caelibes vixiſſe, eorumque phratriam in lu-

co

bere. Malum! haeccine ſunt vota, quae Veneri *Probae* & *Sanctiſſimae* nuncupantur?

(3) Τὸ *Genere* tamquam biſyllabum habendum eſt, abſorpta vocali E media, in hunc modum *Gen-re*: quemadmodum in illo Ennii: *Quibus pro factis reddere operae pretium*, ubi τὸ *operae* pariter biſyllabum eſt, quaſi *O-prae*. Porro finalis conſona in *Opus* pro more veterum muteſcit, ut in cultiſſimo epigrammate Neapolitano, quod non ſatis exacte a Fabretto Cap. I. inſcr. 130. editum, hîc prout a Mazochio centies viſum & lectum fuit in Bibliotheca olim Franciſci Vallettae, recudo:

A'rbiutibas aedes Aulus Soranus tuetur
Ex Epicureio gaudivigente choro.

Hoc epigramma eo conſilio protuli, ut vivax illud compoſitum *Gaudivigens*, ab antiquis probatum, jure meritoque in hodierna lexica referatur.

(4) Pauſanias in Laconicis cap. 22. pag. 267. Ἐν . . . . Γερόνθραις Ἄρεως ναὸς κ᾽ ἄλσος· ἑορτὴν δὲ ἄγουσι τῷ θεῷ κατὰ ἔτος, ἐν ᾗ γυναιξὶν ἐστιν ἀπαγορευμένον ἐς τὸ ἄλσος ἐσελθεῖν. *Gerontris . . . Martis delubrum & Lucus. Sacra ibi faciunt anniverſaria, quibus feminis eſt interdictum.* Num & hi Lacones votum caelibatus emiſerint?

Digitized by Google

eo eſſe metandam: imo ubivis potius, quam ubi Martorellius tetenderat, habitaſſe Eunoſtidas, paullo poſt oſtendam. Namque nunc praeſtat inquirere, unde gentium cultus Eunoſti in hanc civitatem, & a quibus illatus ſit. Martorellius p. 665. *mirari ſe*, ait, *qui fieri potuit, ut ab Tanagra Boeotiae oppido hujus numinis cultus Neapolim pervenerit*. Attamen ſi in originem populorum urbis noſtrae advenarum paullo accuratius inquiſiviſſet, fortaſſe meam praeoccupaſſet conjecturam.

Ajo igitur Pelaſgos, ex *Graïa* Boeotiae oriundos, ſimul cum aliis Pelaſgis Aemoniae (quos ab Eumelo rege dictos *Eumelidas* ſupra animadvertimus) intuliſſe in urbem noſtram ſua ſacra, ritusque patrios, ac praeſertim *Eunoſti* culturam: ex quorum *Graïorum* commercio cum Aboriginibus, reliquiſque Latii, & Campaniae populis factum fuiſſe, ut priſci Itali indiſcriminatim *Graïos*, quos cum Boeotis *Graïs* utcumque conſonare ſentiebant, & regionem ipſam, ubi is ſermo erat nativus, *Graeciam* appellarint. Hoc tamen in primis monitum volo lectorem, ne argumenta ejus ponderis a me expectet, quae aſſenſum vel a contumacibus exprimant: ſatis habeo, nonnullas in denſiſſimis tenebris ſcintillas excudere, quibus emicantibus occurrentium facies, & color utcumque diſcernere dabitur. Appoſite hic in mentem lectori revoco, non aliud (5) a Solone fuiſſe proditum argumentum, quo probaret, Salaminem, de qua Athenienſes contendebant cum Megarenſibus, Athenis eſſe vindicandam, niſi hoc unum, nempe Salaminiorum cadavera jacere in tumulis ad eam caeli plagam converſa, qua ſepeliri mos erat in Attica; Megarenſes vero temere, & ut fors tulerat, ſepultos. Aelian. Var. Hiſt. VII. 19. Caſaub. ad Laërtii I. ſegm. 48.

Vt igitur ad *Eunoſtidas* noſtros proxime accedam, hos ajo fuiſſe Tanagraeos Boeotiae. Eunoſti cultus non alibi, quantum e ſuperſtite antiquitatis memoria argui poteſt, niſi ea in regione Boeotica fuit uſurpatus. *Eunoſtidae* autem, utique ſic dicti ab *Eunoſto*, in urbe Neapoli Phratriam componebant, ut ex inſcriptio-

(5) Protulit quoque Solon verſum illum Homeri Iliad. B. 557. quo narratur, Ajacem Salaminium prope Athenienſium claſſem ſuas locaſſe naves: ſed hic verſus habitus eſt ſuppoſititius, & a Piſiſtrato, vel ab ipſo Solone inſertus, ut Homeri patrocinio injuſtae occupationis culpa ab Athenienſibus amoveretur.

ptione, quam commentamur, patet. Itaque donec edocear, Eunoſti numen apud alios etiam populos inclaruiſſe, liberum mihi eſt conjicere, hujus herois cultum ἀμέτως (*recta*) a *Grais*, ſive Tanagraeis in Campaniam fuiſſe advectum. Qui Tanagraei ſimul cum aliis Aeolibus Boeotis in urbem traducti, & a Pelaſgis Eumelidis in civitatis jura adſciti, quo alio nomine diſcriminarentur ab aliis συμπολίταις (*civibus*), niſi χρηματισμῷ (*cognomine*) ejus numinis vel herois, quem in antiqua patria maxime coluerant? Neceſſe enim erat, ut, ubi diverſi populi una ſimul coierant, praeter deos, quos univerſi cives publice & in communi tenebantur colere, quiſque tamen populus, ne patrios deos deſeruiſſe videretur, hos privatim in ſuis tribubus ſive phratriis peculiari ritu obſervaret. Nomen dei ſive herois, quo tribus & phratriae inſigniebantur, loco erat ἀναγνωρισμοῦ (*agnitionis*): quamobrem compellare aliquem *Eunoſtidam* perinde erat, ac *Tanagraeum* recognoſcere; quandoquidem ubi *Eunoſti* vox acciderat auribus, illico ex connexione idearum ſubibat imago *Graïae*, ubi *Eunoſti* cultus quam maxime erat frequentatus. Quamobrem *Eunoſtidae* ab *Eunoſto* Boeotiae culto nuncupati, ac Neapoli turmatim degentes, haud levem excitant ſuſpicionem, Boeotos, ac praeſertim Tanagraeos, ubi Eunoſtus colebatur impenſius, vel una cum *Eumelidis* vetus *Phalerum*, quae hodierna *Neapolis* eſt, condidiſſe, vel porro ab Eumelidis in ſuae civitatis ſocietatem fuiſſe receptos. Sed praeter hoc documentum originis Boeoticae ab *Eunoſto* petitum, mihi ſuppetunt alia indicia, quae ſimul collata, magis magiſque meam confirmant conjecturam, *Eunoſtidas* Neapolitanos nonniſi a Boeotia eſſe repetendos.

Narrat Pauſanias p. 749. Tanagrae exſtitiſſe *Orionis* monumentum. Hujus autem herois memoria Neapoli non defuit; id autem docemur ex marmore, quod adhuc dum in regione Portûs parieti affixum proſtat: ibi anaglypho opere repraeſentatur *Orion*, totus quantus eſt, ad pedes uſque piloſus (*6*). Schema videſis apud Capacium Hiſt. Neap. I. cap. 14. Homerus, cujus aetate fabulae nondum ad eam τερατολογίαν (*monſtroſam narratio-*

(*6*) Fortaſſe ſcalptor Orionem ea horrida ſpecie effinxit, ut ſe ad vulgatam eo aevo conformaret fabulam, qua ferebatur Orion in utre conceptus: inde ſequebatur, ut creſcente in dies puero ſimul ampliaretur uter, eique veluti cutis adhaereſceret naturalis.

tionem), ad quam aevo poſteriore evaſerant, Odyſs. Λ. 571. ſeq. Orionem deſcribit venatorem, in inferis *clavâ* feras agitantem; ſed mythographi poſteriores, quibus placuit Orionem in caeli ſidus tranſcribere, dexteram venatoris enſe armarunt, qualis in noſtro marmore exhibetur. Verum haec obiter; quod permagni intereſt animadvertiſſe, hoc illud eſt, majores noſtros propalam in urbe *Orionem* expoſuiſſe, ac fortaſſe eo loco ubi tendebant *Eunoſtidae*; eo ſane conſilio, ut omnibus innoteſceret, *Eunoſtidas* inde in hanc urbem deveniſſe, ubi *Orion* quam maxime colebatur, Grajae ſcil. ſive Tanagrae.

Jam vero inter menſes vetuſti Kalendarii Neapolitani numerabatur *Lenaeon*, qui menſis, ut mox oſtendam, ex Boeotia acceſſendus eſt. Apparet hic menſis in prolixo litterato marmore, quod hodie applicitum viſitur parieti Parthenonis nobilium virginum S. Mariae Aegyptiacae prope Portam (7) Nolanam. Hîc autem ex marmore de quo loquor, nonniſi quinque priores verſus producere ſum contentus, nimirum ut menſem Lenaeonem fuiſſe olim uſurpatum Neapoli appareat.

ΤΕΤΤΙΑΙ ΚΑΣΤΑΙ ΙΕΡΕΙΑΙ ΤΑΙ....
ΤΩΝ ΓΥΝΑΙΚΩΝ ΟΙΚΟΥ ΑΙΑΝΟΥ ΨΗΙ......
ΕΠΙ ΥΠΑΤΩΝ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΥΙΟΥ ΔΟΜΙΤ.......
ΟΥΑΛΕΡΙΟΥ ΦΗΣΤΟΥ. ΙΔ. ΛΗΝΑΙΩΝΟΣ ΓΡΑΦ.........
ΛΟΥΚΙΟΣ ΦΡΟΥΓΙ ΚΟΡΝΗΛΙΟΣ ΚΕΡΕΑΛΙΣ ΙΟΥΝΙΟΣ...........

Marmor a parte dextera legentis peſſum ivit; indicio tamen ductuque paucarum ſuperſtitum litterarum, facile mihi fuit, litteras, quae deperierant, ſupplere & in hunc modum conſolidare;

Τεττίᾳ Κάςᾳ ἱερείᾳ τάγΜΑΤΟΣ τῶν γυναίκων οἴκου αἰανοῦ ψηΦΙΣΘΕΙΣΗΙ· ἐπὶ ὑπάτων Καίσαρος Σεβαςοῦ υἱοῦ ΔομιτΙΑΝΟΥ ΤΟ Β· Οὐαλερίου Φήςου· ιδ. Ληναίωνος· γραφΟΜΕΝΩΙ ΠΑΡΗΣΑΝ Λούκιος Φρούγι, Κορνήλιος Κερέαλις, Ι'ούνιος.... *Tettiae*

(7) Primus, qui hujus marmoris meminit, proditur Caeſar Engenius in *Neap. Sacr.* qui pauca exinde recitavit pag. 426. Poſtea Carminius Falconius in Vita B. Januarii integram inſcriptionem produxit pag. CCCLXXI. ſed plurimis σφάλμασι inquinatam: quem vide.

Digitized by Google

Caſtae Sacerdoti Sodalitatis (8) *Matronarum cellae* (9) *lugubris deſignatae. Caeſare Auguſti filio Domitiano iterum, Valerio Feſto Conſulibus* (10) XIV. (menſis) *Lenaeonis* (11). *Scribendo adſuerunt Lucius Fru-*

(8) Τάγμα verti *Sodalitatem*: In Gloſſis Gr. Lat. Τάγμα redditur etiam *Factio*, quo vocabulo venit Corpus, Collegium, Sodalitas &c. hic certe Sodalitatem quamdam matronarum ſacris operantium deſignat. Olim vix ullum exſtitit collegium, quin ſacra conficeret. Nonnulla autem ſacra nonniſi a feminis, & quidem Graeci oris, peragi mos erat. Romae in Sacris Cereris procurandis Graeca Sacerdos e Sicilia, vel Neapoli arceſſebatur.

(9) In Graeco Οἶκος αἰανὸς (*domus luctuoſa*), ubi ſcilicet ejulantes crebro ingeminant Αἶ Αἶ (*heu, heu*), ex qua Graeca interjectione factum eſt, uti veteres Scholiaſtae monent, Αἰανὸς (*lamentabilis*) & Αἰάζω (*lamentor*). Qui hic οἶκος αἰανὸς, in Eccleſiaſte VII. 3. 5. οἶκος πένθους (*cella luctus*) vocatur, non ſolum quia ibi lugebatur, verum etiam quia totus apparatus ad excitandam inſtruebatur moeſtitiam. Sagae, ut proditur ab Aeliano XII. 38. cum in luctu verſantur, *ſe ſe* (εἰς οἴκους τινὰς ὑπάντρους κ̓ κατασκίους) *in cellas quaſdam ſubterraneas & umbroſas abdunt*. Ex hac itaque inſcriptione colligere licet, exſtitiſſe Neapoli quamdam Sodalitatem matronarum, quae operam dabant alicui ſacro inſtituto, quod lacrymis & ejulationibus erat peragendum. At quodnam feſtum id fuiſſe dicemus? Fortaſſe haud aberravero a ſcopo, ſi contenderim Neapoli quoque ad imitationem Graecarum civitatum, Feſta *Adonia*, queis mulieres leſſum faciebant extincto *Adonidi* a Venere adamato, fuiſſe frequentata. Per univerſam paene Graeciam *Adonia* propagata erant. *Eſt ibidem* (inquit Pauſanias II. p. 156.) *Servatoris Jovis aedes, e qua in cellam veniunt, ubi Argivorum matronae ADONIN lugent*. Lucianus de Dea Syria: *Ubi vero ſe percuſſerint & luxerint, primum ADONIDI inferias perſolvunt, tamquam vita defuncto*. Videtur autem hoc feſtum ex Oriente in Graeciam invectum; ut non immerito Latinus biblicus interpres Hebraicum *Tammuz* (quod Graecus intactum reliquit) *Adonidem* vetterit hoc loco Ezechielis VIII. 4. *Et introduxit me per oſtium portae domus Domini, quod reſpiciebat ad Aquilonem, & ecce ibi mulieres ſedebant plangentes ADONIDEM*. Circa ſolſtitium aeſtivum inſtaurabantur *Adonia*, ut Viri docti ad Ammiani Marcellini XXII. 9. adnotarunt.

(10) Factum fuit hoc Senatûs Neapol. Conſultum anno poſt Chriſtum natum LXXIII. quo proceſſere Conſules *Caeſar Aug. Fil. Domitianus iterum*, & *Valerius*. Valerius in hoc noſtro marmore *Feſtus*, ſed in inſcriptione apud Gruterum CCCXIV. 3. cognominatur *Meſſalinus*. Ex utroque monumento collato colligere licet, Valerium bina geſſiſſe cognomina, *Feſti* nempe & *Meſſalini*. Ex contextu hujus Senatûs Conſulti obiter animadverte, quo loco tunc ſteterit Graeciſmus Neapolitanus. Graecus ibi quidem ſermo, ſed dictionis ſententia plane ad normam baſilicae Romanae digeritur.

(11) *Lenaeon* menſis dicebatur, quia eo menſe feſtum *Lenaeum*, a Baccho, qui *Lenaeus*, celebrabatur. Quam ſedem is in laterculo menſium obtinuerit, conſulantur Seldenus, Dodwellus, Prideauxius, Corſinus, in quorum ſententiam Lenaeon reſpondet Antheſterioni Attico, h. e. ſecundo menſi anni naturalis; qui annus a ſolſtitio hyemali incipit; itaque Lenaeon menſis inchoat a XX. Januarii die (qua fere die etiamnum incipiunt Neapoli Bacchana-
lia.

Frugi, *Cornelius Cerealis*, *Junius* ... forte cognomine ΑΧΙΛΛΑΣ. Vide inſcriptionem Neapol. apud Grut. XXXVI. 5. ubi Ἰούνιος Ἀχίλλας. Sequitur deinde in marmore Senatùs Neapolitani Conſultum, majore ex parte mancum, quo extinctae Tettiae Caſtae Sacerdoti *deſignatae* (12) locus ſepulturae decernitur.

Primus qui *Lenaeonis* meminerit, Heſiodus eſt, quem ejus pater relicta Cyme Aeolidis Aſcram vicum Boeotiae puerum deduxit. Inde *Aſcraeus ſenex* dictus eſt Poëta. Is autem in Ἐργ. v. 504. vitare conſulit

Μῆνα δὲ Ληναιῶνα, κακ' ἤματα, βούδορα πάντα.

Videtur autem Heſiodus admonere voluiſſe Aſcraeos ſuos conterraneos, quibus *Lenaeon* maxime peſtilens accideret. Qua de re adeo ſum perſuaſus, ut ubi nunc in Heſychio legitur, Ληναιών, μήν· οὐδένα τῶν μηνῶν Βοιωτοὶ οὕτω καλοῦσιν, *Lenaeon menſis; nullum ex menſibus ſic vocant Boeoti*, quovis pignore contendo, omnino eſſe legendum, Ληναιῶν μήν· τὸν δεῖνα τῶν μηνῶν Βοιωτοὶ &c. *Lenaeon menſis; quemdam ex menſibus Boeoti ſic vocant*. Confirmant hanc correctionem, quae apud Heſychium ſequuntur: εἰκάζει δὲ ὁ Πλούταρχος, Βουκάτιον· ἔνιοι δὲ τὸν Ἑρμαῖον, *Conjicit Plutarchus fuiſſe menſem Bucation: nonnulli Hermaeum*. Aeſtuabat Heſychius, cuinam menſi aliorum Graecorum Lenaeon Boeotorum reſponderet: inde τὸν δεῖνα (ſic enim Graeci loquuntur, cum de re certa ſed indeterminata loquuntur) *quemdam* menſem a Boeotis dictum, ſuo teſtimonio affirmavit; reliqua quae ſubnectit, ſunt ex aliorum opinione, non ſua: alioquin ſi quis veterem Lexicographi lectionem οὐδένα &c. *nullum ex menſibus* mordicus tueri vellet, fateatur ſimul oportet, Heſychium ſecum pugnantia retuliſſe, quippe qui modo *Lenaeonem* ullum menſem apud Boeotos exſtitiſſe negaret, modo traderet Plutarchum conjeciſſe, *Lenaeonem* menſi *Bucatio*, alios vero *Hermaeo* menſi reſpondiſſe. Ceterum qui Heſychius immenſae vir lectionis abjudicaret *Lenaeonem* a

Q 2 Boeo-

lia, ex vetere forſan *Lenaei* feſti obſervatione eo ſtato tempore apud vulgus cuſtodita) definit in XX. Februarii. De Lenaeone menſe mentio fit in marmore Oxonienſi, quo foedus a Smyrnaeis & Magnetibus fuit percuſſum. Vterque populus in Jonia fuit: itaque non immerito Tzetzes & Proclus inquiunt, hunc menſem *haud aliter*, *quam Lenaeonem appellant Jones*. Vniverſi Jones, per me licet, ſic eum menſem appellarint. At preſſius loquendo, is menſis auctoribus, uti ab Heſychio docemur, Boeotis omnino eſt aſſignandus.

(12) Sic enim interpretor τῷ Ψηφισθείσῃ, quia fato praeventa nondum Sacerdotium inierat. In ſequentibus laceri marmoris verſibus apud Falconium p. CCCLXXII. dicitur *Tettia Caſta* obiiſſe πρόμοιρος h. e. quae ante diem ſuum obierit: inde conjicio, tunc Sacerdotem *deſignatam*, non vero fuiſſe *ordinariam*.

Boeotiis, cum ignorare non poſſet, eum menſem ab Heſiodo Boeotiae municipe vivis deſcribi coloribus? Immo auſim affirmare, *Lenaeonem* menſem primitus a Boeotiis fuiſſe uſurpatum, dein apud Jonas obtinuiſſe. Profecto Jonibus iis, qui proxime ex Attica profecti coloniam deduxerunt in Joniam, comites ſe ſe dederunt tunt alii populi non pauci, tum ex Boeotia Thebani, & Orchomenii. Vide Pauſan. p. 524. & 528. Par eſto judicium de *Lenaeone* menſe veterum Neapolitanorum. Vnde huc locorum advectum arbitrabimur, niſi ab Eunoſtidis, e *Graïa* Boeotiae oriundis? *Orione* igitur, *Eunoſto*, & menſe *Lenaeone*, facem, ut ita dicam, praeferentibus, ſatis ſuperque oſtenſum videtur, Aeolas *Boeotos* olim in noſtram civitatem adſcitos, compoſuiſſe ibi Phratriam *Eunoſtidarum*, ſic utique cognominatam ab *Eunoſto*, quem ſui majores in *Graïa* Boeotiae coluerunt.

Plura jam egi de Eunoſtidis, necdum ſiparia obducenda ſunt. Aeſtate anni 1790. in hac urbe Neapoli, cum nonnullae aedes extra Portam Divi Januarii, & non multis procul inde paſſibus ſitae, reficerentur, ampliarenturque, fabri altius effodientes humum, in antiquas praeter expectationem incurrerunt parietinas. Curioſitati ut ſatis fieret, pertuſo hujus molis latere, admotiſque luminibus, confeſtim camera apparuit ſcrutantibus ferme quadrata, fornicata, columniſque in orbem diſpoſitis ſuffulta. In intercolumniis viſa ſunt alvearia ſupra ſolum exſtantia, in quibus fruſta humanorum oſſium in fundo pulverulento jacebant. Parietes, qua parte praeſertim ſuper alvearia ſive loculos eminebant, tectorio ſuperinducti, repraeſentabant litteras, partim minio, partim atramento conſcribillatas. Totum autem quantum eſt opus hypogei, nempe parietes, columnae, fornix, alvearia, excavatum eſt atque elaboratum ex uno ſolidoque metallo tophaceo, quod in ea eſt ſuburbii regione ſubſtratum. Enimvero in Aedibus Patrum Miſſionis inſtituti S.Vincentii de Paulo, Paroeciae S. Mariae Virginum applicitis, anno 1758. detectum fuit ferme par aedificium, cum ſuis columnis, loculis & fornice e ſolido topho elaboratum, ibique inventum fuit illud marmoreum epigramma *Ariſtonis*, de quo multus in urbe noſtra ſermo fuit: quod epigramma etſi eodem anno a me ſchedulâ volatica typis editum fuit; ſed quoniam vereor, ne hujuſmodi exemplaria diſparuerint, hîc recudere non gravabor.

Ἄγγελε Φερσεφόνης Ἥρμη τίνα τόνδε προπέμπεις
Εἰς τὸν ἀμείδητον τάρταρον Ἀΐδεω;

Μοῖρα

Μοῖρά τις ἀεικένεος τὸν Ἀρίστων' ἥρπασ' ἀπαυγῆς
Ἑπτκέτη, μέσσος δ' ἐςὶν ὁ παῖς γενετῶν.
Δακρυχάρης Πλούτων, οὗ πνεύματα πάντα βροτεια
Σοὶ νέμεται, τί τρυγᾷς ὄμφακας ἡλικίης;
Nuntie Perſephones Cyllenie, Ditis in imos
Qualem deducis triſtia regna ſpecus?
Inter utrumque parentem en ſtat ſeptennis Ariſton,
Parca ferox luci quem abſtulit aetheriae.
Nonne tuum eſt, Pluto, quidquid mortale ſub aethra eſt?
Heu cur aetatem, quae ſit acerba, ſecas?

Huc etiam quum adoleſcens eſſem, memini ſcalis longiſſimis fune ferruminatis me deſcendiſſe, tum hypogei luſtrandi cauſa, tum ut ſi qua alia inſcriptio occurreret, eam deſcriberem. Et ſane mea vota non incaſſum cecidere: namque animadverti epigraphen Graecam in tectorio hujus hypogei elegantiſſime minio depictam: quae epigraphe cum ſuo tectorio paullo poſt in Muſeum Herculanenſe fuit deducta. Ea inſcriptio hactenus in ſchedis meis delituit; quam tunc facile mihi fuit exſcribere: litterae enim humentes, vividae ac rubicundae protinus ſe dabant in conſpectum: nunc vero in Muſeo, utpote libero aëri expoſitae, ſicceſcentes in diem evaneſcunt. Quamobrem rem non ingratam harum antiquitatum amatoribus reor facturum, ſi hanc inſcriptionem, nihil hîc ceteroqui ad rem facientem, infra (13) exhibuero.

Sed redeo ad hypogeum prope Portam Divi Januarii, de quo modo diſſerebam. Simul ac rumor inventionis hujus hypogei mihi ad aures pervenit; confeſtim deſiderio flagravi, meis intueri haurireque oculis, quae mihi narrabantur ab aliis viſa: at vero ne periculum me illuc demittendi facerem, mea devexa aetas, & amici deterruerunt. Verumtamen inſcriptionum, quibus hypogei parietes oblinebantur, exemplar per ſtrenuas manus Cl.Viri Caroli Roſini Metropol.Eccleſiae Neapol. Canonici, Graeci Latinique ſermonis

(13) Ita ſe habet inſcriptio:
ΕΝΤΕΙΠΡΩΤΕΙΚΑΙΝΕΙ
ΤΕΙΕΣΔΕΞΙΑΝΕΣΙΟΝΤΙ
ΘΤΟΣΧΩΤΗΣΜΟΡΦΟΤ
ΕΝΕΣΤΙΝΤΑΤΤΗΝΤΗΝ
ΚΑΙΝΗΝΜΗΟΙΓΕΙΝ
In primo Sarcophago, qui ad dexteram eſt ingredienti, Thyoſchotes Morphi F. jacet. Hunc Sarcophagum ne recludito. Pictor non affectatione vetuſtatis, aut Herodis Attici imitatione, τὸ E loco τοῦ H plus vice ſimplici delineavit; ſed quid humanitus paſſus unam litteram pro altera depinxit: at ubi errorem advertit, in ſecutis lineis emendavit.

monis callentiſſimi , ſum nactus . Hae autem Epigraphae , quae in parietibus ſupra loculos, ut paullo ante dixi , depictae viſuntur , nonniſi nomina aliquot virorum ac feminarum , illic humatorum , repraeſentant , & alicubi ſubnectitur conſueta in hujuſmodi elogiis ſalutatio ΧΡΗϹΤΕ vel ΧΡΗϹΤΗ ΧΑΙΡΕ . Vna dumtaxat inſcriptio ſupra ceteras excellit , & cujus cauſa ad hoc hypogeum adumbrandum digreſſus ſum ; nimirum illa , ubi de noſtris *Eunoſtidis* luculenta fit mentio ; quae quamvis ob detrimentum tectorii , quod ex pariete deciderat, dimidiata ferme ſuperſuit , vel ſic tamen digna omnino videtur , quae hîc producatur.



Digitized by Google

Leucia Euphronis—Euphron Heraclidis

Protinus ſequitur epigramma, quo poëta *hoſpitem* alloquens, ſic cecinit:

Haec Eunoſtideon urna extinctum Euphrona condit;
Pectore qui vivens mitem animum occuluit.

Χρηστὸν verti *extinctum*. Quos Latini *Manes*, Graeci Χρηστοὺς (h. e. *vita functos*) extulere. In foedere Lacedaemoniorum, & Tegeorum in Arcadia, cavebatur, Μὴ ἐξεῖναι χρηστοὺς ποιεῖν, quod Ariſtoteles interpretatus eſt, Μὴ ἀποκτιννύναι, *Neminem vita privare*, ut adnotavit Plutarchus Quaeſt. Graec. m. pag. 292. Vltima ſyllaba in Ἤπια, pro more Latinorum eſt elidenda; alioquin penthemimeris ſemipede metrico redundaret. Hîc autem ni criticorum vererer judicia, libere pronuntiarem, vetuſtiſſimos Poëtarum Graecorum cum carmina exararent, idem pariter factitaſſe: ſed poſtea Grammaticos, ut lectores primo obtutu admonerentur, quaenam vocalis in occurſum alterius ſubſequentis elidenda eſſet, necne; notam ἀφαιρετικῶς excogitaſſe. Latini certe litteras in carmine abſorbendas, ſcribendo invariate retinebant; quod certe non commiſiſſent, niſi vetuſti Graeci, a quibus didicerant Poëſin, praeluſiſſent exemplo. Poſtremo quid acroſticha trium ſubſequentium verſuum, qui cum tectorio in tenues abierunt auras, portendant, Oedipo conjectore eſt opus.

Ex multiplicibus autem epigraphis hujus hypogei plura docemur. I. Eunoſtidas quidem Phratores ibi olim tumulatos; phratores vero non ſolos ἱεροποιοὺς (*ſacrificulos*) intelligendos, ſed univerſos utriuſque ſexus ejuſdem Phratriae tribules. II. Phratriam Eunoſtidarum ubivis potius, quam in hac urbis regione ubi defoſſum eſt hypogeum, tetendiſſe: compertum enim eſt, olim ſepulcra vel privata vel communia, nonniſi extra urbem aedificata. III. Sepulcra veterum Neapolitanorum, pro more ſolito ad ſeptentrionem urbis diſpoſita. Enimvero Celanus noſter Itiner. Neap. die VII. m. p. 52. ſeq. evicit, totam eam regionem, qua iter eſt a Porta Divi Januarii ad aedem Divae Mariae Sanitatis, ſepulcris affabre factis occupatam; & pag. 58. narrat, in aedibus Franciſci Marii detectum hypogeum, plurimis urnis inſtructum, ibique epigramma A. Alphii Sorani Epicurei, quod paullo ante emendatius protuli. Anno 1758. ut modo dicebam, in aedibus PP. Miſſionis innotuit hypogeum illud, ubi epigramma pueri Ariſtonis. Denique anno 1790. ſepulcretum *Eunoſtidarum* ſe

ſe

ſe forte fortuna conſpiciendum dedit. Nullus igitur relinquitur dubitationi locus, quin ſuburbium, quod nunc a Diva Maria (Regina) *Virginum* nuncupatur, totum quantum eſt, ſepulcris aedificandis patuiſſe. Contra ſi quis *Eunoſtidas Phratores* cuſtodiendi caelibatus cauſa in hoc ſuburbio, procul ab urbis frequentia & periculo habitaſſe contenderit; ſimul is fateatur oportet, Phratriam Eunoſtidarum fuiſſe ſyſtema ſive corpus, in quo nemo naſceretur, & Phratores ipſos, veluti lymphatos inter buſta & ſepulcreta fuiſſe verſatos.

Verum quid ultra tricamur? *Euphron e phratria Eunoſtidon*, cujus emortualem titulum paullo ante retuli, neque vixit caelebs, neque ſacris peragendis videtur inauguratus. Epigrammati *Euphronis* pridem depicto poſtea uti fit (14) veriſimile, ſuperimpoſita fuit haec alia epigraphe: ΛΕΥΚΙΑ ΕΥΦΡΟ·ΝΟΣ, *Leucia* uxor, aut *ſi* mavis, filia *Euphronis*. Vtrumvis praetuleris, manifeſto proditur, Euphronem ejuraſſe caelibatum. Quam porro is artem, cujus inſigne ad poſteritatis eruditionem tumulis mandari ſolebat, praecipue excoluerit, facillime e corona laurea, quae ſuſpenſa clavo depicta viſitur in tectorio, colligitur, ipſum e gymnicis certaminibus Neapolitanis exceſſiſſe victorem: eo enim referas oportet coronam ejus tumulo appictam. Ita pariter in titulo marmoreo, quem *Eumelidae Phratores Flavio Evanthi* victori Auguſtalium ludorum poſuere; tametſi diſertis ibi verbis *Flavii* victoria adnuntietur, vel ſic tamen corona laurea in marmore minime deſideratur. Vide pag. 106. Haec autem adnotaſſe eo ſpectant, ut perſuadeamur, Leuciam in familiari quidem tumulo Euphronis, ſive patris ſive conjugis, fuiſſe conditam, ſed hunc tumulum in ſepulcreto *Eunoſtidon Phratorum*, ad quam Phratriam Euphron pertinebat, aedificatum.

Vbi

(14) Profecto ſi epigraphe (*Leucia Euphronis*) ante Euphronis, patris ſive conjugis, obitum fuiſſet depicta, ſeries litterarum a rigore ſuo minime deliraſſet: at hae litterae aliquatenus recte procedunt, ſed poſtea prout ad Euphronis coronam jam depictam accedebant, ſuperne ſinuantur in circuli ſegmentum ac duae poſtremae litterae inferne ſubjiciuntur, perinde ac vacuum ſcribendo defuiſſet; quemadmodum in hujuſmodi anguſtiis Caeſar Auguſtus factitare ſolebat. *Notavi* (inquit Suetonius in ejus vita extremo cap. 87.) *& in chirographo ejus illa praecipue: non dividit verba, nec ab extrema parte verſuum abundantes litteras in alterum transfert; ſed ſtatim ſubjicit, circumducitque*. Ex ea igitur litterarum circumductione argumentum cape, inſcriptionem *Leuciae* recentiorem fuiſſe elogio *Euphronis*; alioquin pictor, ſi vacuum tectorium fuiſſet nactus, ſane litteras abundantes minime ſubjeciſſet.

Digitized by Google

Vbi *Phratria*, ibi ſubaudienda eſt vel naturalis, vel politica ſocietas. Omnia autem corporata ſodalitia praeter communem Curiam, quo coibant, habebant etiam, ut pag. 64. innui, commune ſepulcretum. In urbe Neapoli, ut plures erant *Phratriae*, ita quoque plura ſuppetebant ſepulcreta, ſuis cujuſque Phratriae nominibus diſcreta: & nullus dubito, quin & alibi gentium, praeſertim apud Athenienſes, eadem humandorum cadaverum politica viguerit conſtitutio. Hanc autem opinandi conjecturam mihi excitavit Thucydides, ubi deſcribit funus militum bello Peloponneſiaco interfectorum: *Eâdem* (inquit lib. II. p. 59. Edit.Steph.) *hyeme Athenienſes patrio inſtituto buſtum publice fecerunt iis, qui primi hoc in bello mortem oppetiiſſent, hunc in modum: Facto ante triduum tabernaculo, mortuorum oſſa proponuntur, & ſuo* (cadaveri) *quiſque inferias, ſi quas velit, mittit. Quum efferuntur, ſingularum Tribuum ſingulas arcas ex cupreſſo, SVAE QVAMQVE TRIBVS oſſa continentes vehicula portant .... Efferunt autem promiſcue voluntarii quique vel cives vel hoſpites, feminis propinquitate conjunctis ad ſepulcrum ejulantibus; conduntque in publico monumento, quod eſt in pulcherrimo urbis SVBVRBIO* (*Ceramico*, ut Scholiaſtes h. l. notat) *ubi ſemper eos ſepeliunt, qui in bello ciderunt*. Oſſa militum interfectorum non permixta, ut fors tulerat, ſed diſcreta per Tribus atque in arcis condita, non in urbe, ſed in προαςείῳ (*ſuburbio*) ſepeliebantur: quam conſuetudinem ſepeliendi nempe mortuos extra urbem Athenienſes adeo tenaciter obſervarunt, ut ab iis Cicero impetrare nequierit, ut Marcellus in Athenarum gymnaſio tumularetur. Itaque hujus interdicti vi tum publica, tum gentilitia monumenta nonniſi in ſuburbiis conſtruendi dabatur facultas. Idem plane inſtitutum Neapoli obtinuit. Civitas ex pluribus conſtabat Phratriis; neceſſe igitur fuerat, ut ſingulae Phratriae ſua peculiaria haberent conditoria; ut argui poteſt ex ΘΗΚΗΙ ΕΥΝΟΣΤΙΔΕΩΝ (*ſepulcreto Eunoſtidarum*) in inſcriptione, quam in manibus habeo; inde enim pronum eſt colligere, reliquis Phratriis *Eumelidarum*, *Ariſtaeorum*, *Cumanorum* &c. ſingula patuiſſe conditoria; ſed omnia ἐν προαςείῳ (in *ſuburbio*), quod eſt extra urbis moenia: & ſane tota illa regio, ubi patefactum eſt ſepulcretum *Eunoſtidarum*, a noſtratibus Scriptoribus medii & infimi aevi, haud aliter quam cum additamento *Extra-Moenia*, peculiariter deſignatur.

Olim Neapoli ſatis fortaſſe erat ſpatium illud extra moenia,

R quod

quod ad Septentrionem ſpectans, patebat ſepulcris: at ubi populus mirifice ob confluentium, praeſertim Romanorum, acceſſionem increvit, neceſſe fuit, ut ad reliquas caeli plagas conditoria pararentur. Enimvero quartus jam annus eſt, ex quo cum ad Orientem verſus in ſuburbio extra Portam Campanam fundamenta effodiebantur (ubi nunc ampla aedium inſula exſtructa eſt) fabri in vetuſtum ſepulcretum incurrerunt, ubi plures deprehenſi ſunt loculi apte diſpoſiti, quorum alii protomas, alii ſuſtinebant ollas; & quod majoris eſt ponderis, inventi ſunt ſex litterati lapides latine perſcripti. Quas epigraphas, tum ut ab amatoribus hujuſmodi cupediarum ineam gratiam, tum ne fato malo diſpereant, publicae uſurae hic conſignare decrevi:

1

D M
C · LVXILIVS
MVS · LVXILIA
ſic
NICE · COIVGI · B
FECIT

2

D M
L · LICINIVS
PIVS · SIBI · ET · SVI

3

D M
VALERIA · LESVIA
VIXIT · ANNIS
XXX
DIEBVS · V

4

D M
LYSIO · SEVE
RO · SEVERA
MATER · FILI
O · PIENTISSIMO
V · A · XXIIII

5

D M
CALIDIAE · NO
MINATAE · L · VET
TIVS · SABINVS
CONIVGI · OP
TIMAE

6

D M
HAVE · VETTIA · SABINA
BENE · VALEAS · QVISQVIS · ES
M · TVLLIVS · DIONYSIVS
CONIVGI · KARISSIMAE
VIX · AN · XXIV · M · III · D · XXII

Sex ſupra ſcriptae epigraphae ſuo ſe ore produnt, ad aureum ſaeculum pertinere latinitatis: tanta iis ineſt ſimplicitas, & elegantia, tantaque verborum parſimonia. Ceterum vel unus *M. Tullius Dionyſius* inibi memoratus, id quod e ſtylo conjici poterat, ipſe exſerta

Digitized by Google

ſerta voce confirmat. De *Dionyſio* multus eſt ſermo in epiſtolis Ciceronis ad Atticum, ac viciſſim Attici ad Ciceronem. Ab utroque ille habitus in pretio, ſed Attico carior. *Dionyſius quidem tuus* (inquit Cicero ad Atticum ſcribens Epiſt. IV. Lib. VIII.) *potius, quam noſter:* namque Dionyſius in communi aere utriuſque fuerat; ſed poſtea manumiſſus, pro more libertorum, *praenomen* a M. Tullio Cicerone, & *nomen* a T. Pomponio Attico, adoptavit, ac proinde nuncupatus eſt *M. Pomponius Dionyſius*. Vide Epiſtolam XV. Lib. IV. ubi: *De Eutychide gratum, qui vetere praenomine, novo nomine T. erit Caecilius; ut ex te & ex me junctus Dionyſius, M. Pomponius*. Dubitari nequit, quin Cicero frequenter Neapolim adierit, ut ſua praedia ad dexteram hujus urbis laevamque ſita, Cumanum, ac Pompejanum inviſeret. Cicerone autem in Campania ruſticante, Dionyſius, qui eum affectabatur, maluiſſe videtur compellari nomine *Tullii*, quam *Pomponii*, ut ſcilicet a patrono majoris prae Attico nominis & auctoritatis niteſceret. Enimvero *Dionyſius* in emortuali titulo ſuae conjugis *Vettiae Sabinae* (forte *Vettii Sabini*, cujus mentio in V. epigraphe, filiae) conditae in ſepulcreto extra Portam Campanam urbis Neapolis, *M. Tullius* inſcribitur. Etſi Cicero, ut obiter dicam, ſaepe de Dionyſio magnifice ſenſit & locutus eſt, praeſertim Epiſt. IV. Lib. VII. poſtea tamen ſtylum invertit, & prolixam ſuam de ejus honeſtate opinionem abraſit, uſque adeo, ut eum diris devoverit Epiſt. XII. Lib. IX. *Odi hominem* (Dionyſium) *& odero: utinam ulciſci poſſem; ſed ILLVM VLCISCENTVR MORES SVI.* Nil verius: male morati ſerius ocius ſuo ſe enſe jugulant. Hîc autem Cicero Atticum alloquens re ipſa atticiſſat; namque uſurpat ſententiam, quam a T. Pomponio Attico fuiſſe proditam teſtatur Cornelius Nepos in ejus vita cap. *XI. SVI CVIQVE MORES FINGVNT FORTVNAM*. Obiter hîc animadvertendum eſt, inſcriptiones omnes hujus hypogei extra Portam Campanam, latine decurrere, tametſi eo tempore pleraque civitas Neapolitana in Graeciſmo perſtabat. Quo autem ea animadverſio pertineat, quidve portendat, dicam, cum *Cumanorum* Phratriam producam.

In ſuburbio noſtrae urbis Auſtrali exſtiterint necne ſepulcra, animi pendeo: veroſimilius tamen videtur, ab ea plaga maritima atque ad apricandum opportuna, exulaſſe monumenta lugubria, quae injucundas excitarent recordationes. Eadem fortaſſe contemplatio ſubiit Athenienſibus, qui, ut civium hoſpitumque prope mare

R 2 deam-

Digitized by Google

deambulantium oculos animoſque exhilararent, Porticum inſignibus decoratam picturis aedificarunt. Ea Porticus, quae poſtea *Poecile*, olim πλησιανάκτιον, teſte Plutarcho in Cimone m. p.480. vocabatur; quia, ut mihi (15) videtur, *prope mare* aedificata. Ad hujus *Poeciles* Athenienſis imitationem videntur Neapolitani Porticum quamdam ad Favonium ventum expoſitam conſtruxiſſe, exquiſitis lapidibus picturiſque expolitam; uti traditur a Philoſtrato in Exordio *Iconum*, quas ipſe in hac urbe noſtra vidit, atque enarravit.

Ab occidentali plaga praetenditur urbi collis *Pauſilypus*, ubi Capacius noſter plura veterum monumenta ſepulcralia aevo ſuo ſuperaſſe teſtatur. Ibidem P. Virgilii Maronis oſſa quievere, ejuſque ſepulcrum ea religione, qua templum dedicatum, ſaepiſſime a Silio Italico adibatur. Praeterea valetudinarii qui erant, ut copiam haberent reciprocandi animam in loco aëris ſalubrioris, in hunc collem amoenitate commendatiſſimum, deducebantur; quemadmodum exemplo militum Claſſis Miſenenſis oſtendi poteſt. Ii vero, qui pertinacia morbi illic eſſe deſierant, quin ibidem fuerint tumulati, temere in dubium revocaretur: atque eo tandem res ob tumulorum frequentiam evaſit, ut *Pauſilypon* & *Requietorium*, ſive *Sepulcrum*, non invenuſta metaphorà tamquam ſynonyma haberentur vocabula. Eo ſuper utriuſque vocabuli commercio, equidem in forulis meis habeo commentariolum, ſed affectum, & nondum expolitum; quod ſi hîc ederem, fortaſſe haud extra chorum ſaltaſſe viderer. At ne interea, qua meditando, qua refingendo feſtinantes operas typographicas retardarem; ſtatui quidquid id ſit & qualecumque, ad calcem hujus operis, ſi ſuppetant vires, adjungere,

Jam urbis Neapolis προαστεῖα (*ſuburbia*) perluſtravimus, in quibus ex Graecanico praeſertim inſtituto diſpoſita erant ſepulcreta; namque in urbe ſepeliri quemquam vetabatur. Itaque ubi Conditorium *Eunoſtidarum* aetate noſtra detectum eſt, ibi *Phratores cognomines* civiliter diverſari non poterant. Hiſce omnibus animadverſis firmatiſque, ſi quis contendere perrexerit, *Phratores Eunoſtidas*, vivos videnteſque tuendae caſtitatis cauſa, in ſepulcretis extra moenia caelibes habitaſſe, hunc equidem

Diſcipularum inter jubeo plorare cathedras.

CA-

(15) Vox compoſita a πλησία *prope*, & ἀκτὴ *littus*; interpoſita littera N ob occurſum vocalium, vel etiam fortaſſe quod antiquitus πλησία aeque ac πλησίαν uſurpabatur, ut μακρὰ & μακρὰν eodem ſignificatu.

C A P V T III. Ἀρισταίων.

Lex Phratriae Ariſtaeorum *producitur* , *ſuppletur* , *illuſtratur* . *Vnde Phratriae quaeſitum cognomen* Ariſtaeorum.. *Diana Athenis cognominata* Ariſta & Calliſta. Ὄνομα & Πίστις *quid in contractibus*. Ἀλλοφονήτωρ *eſt alius Phratriae corporatus* . Ἀγαῤῥὶς, populi concio. *Wan-Dalus & Martorellius notantur*.

ΑΡΙΣΤΩΝΟΣ ΤΟ ΤΟΥ ΑΛΕΡΙΑΣ
ΜΟΥΣΗΣ ΤΗΣ ΕΑΥΤΟΥ ΓΥΝΑΙΚΟΣ ΜΗ ΕΞΟΥΣΙΑΝ ΕΧΕΤΩ
ΣΑΝ Ο ΦΡΗΤΑΡΧΟΣ Η ΟΙ ΧΑΛΚΟΛΟΓΟΙ Η Ο ΦΡΟΝΤΙΣΤΗΣ Η ΟΙΔΙΟΙ
ΚΗΤΑΙ Η ΑΛΛΟΣ ΤΙΣ ΤΗΣ ΦΡΗΤΡΙΑΣ ΤΗΣ ΑΡΙΣΤΑΙΩΝ ΤΗΝ ΘΥΣΙΑΝ
Η ΤΟ ΔΕΙΠΝΟΝ ΥΠΕΡΤΙΘΕΣΘΑΙ ΠΑΡΑ ΤΑΣ ΤΕΤΑΓΜΕΝΑΣ ΗΜΕΡΑΣ
ΚΑ ( ) ΑΧΕΙΛΙΑ ΚΑΙ ΔΙΑΚΟΣΙΑ ΔΕΙΝΑΡΙΑ ΔΑΝΕΙΣΕΣΘΩ ΜΗ ( ) ΗΟ
ΕΙ ( ) ΟΝΟΜΑΤΙ ΔΕΙΝΑΡΙΑ ΔΙΑΚΟΣΙΑ ΠΕΝΤΗΚΟΝΤΑ ΚΑΙ ΤΗ ( ) ΕΙ
ΜΗ ΕΞΟΥΣΙΑΝ ΕΧΕΤΩ Ο ΦΡΗΤΑΡΧΟΣ Η ΟΙ ΧΑΛΚΟΛΟΓΟΙ Η Ο ΦΡΟΝ
ΤΙΣΤΗΣ Η ΟΙ ΔΙΟΙΚΗΤΑΙ Η ΑΛΛΟΣ ΤΙΣ ΤΗΣ ΦΡΗΤΡΙΑΣ ΤΗΣ ΑΡΙΣΤΑΙΣ
ΦΡΗΤΟΡΑ ΥΠΕΡ ΤΟΥΤΩΝ ΤΩΝ ΟΝΟΜΑΤΩΝ ΛΑΜΒΑΝΕΙΝ ΟΥ
ΠΙΣΤΕΙ ΔΟΘΗΣΕΤΑΙ ΟΝΔΕ ΑΝΟΔΑΝΕΙΖΟΜΕΝΟΣ ΔΙΔΩ ΑΛΛΟ ΦΡ
ΤΟΡΑ ΕΝ ΑΓΑΡΡΕΙ ΕΙΣΔΙΔΟΣΘΩ ΚΑΙ ΕΑΝ ΔΟΞΗ ΤΗ ΑΓΑΡΡΕΙ
ΚΑΘΩΣ ΚΑΙ ΥΠΕΡ ΦΡΗΤΑΡΧΟΥ ΚΑΙ ΧΑΛΚΟΛΟΓΩΝ ΔΟΓΜΑΤΙΣ
ΤΑΙ ΤΟΤΕ Η ΟΙΚΟΝΟΜΙΑ ΥΠΟ ΤΩΝ ΠΡΟΓΕΓΡΑΜΜΕΝΩΝ ΓΕΙΝΕΣΘ
ΤΟΥΣ ΔΕ ΧΑΛΚΟΥΣ ΟΙ ΔΕΔΑΝΕΙΣΜΕΝΟΙ ΚΑΤΑΦΕΡΕΤΩΣΑΝ
ΕΒΔΟΜΗ ΤΟΥ ΠΑΝΘΕΩΝΟΣ ΜΗΝΟΣ ΙΣΤΑΜΕΝΟΥ ΕΙΣ ΑΓΑΡΡΕΙ
ΠΛΗΘΗ ΟΥΣΑΝ ΚΑΙ ΕΠΙΨΗΦΙΣΕΤΩ Η ΦΗΤΡΙΑΘΙΣ ΘΕΛΕΙ ΔΑΝΕΙΖΕ
ΚΑΙ ΟΥΤΩΣ ΤΟΤΕ ΑΛΛΗ ΟΙΚΟΝΟΜΙΑ ΓΙΝΕΣΘΩ ΚΑΘ ΕΚΑΣΤΟΝ
ΤΟΣ ΕΝ ΤΕ ΤΑΙΣ ΗΜΕΡΑΙΣ ΤΑΥΤΑΙΣ ΤΑΙΣ ΔΥΣΙΝΑΙΣ ΘΙΟΝΤΕΣ Δ
ΠΝΟΥΣΙΝ ΟΥΑΛΕΡΙΑ ΜΟΥΣΗ ΔΙΔΟΣΘΩ ΤΑ ΚΑΤΑ ΧΕΡΑ ΤΟΔΕ ΓΡ
Π ( ) ΟΤΕΘΕΝΗΤΟ ΠΡΟΣΗΛΩ ΘΕΝΟΦΕΙΛΕΤΩΣΑΝ Ο ΦΓΗ ( ) ΡΧΟ
ΗΟ ( ) ΑΛΚΟΛΟΓΟΙΗ Ο ΦΡΟΝΤΙΣΤΗΣ Η ΟΙ ΔΙΟΙΚΗΤΑΙ ΜΕ ΤΑ ( ) ΡΑΔ
ΔΟΝΑΙΤΟΙΣ ΑΕΙ ΥΠΟ ΤΗΣ ΦΗΤΡΙΑΣ ΚΑΤΙΣΤΑΜΕΝΟΙΣ ΕΑΝΔΕ ΤΙΠ
ΡΑ ΤΑΥΤΑ ΥΠΕΡΑΝΩ ΓΕΓΡΑΜΜΕΝΑ Ο ΦΡΗΤΑΡΧΟΣ Η ΟΙ ΧΑΛΚΟΛ
ΓΟΙ Η Ο ΦΡΟΝΤΙΣΤΗΣ Η ΟΙ ΔΙΟΙΚΗΤΑΙ Η ΟΙ ΔΕΔΑΝΕΙΣΜΕΝΟΙ Η ΑΛΛΟΣ
ΤΙΣ ΠΟΙΗΣΗ ΑΠΟΤΕΙΣΑΤΩ ΙΕΡΑ ΤΩΝ ΩΕΩΝΤΩΝ ΦΗΤΡΙΩΝ ΑΡΓΥ
ΑΚΟΣΙΑ ΑΙΗΕΚΠΡΑΞΙΣΕΣΤΙ

Ita

Ita marmor exhibetur a Grutero pag. CXXV. Sed hujus eruditiſſimae inſcriptionis vicem doleo; namque peſſime fuit habita ab artifice quadratario, vel potius a recentiore deſcriptore, haud valde in lingua Graeca verſato. Saepe enim vocabulum unum Abſyrti inſtar in plura diſcerpitur; & contra duae treſve voces monſtroſe coacervantur in unam. Quo factum eſt, ut Martorellius noſter, tum feſtinantia ſua praeceps (ceteroqui felicitate ingenii quavis laude digniſſimus) tum maxime Gruteriano deceptus exemplari, modo quae dividenda erant, conglutinavit, modo quae uno ſpiritu oportebat efferri, diſſecuit; ut Martorellianam lectionem cum mea, quam mox ſubjiciam, conferenti patebit. Quamobrem priuſquam inſcriptionem illuſtrare aggrediar, eam, prout articulate legenda ſit, minuto charactere deſignabo; at litteras alicubi deperditas, emendataſve, diſcriminis cauſsà majuſculis depingam elementis.

αριστωνος του αλεξιας
μουτης της εαυτου γυναικος· μη εξουσιαν εχετω-
σαν ο φρητραρχος η οι χαλκολογοι η ο φροντιστης η οι διοΙ-
κηται η αλλος τις της φρητριας της αριστωιων την θυσιαν
η το δειπνον υπερτιθεσθαι παρα τας τεταγμενας ημερας
κΑΙ Τα χειλια και διακοσια δειναρια δανειΖεσθω μηΔΕποΤΕ
ει ΜΗ ΕΠ ονοματι δειναρια διακοσια πεντηκοντα και τη πολει
μη εξουσιαν εχετω ο φρητραρχος η οι χαλκολογοι η ο φρον-
τιστης η οι διοικηται η αλλος τις της φρητριας της αριστωιΩΝ
φρητορα υπερ τουτων των ονοματων λαμβανειν ουΤΕ
πιστει δοθησεται· ον δε αν ο δανειζομενος διδω αλλοφρΗ-
τορα εν αγαρρει εισδιδοσθω και εαν δοξη τη αγαρρει
καθως και υπερ φρητραρχου και χαλκολογων δογματιΖΕ-
ται· τοτε η οικονομια υπο των προγεγραμμενων γεινεσθΩ
τους δε χαλκους οι δεδανεισμενοι καταφερετωσαν
εβδομη του πανθεωνος μηνος ισταμενου εις αγαρρεΑ
πληθΥουσαν και επιΨηφιζετω η φητρια Οις θελει δανειζεΙΝ
και ουτως τοτε αλλη οικονομια γεινεσθω καθ εκαστον Ε-
τος εν τε ταις ημεραις ταυταις ταις δυσιν αις θΥοντες δΕΙ-
πνουσιν ουαλερια μουτη διδοσθω τα καταχρεα. τοδε γρΑ-
πΤΟΝ ΠΡοσθεν η το προτηλωΘεν οφειλετωσαν ο φρηΤΑρχοΣ
η οΙ Χαλκολογοι η ο φροντιστης η οι διοικηται μεταΠΑραδΙ-
δοναι ταις αει υπο της φητριας καθισταμενοις εαν δε τι πΑ-
ρα ταυτα υπεραινω γεγραμμενα ο φρητραρχος η οι χαλκολο-

γοι η ο φροντιστης η οι διοικηται η οι δεδανειτμενοι η αλλος τις ποιητη αποτειτατω ιερα των Θεων Φητριων αργυ-
ΡΙΟΥ ΔΕΙΝΑΡΙΑ Διακοσια ΠΕΝΤΗΚΟΝΤΑ Και η εκπραξις εστι

Ariſtonis *Valeriae*

Muſae ſuae conjugis. Poteſtas ne ſit Phretarcho, aut Chalcologis, aut Phrontiſtae, aut Dioecetis, aut cuivis alii Phratriae Ariſtaeorum, adjiciendi ſacrificium aut coenam praeter ſtatutos dies. Ad denarios mille ducentos quod attinet; (ii) *foenori neutiquam dentur, niſi ſi dejuſſione* (ſolvendi) *denarios ducentos quinquaginta, &* (in) *urbe* (Neapoli). *Ne facultatem habeat Phretarchus, aut Chalcologi, aut Phrontiſtes, aut Dioecetae, aut quis alius Phratriae Ariſtaeorum adſciſtere pro his fidejuſſionibus Phratorem, neque fide dabitur. Quem vero mutuans dederit* (ſponſorem) *alius Phratriae participem, in Conventu ſiſtatur, & ſi viſus fuerit* (idoneus) *Conventui pleno* (*quemadmodum etiam pro Phretarcho, & Chalcologis decernitur*) *tunc adminiſtratio ad normam eorum, quae ſupra ſcripta ſunt, geratur. Qui mutuarunt, deferant nummos* (die) *ſeptima ineuntis menſis Pantheonis in Conventum frequentem; & Phratria decernat, quibuſnam foenerare velit; atque ita tunc alia adminiſtratio fiat quotannis. Diebus hiſce binis, quibus ſacrificant & coenant, Valeria Muſa ea quae debet, deferat. Hac ſcriptum, propoſitum, affixumve, debeant poſtea iis tradere, qui a Phratria deinceps praeficiuntur. Si quid adverſus ea, quae ſupra ſcripta ſunt, fecerit, ſolvat ſacros Diis Phratriis argenti* denarios *ducentos* quinquaginta: *atque haec eſt poenae luitio*.

Proſtat haec praeſtantiſſima inſcriptio apud Gruterum p. 125. Pauca quidem exinde duo eximii viri Scaliger, & Salmaſius excerpſerunt, atque obiter expoſuerunt. Vtinam tota, quanta eſt, ab alterutro fuiſſet illuſtrata; quo facto nec Martorellius ea, quae non intellectu aſſequebatur, nimium licenter mutaſſet in deterius; nec mihi in praeſentia & ipſum coarguendi, & veterem lectionem tuendi daretur negotium. Epigraphen Graecam, prout edita fuit a Grutero, intactam hic exhibui: Latinam vero verſionem adjeci, quae a Gruteriana editione quam minimum recederet, paucis dumtaxat maculis, quae in illam vel marmorarii, vel librarii culpa irrepſerant, abſterſis; ut in ſequentibus animadverſionibus lectorem commonefaciam.

Verſ. 1. 2. Quid ſibi velit primum hujus inſcriptionis comma,

ma , aut quo nomina *Ariſtonis* , ejuſque *conjugis Valeriae Muſae* pertineant , ob deperditas non paucas litteras , haud plane liquet. Abſque ea jactura foret , de tota hujus epigraphes ſententia fortaſſe tutius judicandi daretur facultas . Scaliger in *De Re Numm.* antiquorum apud Graevium tomo IX. eumque ſecutus Salmaſius *De modo uſur.* extremo cap. I. *Teſtamentum* proponi arbitrati ſunt . Profecto proſtat apud Gruterum p. CCXV. 2. longa inſcriptio quaedam Reipubl. Petelinorum , quae quamdam cum hac noſtra habet affinitatem ; ubi hic praeſcribitur titulus : KAPVT TESTAMENTI . Verum , ut ut Valeria Muſa ex teſtamento viri ſui damnas ſit neſcio quid rauduſculi pendere *Phratriae Ariſtaeorum* , ut lin. 20. innuitur, non continuo ſequitur , totam inſcriptionis ſeriem eſſe teſtamentum. Contra leguntur ibi pleraque Phratoribus praeſcripta , quae nonniſi ex legitima poteſtate proficiſci poterant : legitimam poteſtatem illam intelligo , quae penes ipſos Phratoras in legitimum corpus collectos erat , ut ex lege Solonis , L. 4. D. *de Collegiis & Corpor.* patet . Melius mea quidem ſententia judicaſſet Martorellius , qui Pſephiſma hic inciſum contendit ; dummodo is Pſephiſma Phratriae Ariſtaeorum , non univerſae Reipubl. Neapolitanae intellexiſſet : namque fruſtra is mihi fuiſſe videtur , dum de Ariſtone quodam Demarcho , aut Phretarcho cogitat . Ceterum de Ariſtone , ejuſque conjuge Valeria Muſa conjecturam lectori proponam ad verſ. 19. 20. Itaque ſi titulus hujus inſcriptionis a me quaereretur , haud dubius reſponderem , *Pſephiſma* eſſe , ſive *Legem Phratriae Ariſtaeorum* ; quemadmodum *LEX COLLEGII AESCVLAPII ET HYGIAE* , apud Sponium Miſcel. p. 52. & Fabrettum Inſcrip. cap. IX. num. 443. Fuit haec quidem *Lex* Phratriae multiplex , & plura capita complectens : cave tamen credas integram ad nos perveniſſe ; namque ex pluribus indiciis colligo , alia nonnulla praeſcripta fuiſſe , quae fruſtra in ſuperſtite inſcriptione deſideres , ut in loco animadvertam . Quod autem ſupereſt fragmentum , in uno ferme cardine verſatur , nempe in locanda foenori pecunia Phratriae , & in cautionibus foeneratitiis praeſtandis.

Verſ. 2. 3. *Facultatem autem non habeant* ὁ Φρήταρχος , ἢ οἱ Χαλκηλόγοι , ἢ ὁ Φροντιστὴς , ἢ οἱ Διοικηταὶ : *Phretarchus* totius Phratriae magiſtratus major , ac videtur fuiſſe annuus , cujuſmodi Athenis , ut argui poteſt ex oratione Demoſthenis contra Eubulidem . *Phretarchus* latine redditur a Plauto *Curiae Magiſter* . Vide dicta pag. 54. *Chalcologi* q. d. *Aeruſcatores* . In Gloſſis G. L.

Χαλ-

Χαλκολογεῖν *aeruſcare* . At *aeruſcare* proprie eſt *ſtipem colligere* mendicantium more . Et quis praefracte negare auſit , Phratrias aliquot e ſuo corpore deſtinaſſe aeruſcatores, qui oſtiatim, ut ita dicam , a ſociis Phratoribus raudusculum; corraderent , quod in Phratriorum deorum honorem impenderent ? Scitum eſt , Auguſtum religionis cauſa non erubuiſſe ſtipem quotannis emendicare. Sueton. in ejus vita cap. *91*. Verum quia Phratriae annuis inſtruebantur reditibus , quos vel e fundis , vel ex pecuniis foenori datis , conficiebant , facile adducor , ut credam , *Chalcologos* reſpondiſſe *Exactoribus* latinorum , qui *aera* h. e. pecunias colligerent : & ſane χαλκολογέω Heſychio idem eſt ac ἀργυρολογέω, *argentum colligo* . Porro Φροντιστής non ex uſu antiquae Graeciae , ſed ex eo tunc temporis vulgato , accipiendus eſt , & *Curatorem* deſignat . Denique Διοικηταὶ ſunt hîc Phratriae *Adminiſtratores* , ſive *Oeconomi* . Atque hi Phretarchus , Chalcologi , Phrontiſtes , Dioecetae , ſunt οἱ ἐν τέλει , *officiales* cujuſque Phratriae : cetera turba ejuſdem Phratriae particeps , *Populi* nomine apud Latinos veniebat ; uti colligitur ex inſcriptione apud Fabrettum cap. IX. num. 443. Enimvero ſequitur :

Verſ. 4. Ἢ ἄλλός τις τῆς Φρητρίας Ἀρισταίων , *vel alius quis* e populo *Phratriae Ariſtaeorum* . Phratria *Ariſtaeorum* unde nomen invenerit , divinare potius , quam explorate tradere licebit . An *Ariſtaeos* dictos conjiciemus , quia praeſtantiſſimus quiſque civium in eam fuerit Phratriam adlectus ? Profecto delectus fieri ἀριστίνδην Graecis dicebatur , cum potiſſimum ratio τῶν Ἀρίστων (*Optimorum*) habebatur . An potius ſic dictos hariolabimur , quia primi in populi comitiis ferrent ſuffragia ? Sane apud Romanos , ut militiae *Principes* ii dicti ſunt , qui primum in acie locum tenerent , ſic domi *Prima Tribus* ad ſuffragium accita , *Principium* vocabatur . Itaque hinc conjectura poſſet capi , Neapolitanos in ferendis ſuffragiis praerogativam *Ariſtaeis* detuliſſe , non quidem arbitrio ſorti commiſſo , ſed maturo conſilio ; cum vulgo ſciretur, eam Phratriam ἀριστίνδην , h. e. ex praeſtantiſſimis quibuſque civibus fuiſſe conſcriptam . Verum (ut mittam , quod ſi eo cognomine civium *Optimates* deſignarentur , hos potius Ἀρίστους , vel Ἀριστῆας , quam Ἀρισταίους , dictos oportuiſſet) cum reliquae Phratriae noſtrates cognomen ſuum vel a populo , vel ab aliquo deo ſive heroe ſint nactae , non aliunde quidem *Ariſtaeorum* etiam nomen videtur arceſſendum . Mazochius in *Cathedr. Neap.* p. 140.

Digitized by Google

ab Ἄρης, *Mars*, repetit Ἀριςαίους q. d. *Martiales*. At *ignobile otium*, quod Maro Neapoli veluti peculiarem characterem attribuit, videtur ab hac urbe *Martiales* excludere. Martorellius *Thec. Calam.* p. *629.* verba dat, non docet, cum *Ariſtaeos* Neapolitanos *a vetuſto heroe ARISTI cognomento* deducit: namque is heros *Ariſtus* unde, quaeſo, gentium nunc primum prodiit? ubi cultus? Ego vero, qui in ſingulis Phratriarum claſſibus deliteſcere animadverti nomen vel numinis alicujus, ut in *Eumelidis*, & *Eunoſtidis*; vel regionis, unde Neapolim advenerint, ut in *Cumanis*: vehementer conjicio, *Ariſtaeos* intelligendos eſſe illos Athenienſes, qui in civitatem Neapolitanam adſciti, Phratriam de nomine deae *Ariſtae*, Athenis cultae, *Ariſtaeorum* nuncupaſſe.

De Athenienſium Neapolim appulſu teſtis eſt Scholiaſtes Lycophronis ad verſum 732. Strabo quoque lib. V. *246.* narrat aliquot Athenienſes valedicentes Aenariae conceſſiſſe Neapolim. Λαμπαδηφορία, ſeu certamen, quo lampades manu geſtantes curſu contendebant, Athenis in honorem *Cereris* frequentabatur. Idem ludi inſtitutum a Neapolitanis obſervatum docet Statius noſter Sylv. IV. 8. verſ. 51. Quo nam praeeunte exemplo Neapolitanos lampadum certamen didiciſſe conjiciemus? veroſimiliter ab Athenienſibus, quos in hanc urbem adveniſſe, manifeſtum eſt. Igitur Neapolitani, quemadmodum ex conſuetudine cum Athenienſibus cultum Cereris arripuerunt, indidem quoque deae ARISTAE nomen in ſuos mores mihi videntur intuliſſe. De Athenarum *Ariſta* haec habet Pauſanias I. *29.* *Non longe Academia eſt, privati hominis ager, nunc Gymnaſium: in cujus primo aditu* (περίβολός ἐςιν Ἀρτέμιδος, καὶ ξόανα ΑΡΙΣΤΗΣ καὶ ΚΑΛΛΙΣΤΗΣ) *ſeptum quoddam Dianae, & ſimulacra ARISTAE & CALLISTAE viſuntur. Eſſe vero ea Dianae cognomina* (1) *& ipſe conjicio, & Sapphus carmina teſtantur*. Pauſanias ſimulacra, quae in Academia obſervarat, fortaſſe ex epigraphis appictis norat, ea *Ariſtae* & *Calliſtae* fuiſſe dedicata: his vero cognominibus *Dianam* deſignari, e conjectura ſua, & Sapphus auctoritate collegit. Quamvis ipſe utriuſque cognominis cauſas exponere ſuperſederit; haud aegre tamen eſt, quonam

(1) Cognomina uſu vulgaria, ad perſonarum diſcrimen intacta ſervanda ſunt. Graeci ipſi cognomina Latinorum integra, haud aliter ac Latini, extulerunt: & ſi alicubi *Capitolino* ſubſtituerunt Καπιτωλῖνον, & *Quirino* Μειλίχιον, aut ſenſum vocis non plane adaequant, aut caliginem offundunt legentibus.

nam ea bina pertinuerint cognomina, divinare. nimirum ad duplex hujus deae ſtudium, *Venationem*, & *Choreas*, quo alterutroque corporis habitu deſcribitur a Poëtis, & in vett. nummis apparet. In nummis quidem certe Neapol. dea *Artemis*, ſive Diana, viſitur modo capillis in nodum religatis, qualis habitus venatricem decebat; hinc preſſius dicta *Ariſta* q. d. Martia; quia venatio, uti Martis praeludium reputatur: modo exhibetur capite eleganter pexo, grandibuſque inauribus ad conciliandam pulcritudinem compoſito; hinc *Calliſta*. Sed ea de inquiſitione ſatis.

Verſ. 5. τὴν θυσίαν (verſ. 6.) ἢ τὸ δεῖπνον ὑπερτίθεσθαι παρὰ τὰς πεπαγμένας ἡμέρας, *ſacrificium vel epulum adjiciendi praeter ſtatutos dies*. Potuiſſet etiam reddi, *ſacrificium vel epulum differendi ultra praefinitos dies*. Sed illud magis probo; namque ſi ſacrificia epulaeque praeter ſolitum iterarentur, diſpendium arcae communi Phratriae fuiſſet illatum: contra nihil detrimenti erat verendum, ſi aliqua incidente cauſa in aliam differrentur diem. Ceterum conſuevere veteres, ſi feſta publica ſtato die nequiiſſent celebrari, in ſequentis menſis ἡμέραν ἰσάριθμον (*diem paris numeri*) transferre.

Verſ. 7. κΑΙ Τα χείλια κ̓ διακόσια δεκάζμα (2) δανειζέσθω μηΔΕΠΟΤΕ

Verſ. 8. εἰ ΜΗ ΕΠ ὀνόματι (3) δεκάζμα διακόσια πεντήκοντα κ̓

S 2 τῇ

(2) Martorellius praeter neceſſitatem τὸ Δανειζέσθω protelat in Δανειζέσθωσαν: at ea vocis productio a loci anguſtiis excluditur. Verte igitur: *Dentur ad uſuram*, vel *Foenerentur*, paſſiva ſignificatione, ut in Inſtit. De Action. §. 33. *Sed & pecuniae numeratae non in omnibus regionibus ſub iiſdem uſuris foenerantur*; & in inſcript. Gruteri p. DCCCLXVIII. 11.

(3) Ὄνομα redditur a Martorellio *obtentus*, *praetextus*. Verum hic quidvis aliud, quam quod ab eo conjicitur, ſignificat. Ὄνομα non raro *hominem* denotat. In Act. Apoſt. I. 15. ubi in Volgato legitur, *Erat autem turba hominum ſimul fere centum viginti*, in Graeco eſt Ὀνομάτων, *nominum*, quod latine conſervatum eruditi interpretes maluiſſent. Sicuti apud Latinos *Nomen Romanum*, *Caeninenſe* &c. ſunt ipſi *Romani*, *Caeninenſes*; ſic Aeſchini τὸ Θηβαίων ὄνομα *Thebanorum nomen*, ſunt ipſi *Thebani*. Verum ubi de contractibus ſermo eſt, τὸ Ὄνομα, *nomen*, non quemcumque hominem, ſed certam perſonam deſignat, *Creditorem* ſcil. & *Debitorem*; & univerſe *Nomen* in Jure Rom. ad omnem contractum & obligationem pertinet. L. 4. De V. S. Jam vero quod JCti Latini *Nomen* id Graeci interpretes Ὄνομα extulerunt. Τῷ Ὀνόματι τοῦ Γραμματείου τὸ κεχρεωστημένον πρᾶγμα σημαίνεται. *Nomine Scripturario quodcumque debitum ſignatur*. Eclog. 2. cap. 4. Τὸ Γραμματεῖον *documentum* eſt *ſcriptura firmatum*, a Latinis vocatum *Kalendarium*, quia Kalendis ut plurimum pecuniae dabantur foenori, ibique *Nomina* creditorum ac debitorum perſcribebantur. Notum illud Horatianum: *Scribe decem a Nerio*.

τῇ πόλει. *Et mille ducenti denarii neutiquam dentur ad uſuram, niſi fidejuſſione praeſtandi denarios ducentos quinquaginta, & in urbe.* Ex hoc loco docemur, hanc inſcriptionem multo fuiſſe prolixiorem, & pluribus exaratam tabulis, quarum haec una ſuperſtes. Videtur autem fuiſſe in praecedentibus cautum, ut communis pecuniae Phratriae, quae negotiationis cauſa in foenoris verſuram ſepoſita erat, in plura nomina divideretur; quorum unumquodque MCC denarios non excederet; & conſultiſſime quidem proviſum; nimirum ut major evitaretur jactura, quae ſane accidiſſet, ſi quis majorem ſummam mutuatus, ad extremum ſolvendo eſſet impar, aut quod foret damnoſius, decoxiſſet. Quae ſortis diviſio in parvas portiones non ſolum ex hoc loco evincitur, verum etiam ex verſu 10. ubi vetatur poſſe aſſumi praedem *pro his nominibus* Phratorem; & ex verſu 15. ubi praeſcribitur, ut aera ſtato die deferrent in Phratriam, ii, qui pecuniam foenori acceperant. Ex quibus omnibus fit manifeſtum, plures numero fuiſſe, qui mutuarint pecunias, ac proinde peculium Phratriae in plures diſtributum portiones, quae ſingulae, ut ex verſu 7. colligitur, complexae videntur ſummam 1200 denariorum, quae redderent quotannis 250 denarios. Tenuis hic quidem eſt reditus pro expenſis ſacrificiorum atque epularum, quae pluries in anno inſtaurabantur; at ſi plura hujuſmodi nomina, ut modo conjeci, concipiantur; uſurae inde collectae expediendis Curialium oneribus, muneribuſque facile ſuppetebant.

Quam rationem habeat uſura CCL denariorum cum ſorte MCC denariorum, expedivit Scaliger (apud Graevium t. IX. p. 1545.) & *immane* eſſe *foenus* non immerito judicavit. Etſi lege Solonis facultas dabatur, ut uſurarum ex pecunia foenerata percipiendarum is eſſet modus, quem vellet foenerator; omnibus tamen ferme convenit, in eo contractu attendendas eſſe circumſtantias locorum, temporum, & perſonarum: quae quanti ſint momenti, adiſis Salmaſium in veſtibulo operis *De Modo Vſurarum*.

Haec

rio. In *Debitorum* claſſem recenſentur & *Fidejuſſores*: hinc in L. ult. C. de Pact. Conv. *Nomina* & *Cautiones foeneratitiae* ſibi mutuo e regione reſpondent. His animadverſis fit manifeſtum, in noſtro marmore, ubi de cavenda foeneratitia pecunia agitur, τὸ *δανείζειν ἐπ' ὀνόματι*, nihil aliud cavetur, niſi *dare mutuo ſub fidejuſſoris obligatione*; quemadmodum in lege Solonis, τὸ *δανείζειν ἐπὶ σώμασι*, *dare mutuo ſub corporum nexu*, ſignificat.

Digitized by Google

Haec autem uſura, quam e ſuis nummis Ariſtaeorum Phratria ruſpatur, comparata ad ſortem, ferme eſt, ut I. ad V. & ferme accedit ad eam uſuram, quam Graeci τόκον ἐπίπεμπτον vocant, & Horatius taxat in Fuſidio I. Sat. 2.

Dives agris, dives poſitis in foenore nummis;
QVINAS hic capiti MERCEDES exſecat, atque
Quanto perditior quiſque eſt, tanto acrius urget.

Jamvero repoſcit Phratria, ut pecunia non detur mutuanti, niſi praeſtita *fidejuſſione*, vel *mandato*: hoc ſignificat illud marmoris εἰ μὴ ἐπ' ὀνόματι, *niſi ſub nominis obligatione*. Ὄνομα hîc non magis Graeca, quam Latina notione accipiendum eſt. *Nomen* vero, ubi de contractibus ſermo eſt, non ſolum *creditoris* & *debitoris*; ſed etiam *ſponſoris*, ſive *fidejuſſoris* perſonam deſignat: niſi quod Debitor *ſuo nomine*, & Fidejuſſor *alieno* obligatur. Salluſt. in Catil. Bel. cap. 37. *Non quin aes alienum meis nominibus ex poſſeſſionibus poſſem, cum & alienis nominibus liberalitas Oreſtillae ſuis filiaeque copiis perſolveret*. Vſus harum multiplicium notionum paſſim eſt obvius. Itaque δανείζειν δηνάρια ἐπ' ὀνόματι, idem plane eſt, ac *foenerare pecuniam ſub Nominis obligatione*, h. e. ἐπ' ἐγγύῃ *ſub fidejuſſione*, ſive *ſatiſdatione*; Neapolitani vero, etſi ad ſpeciem ore Graeci, ſed reipſa Socii Latini nominis, & commercia cum Latinis agitantes, non ἐγγύην, ſed ὄνομα (*Nomen*), Latinis auribus magis accommodatum, uſurparunt; quemadmodum neque δραχμὴν adhibuerunt, ſed δηνάριον, quamquam *drachma* plane aequaret *denarium* valore. Additur in fine hujus ſeptimi versûs: Καὶ τῇ Πόλει (ſupple ἐν) *Et in urbe*; qua appendice jubetur, ſolutionem ſortis, & uſurae praeſtandam eſſe *in Vrbe*. Nihil frequentius apud JCtos occurrit, quam deſignatio loci ubi ſtipulata pecunia ſit praeſtanda. Salmaſius Ib. p. 31. haec e Xenophonte recitat: *Quin & plurimi etiam Athenienſium plura in annum recipiunt, quam quae intulerint. Nam qui minam in anteceſſum dependerint, habebunt praeter propter duarum minarum reditum*, (καὶ ταῦτα ἐν Πόλει) *idque in urbe* Athenis. Quantum porro Martorellius, qui hoc loco τὸ ὄνομα interpretatus eſt *obtentum* ſive *praetextum*, & τῇ Πόλει vertit *a Republica*; quantum, inquam, ab hujus inſcriptionis ſententia aberraverit, abſtineo queri.

Verſ. 8. 9. 10. 11. *Ne facultatem habeat Phretarchus, vel Chalcologi, vel Phrontiſtes, vel Dioecetae, vel alius quis Phratriae*

Ari-

Ariſtaeorum Phratorem pro his nominibus aſſumere ; neque ſatiſdabitur fide . Vetatur hîc , ne quis e Phratria Ariſtaeorum *pro his nominibus* h. e. fidejuſſoribus , aſſumatur *Phrator* . Hujus interdicti ratio in promptu eſt ; ne ſcilicet deficientibus iis , qui mutuum acceperunt , Phratria cogeretur lege agere contra fidejuſſores; res enim mali exempli videbatur , ſi Phratria ſuos Phratores exagitaret in foro . Subdit ; Οὐδὲ πίστει δοθήσεται , *neque fide ſatiſdabitur* , Martorellius pro more ſuo , ea quae non confeſtim aſſequitur intelligentia , impatiens morae ad libitum reformat ; ut hîc pro Πίστει , quod in marmore viſitur , legendum proponit Πίστις . Heic de ſponſore Phratore non dando agitur : ſponſor autem ſive fidejuſſor ad foeneratorem adiens , hac ſollemni formula utebatur : τῇ ἐμῇ πίστει κελεύω , *fide mea* (h. e. periculo meo) *jubeo* , volo , dico , ut pecuniam mutuam huic credas . Conſule Salmaſium *De Modo Vſur.* p. 706. Qua fide ſequeſtra ſatiſdabatur foeneranti . Mutuans autem dabat foeneranti ſponſorem : foenerantis porro intererat explorare , an ἀξιόχρεως (*idoneus*) eſſet ſponſor . Profecto idoneus ſponſor haberi ille Phrator non poterat , cui interdicebatur , ſe ſe in locanda foeneratitia Phratriae pecunia obligare : itaque ſi quis contra praeſcriptum legis fidejuſſerit , οὐ πίστει δοθήσεται , *non fide dabitur* h. e. *non ſatiſdabitur fide ſua* , ut in argumento ſimili locutus eſt Cicero Epiſt. Fam. XIII. 28. *Si quid tibi ſatiſdandum erit , amplius eo nomine non peti cures , ut ſatisdetur fide mea* .

Verſ. 11. *Quem vero mutuans* (ἀλλοφρήτορα) *alius Phratriae corporatum repraeſentarit* . Fruſtra Martorellius ἀλλοφρήτορα diſſecuit medium , in ἄλλον ſcilicet & φρήτορα , & interpretatus eſt *alium Phratorem* ; unde conſequeretur , eodem legis Phratriacae capite modo *Phratorem* a ſatiſdando repudiari , modo *alium Phratorem* admitti . Tu ne dubita , Ἀλλοφρήτορα vertere *Alius Phratriae conſortem* ; ut ἀλλογενής , ἀλλοδαπός , ἀλλόφυλος , &c. qui *alius* eſt *gentis* , *ſoli* , *tribûs* , ac proinde extraneus ac peregrinus . Phratria Ariſtaeorum , quorum de pecuniis foeneratitiis hîc ſermo eſt , conſultiſſime caverat , ut paullo ante admonui , ne quis *Phrator* (h. e. ſuae Phratriae particeps) ἐπ' ὀνόματι (*pro fidejuſſione*) admitteretur ; nunc vero ſubdit , ſponſorem poſſe repraeſentari ἀλλοφρήτορα , h. e. *alius Phratriae municipem* , & quod perinde erat , ac Phratriae Ariſtaeorum exſortem . Phratria haud univerſam civitatem,

ſed

ſed ejus *partem*, deſignat. *Phratria* (inquit Varro L. L. IV. 15.) *eſt Graecum vocabulum PARTIS HOMINVM: ut Neapoli etiamnum.* Itaque civibus Neapolitanis in plures Phratrias diſtributis, nulla inter ipſas Phratrias communio, nulla neceſſitudo. Inde rationem repete, quamobrem hic in ſatiſdando rejicitur *Phrator*, ne quando contra eum ingratiis lege ageretur; & admittitur *ἀλλόφρητωρ*, *alius Phratriae conſors*; quem veluti extraneum ſi lege perſequi neceſſitas flagitaret, nulla inde creabatur politicae germanitatis violatio.

Verſ.12. *Is* (*ἐν Αγχῤῥεῖ εἰσδιδόσθω*) *in Conventu ſiſtatur*. Vox Α'γαῤῥις ter in hac inſcriptione recurrit, ſemel iterumque hoc verſu 12. tertium verſu ſequenti; & ubique redditur infeliciter (4) a Martorellio *Agarrbeenſium* Phratria, quam ſic dictam hariolatur, quia urbis regio ab his Phratoribus occupata, pluribus aquarum venis abundaret. Martorellium fortaſſe in errorem corripuit (5) Wan-Dalus; ſed uterque falſus, quia neuter Heſychium (6), immo ne ipſum quidem H. Stephanum (7), qui omnium

(4) *Quod ad vocis etymon* (inquit Thec. Calam. p. 630.) *vel qui parum Graece ſapit, novit eum adnotare locum aquarum fluentis redundantem, quare ejuſdem ſobolis adjunctum, ſcilicet ἀγάῤῥοος, ſaepe Homerus Helleſponto tribuit: ἡ Α'γαῤῥεὼς inflectenda Attico more peraeque, ac ὁ Πειραιεὺς, & ſicuti huic ſemper ὁ λιμὴν, illi ἡ φρατρία intelligitur. Porro eam Neapoli Agarrbeenſem regionem dictam eſſe non infieiabimur, quae multis aquarum ductibus abundaret.* Vt cetera nunc ſuſque deque habeam, articulus ne ſequioris ſexûs, *ἡ*, cum Αγαῤῥεὼς maſculae terminationis, componitur? Quis, ut verbis utar Tertulliani, quis, inquam, Herculem in theriſtro Omphales non rideret?

(5) Hoc inter utrumque intercedit: Wan-Dalus quidem de *Phratriis* &c. pag. 739. Phratriam Ariſtaeorum geſſiſſe quoque nomen Α'γαῤῥιων; Martorellius vero haud unam eamdemque extitiſſe Phratriam, ſed *binas regiones Ariſtaeorum* & *Agarrbeenſium* in proximo ſitas, ſomniant.

(6) Α'γαῤῥις Heſychio eſt Α'θροισις, ἡ πλῆθος ἀγωγῆς (forte Πλῆθος, συναγωγὴ, ut egregie emendavit Ruhnkenius), *Congregatio*, *Concio*, *frequentia*. Itaque in noſtro marmore, *ἐὰν δόξῃ τῇ ἀγαῤῥεῖ*, confidentiſſime verte, *ſi viſum fuerit Conventui*. Α'γαῤῥις ergo dictus locus eſt, quo non aquae, ſed quo populus, confluebat.

(7) Hoc vocabulum deſideratur in Jo: Scapulae lexico. Hinc forte docti viri ſupra laudati, ſpe reperiundi Α'γαῤῥιν fruſtrati, eo lapſi ſunt, ut crederent, *Agarrbea* eſſe proprium *Phratriae* nomen, ab aquarum copia quaeſitum. At ſi conſuluiſſent Henr. Stephanum in *Appendice*, Heſychianam hujus vocis didiciſſent interpretationem. Compertum eſt enim, Stephanum plures voces in *Theſauro* ex induſtria omiſiſſe, quas in *Appendice* exponendas ſibi reſervabat; ut eo artificio Scapulam plecteret, quem compererat ſuos ingentes labores clam in epitomen contraxiſſe. Ea de re queritur Stephanus in *Theſauro Ling. Gr.* ubi inquit,

> *Aeger eram a Scapulis; ſanus at huc redeo.*

omnium teritur manibus, conſulere curavit. Porro Martorellius τὸ Εἰσδιδόσϛω, forſan hujus compoſiti novitate offenſus, corrupit in Πίϛις διδόσϛω. Εἰσδίδωμι *dare*, *ſiſtere*, *repraeſentare* notat; novum ſane compoſitum: novum autem compoſitum vulgo dicitur, quia a vulgatis lexicis abeſt. At quot nova vocabula primitiva, nedum compoſita, in dies ferme eruuntur in lucem?

Verſ. 13. *Et ſi videbitur Conventui*, (καθὼς καὶ ὑπὲρ φρητάρχου, καὶ χαλκολόγων) *quemadmodum pro Phretarcho, & Chalcologis praeſcribitur*. Sed quo pertineat illud Καθὼς, aut quid *Conventus*, qui de admittendo ſponſore decreturus erat, commune habeat cum ſtatutis de Phretarcho & Chalcologis? Libere dicam, quae ſentio. Καθὼς, ut etiam Καθάπερ, hîc non eſt vagae, atque indefinitae ſimilitudinis particula, ſed conditionis nota, & modum, qui praeſcriptus eſt, definit. Haud raro in hiſtoria Rom. praeſcribitur numerus Senatorum, ut rata haberetur Senatûs auctoritas; quo deficiente numero pro irrita habebatur. Fortaſſe in electione Phretarchi, & Chalcologorum, ut in re majoris momenti, praefinitus erat numerus curialium ſuffragiorum; & quia idem plane numerus in admittendo fidejuſſore requireretur; inde ſcribitur hîc, *ſi videbitur Conventui, quem ad modum pro Phretarcho, & Chalcologis praeſcribitur*: hoc eſt, ſi videbitur Conventui ejus Phratorum frequentiae, quae in *Phretarchi* & *Chalcologorum* electione ſtatuitur. In margine editionis Gruterianae hujus inſcriptionis admonetur, poſt τὸ ΑΓΑΡΡΕΙ deeſſe in marmore ſpatium vacuum *quinque litterarum*: quod ſi ita ſit, adde ΑΘΡΟΗ, *Conventui conferto*, h. e. frequentiſſimo: quod additamentum, quam modo propoſui, faveret conjecturae.

Verſ. 14. *Tunc oeconomia ſecundum ea, quae praeſcripta ſunt, fiat*. Significatus *Oeconomiae* late patet; inter cetera *adminiſtrationem* denotat. Hîc ſermo eſt de pecunia foenori locanda: ex quo reditu emanabant illa praeſidia, quae ſuſtinendo onera Curialia ſufficiebant. Inter autem ea onera praecipue numerabantur *Sacrificia* atque *Epulae*: ſed praeter haec dabantur a *Phretarcho* ſportulae, ſeu *nummorum* diſtributiones. Plautus Aulularia:

Nam noſter noſtrae, qui eſt Magiſter Curiae
Dividere argenti dixit nummos in viros.

h. e. nummum argenti *viritim* i. e. in ſingulos Curiales ſeu Phratores. In lege Collegii Aeſculapii apud Fabrettum Inſcrip. Cap. X. p. 724. ſingulis Collegiatis nummi ex reditu *foenoris* collecti, diſtri-

ſtribuuntur in hunc modum: *Quinquennali Perpetuo denarii III. Curatoribus denarii III. Populo* (ſic vocatur cetera turba Collegii) *ſingulis denarium I.* Eamdem oeconomiam nummorum ex foenore redeuntium uſurpatam fuiſſe reor in Phratria Ariſtaeorum , ubi quiſque Phrator pro dignitate loci , quem occupabat , & pro ratione redituum, qui ex foeneratitia pecunia obvenerant, plus minuſve conſequebatur . Hinc in hac epigraphe , poſt conſtitutum cum mutuante foenus, fidejuſsione confirmatum , *tunc* decernitur *Oeconomia* , h. e. redituum adaequata partitio ; additurque *ſecundum ea , quae ſupra ſcripta ſunt* . Ex hiſce poſtremis verbis liquido patet , vel plures marmoreas tabulas palam fuiſſe propoſitas, vel quam habemus , dimidiatam ad nos perveniſſe : nihil enim in tabula ſuperſtite de adminiſtranda oeconomia cautum apparet .

Verſ. 15. *Nummos autem* (*οἱ δεδανεισμένοι*) *ii qui ſub foenore mutuati ſunt , deferant ſeptima die Pantheonis menſis ineuntis in Conventum plenum* . Pro τῷ Δεδανεισμένοι Martorellius legendum proponit *οἱ δανειςόμενοι* , vertitque *qui mutuos nummos dare optant :* nimirum confundit δανείζειν cum δανείζεσθαι. *Septima die Pantheonis menſis ineuntis* . Praeſtituitur ſeptima dies, non ob ſeptimi diei cujuſque menſis religionem , ut Martorellio viſum ; ſed quia inter ſtipulantes ita convenerat . Forte *Pantheon* , latina conſuetudine fuerit unus e menſibus *plenis* , cujus *ſeptima dies* incidit in *Nonas* . Nonae autem unae erant e celebrioribus menſis diviſionibus, in quibus praeſtari ſolebant ſolutiones . Hic *Nonae* , apud Horatium *Idus* , colligendis foeneratitiis pecuniis deſtinatae comparent. Meminit menſis *Pantheonis* Scaliger , ſed hunc Siculis , non Neapolitanis attribuit , quo ex capite ſuggillatur a Corſino Faſt. Att. p. 425. Hic alter eſt menſis veteris Kalendarii Neapolitani ; nam de menſe *Lenaeone* , quantum ſatis fuit , pag. 123. diſſerui . Ceterum *Lenaeon* , utpote a Boeotis aliiſque populis uſurpatus , nullum faceſsit negotium : at menſis *Pantheon* hactenus nullibi obſervatus, mihi ſalivam civit inquirendi, unde is hujuſmodi denominationem ſibi pepererit . Non multis in praeſentia detinebo lectorem . Is menſis in *Pantheonis* nomen mihi conceſsiſſe videtur, quia eo anni tempore ab Hadriano Auguſto *Pantheon* fuerit in urbe Neapoli aedificatum, ut ſub communi *deorum omnium* titulo Antinoum ſuum , jam in deos tranſcriptum , citra togatorum indignationem complecteretur, & occuleret . Qua de re agam accuratius, cuum ad Phratriam *Antinoiton* devenero .

Verſ. 16. *In conventum plenum*. Martorellius vertit *ad Agarrhenſes, quum frequentes ſint*. De commentitia *Agarrhenſium* Phratria paullo ante pag. 143. conqueſtus ſum. In marmore εις αγαρρει πληθη ουσαω. Idem vir doctus legerat, εις αγαρρεα παμπληθη ουσαω, quam lectionem haud improbarem, ſi ſpatium extremae lineae praecedentis tantum loci vacui daret, quantum tribus litteris vaſtioribus ΠΑΜ ſuffeciſſet: quamobrem praetuli πληθυουσαω, quemadmodum in *Corr.* & *Animad.* Gruteri p. CCCVI. admonetur. Itaque εἰς ἀγαῤῥέα πληθυούσαω redde *in Conventum plenum*. Ita pariter in Lege Collegii Aeſculapii paullo ante laudata, *ex decreto univerſorum, quod geſtum eſt in templo divorum in aede divi Titi CONVENTV PLENO*, & prope a fine: *Hoc decretum Ordini noſtro placuit in CONVENTV PLENO*. Animadvertas autem hîc licet, mutuantes foenebrem pecuniam fuiſſe coactos bis adire *Conventum plenum* Phratriae; ſemel cum ſponſores dabant coram Phratoribus, atque iterum cum aera conferebant. Sequitur:

Verſ. 17. *Et Phratria* (8) *decernat, quibuſnam velit* (aera) *foenerare*. In marmore: Και επιψηφισετω η φητρια ΘΙΣ θελει δανειζε... Martorellius hîc auſcultandus eſt dumtaxat, dum επιψηφισετω in επιψηφιζέτω refingit; verum dum legit Τι εθελει δανειζεσθαι, occludendae omnino ſunt aures; & quod gravius eſt, latine vertit: *decernito* Phratria *quid velit mutuum accipere*. Tu ne dubita legere: ΟΙΣ ΘΕΛΕΙ ΔΑΝΕΙΖΕιν (duas haud amplius litteras heic deperiiſſe ex editione Gruteri admonemur), & interpretari, *Et Phratria rurſus decernat, quibuſnam velit mutuo dare* (χαλκοὺς) *pecuniam*. Hoc in more foeneratorum erat, ut collectis uſuris, continuo pecuniam rurſus foenerarent. De Alphio foeneratore Horatius: *Omnem relegit Idibus pecuniam, Quaerit Kalendis ponere*. Ἐπιψηφίζω vero non ſimpliciter *decernere* ſignificat, ſed poſt collectas uſuras, iterato de foenore locando conſtituere. Stephanus in Ἐπιψηφίζω monet lectorem, hoc compoſitum in vett. Lexicis poni pro δευτέρας ψήφους τίθημι, *iterum rogo ſententiam, decerno*.

Verſ. 18.

(8) Hactenus in marmore Graeco φρητρία cum dupliċi canina littera ſcripta fuit. Sed hoc verſ. 17. & 21. φητρία, & verſ. 26. Θεοὶ φήτριοι, fortaſſe ob ρωτακισμοῦ fugam, exarata comparent. Ceterum utraque ſcriptio proba eſt. Poſtquam ſermo latinus Neapoli factus eſt vernaculus, vox *Phetria* aliquamdiu invariata perduravit. In Neapolitana epigraphe latina apud Gruterum CCCCXVIII. 6. *Herbacius Mecaenas . . . ob promiſſam venationem PhetrIs diviſit quina mill. num.* h. e. φητρίαις.

Verſ. 18. *Atque ita tunc alia fiat Oeconomia ſingulis annis*. Supra verſu 14. Oeconomiam interpretatus ſum *adminiſtrationem*, quam tamen non adeo contracta accipi velim notione, quaſi ea dumtaxat in tribuendis ſportulis & nummis conſiſteret; ſed latiore ſenſu eſt intelligenda, quae universe ad oeconomicam pertinet rationem. Inde eſt, quod hic, poſtquam Phratria ſuam pecuniam foenori locarit, atque in tuto poſita fuerit de ejus anni reditibus, praeſcribitur, *Tunc alia fiat Oeconomia:* quippe prout annui erant reditus, lautiores aut anguſtiores, ad horum proportionem oeconomia erat componenda.

Verſ. 19. 20. *Et diebus hiſce duobus, quibus ſacrificant & coenant, Valeria Muſa, ea quae debet, repraeſentet*. Martorellius aliter legit, atque interpretatur: Ἐ'ν τε ταῖς ἡμέραις ταύταις θυσίναις θύοντες δεσπνῶσι· Οὐαλερία Μοῦσα διδότθω τὰ κατὰ χεῖρα, *atque diebus ſacrificio addictis ſacrificantes coenanto. Valeria Muſa dato, quod in chirographo* &c. Nimirum lectioni depravatae appingitur verſio deterior (o). *Duo dies*, illi nempe ſunt, quibus *in Conventu pleno* & pecunia foenori dabatur a Phratria, & pecunia a mutuantibus repraeſentabatur. Τα κατα χερα (ut in Grutero legitur) unius litterae metatheſi in τὰ κατάχρεα emendavi, h.e. *ea quibus* (Valeria Muſa) *ſe obligavit*. Hujuſmodi litterarum tranſpoſitiones non raro occurrunt in vett. lapidibus: in vetuſtiſſimo marmore Sigeo apud Chiſul §. IV. & XXI. pro εποιετεν exaratur εποειτεν. Ex quo comperto Valeriae debito conjici poteſt ſententia primi laceri verſus hujus noſtrae inſcriptionis: videtur autem, damnatam fuiſſe Valeriam Ariſtonis conjugem, exſolvere binis vicibus & *duobus* ſtatis *diebus* ea, quae Ariſton Phratriae ex mutuata pecunia debebat.

(o) Vir doctus ex duabus voculis ΔΥΣΙΝ & ΑΙΣ, in unum a ſe conglutinatis, monſtroſum vocabulum ΘΥΣΙΝΟΣ (ut ipſe interpretatur) *Sacrificalis*, conflavit. Ut nunc diſſimulem, elementum Δ ſine juſta cauſſa fuiſſe in Θ transfiguratum; derivatum ex Θύω (*ſacrifico*) Graece effertur & ſcribitur θύσιμος, non vero θύσινος. Fortaſſe Martorellio impoſuit Wandalus, qui diſſert. VIII. p. 739. eadem chorda oberravit. Redde igitur *Diebus duobus quibus ſacrificant & δειπνοῦσι* (*coenant*). Caſus Δυαὶ putatur ab Euſtathio barbarus, uti didici ab Henr. Stephano in v. Δύω. Sed Euſtathius non ſibi conſtat; namque eo uſus eſt Strabo VIII. p. 376. & quod magis mirere, ille ſui oblitus, hunc eumdem Geographi locum ob oculos habuit Iliad. B. p. 288. 4.

Verſ. 20. 21. 22. 23. Hi verſus male prorſus habiti ſunt a Cl. Viro noſtro. Attamen ne ejus vigilias maligne occultaſſe videar, bona fide in ima (10) ora proponam. *Hoc ſcriptum, propoſitum, vel affixum debento Phretarchus, aut Chalcologi, aut Phrontiſtes, aut Dioecetae per manus tradere iis, quos deinceps Phratria ſuffecerit.* Clauditur hoc Pſephiſma Phratriae ad legum Rom. exemplar, quae *Scribi*, *proponi*, *affigi* dicebantur: quas tralaticias formulas vide ſis apud Briſſonium: quae verba per totidem aeque pollentia vocabula hic Graece efferuntur (11). Nolo quis opinetur, quatuor foramina, quae hodie in inſcriptione Gruteri comparent, illa nimirum eſſe, quae aperta fuerint, ut marmor affigeretur: namque cum inculcatur *ſcriptum*, *propoſitum*, *affixum*, id pertinet ad nimiam antiquorum περιεργείαν (*curioſitatem*) qua ſignificabatur, ſedulo obſervandam hanc eſſe legem, ſive *ſcripta* ea foret, ſive *propoſita* ſive *affixa*. Haec autem quatuor foramina, quae in marmore apud Gruterum viſuntur, conjicio aperta fuiſſe temporibus recentioribus; tum cum lapides marmorei inſterni coeperunt ſuper aditus hypogaeorum ſepulcralium. Lapides hujuſmodi, plerumque quadrati, quatuor foraminibus a quatuor angulis pertundi ſolent, ut in ea immittantur harpaginetuli quidam aenei, vel ferrei, qui vicem prehenſionis praeſtantes, ad ſuſpendendum amoliendumque lapidem valent. Ad hunc fortaſſe uſum barbara aetas, egregiam inſcriptionem noſtram damnavit.

Verſ. 23. *Si vero quid contra ea, quae ſupraſcripta ſunt, aut Phretarchus aut Chalcologi, aut Curator, aut Dioecetae, aut ii qui ſub foenore mutuati ſunt, aut alius quis, admiſerit; luat ſacros diis Phratriis argenti denarios ducentos quinquaginta.* Martorellius Ἱερὰ τῶν θεῶν φητρίων refingit in Χειροτονούντων φρητόρων, *decernentibus Phratoribus*. Nihil alienius a ſententia & ſcriptione marmoris; quamquam nihil aeque facile in tota epigraphe occurrit, quod leviore brachio emaculari poterat. Hoc legis comma ſanctionem, quae

(10) Τόπε γέγραπται, καὶ χειροτέτηνται πρὸς ὅλων ἐνσφηλίσωσαν ὁ φρήταρχος, ἢ οἱ χαλκολόγοι, ἢ ὁ φροντιστής, ἢ οἱ διοικηταὶ μετὰ πᾶσι δανεισταῖς μὴ ὑπὸ τῆς φρητρίας καθισταμένοις. *Quod* (in chirographo) *ſcriptum & decretum eſt ab univerſis: obnoxii ſient Fretarchus, aut Chalcologi, aut Phrontiſtae, aut Dioecetae omnibus foeneratoribus, qui ab Fratria electi non ſunt*. Martorel. in Th. Calam. p. 626.

(11) Προσπῆξασθαι *appingere* & Προσηλῶσαι, *clavis figere*, ſunt plane ſynonyma. Vide Salmaſium *Plinian. Exercitat.* p. 521. Notum illud Virgilii: *Fixit leges pretio atque refixit.*

Digitized by Google

quae comminatur poenam pecuniariam violatoribus, complectitur.

Verſ. ult. Quantis denariis ea multa definita fuerit, per magnam litterarum jacturam, affirmate tradi nequit. Si quid tamen audendum eſt, equidem capto indicio ex ſuperſtitibus litteris ΑΡΓΥ. . . . ΟΣΙΑ . . . . pariterque habita vacui interſtitii ratione, in hunc modum repararem detrimentum: *ἀποτεισάτω ἀργυ*ΡΙΟΥ ΔΕΙΝΑΡΙΑ ΔΙΑΚ*όσια πεντήκοντα*. . . . . . *pendat argenti denarios ducentos quinquaginta:* nempe eamdem denariorum ſummam loco emolumenti, quae ex nomine pecuniae foenori traditae, obveniſſet Phratriae: Sors enim MCC denariorum paritura erat uſuram CCL denariorum. Conſule verſ. 5. & *6*. Clauditur haec inſcriptio hiſce verbis: ΑΙΗΕΚΠΡΑΞΙΣΕΣΤΙ. Martorellius emendat: *αὕτη πρᾶξις ἐστι*, *haec eſt praxis*. At in marmore non Πρᾶξις ſcalpitur, ſed Ἔκπραξις. itaque legendum eſt Καὶ ἡ ἔκπραξίς ἐστι, *atque haec eſt poenae exactio* de ſupra ſcriptae legis violatione. Paullo aliter poſtremus hic verſus ſuppletur in Gruteri *Corrig. & Animadv.* p. XXXVI. Sed jam taedet in hujus epigraphae emendatione diutius immorari.

CA-

CAPUT IV. Ἀρτεμισίων.

Reineſiana inſcriptionis Graecae emendatio defenditur. Proculo *Coſ.* Proconſulatus Campaniae *aſſeritur*. *Hujus Proculi aetas aevo M. Antonini Aug. a quo factus* Conſul, *conſignatur*. *Julii Capitolini locus emendatur*. *Alia inſcriptio hactenus inedita*, *Proculo poſita*, *producitur*. Artemiſii Phratores *unde ſic dicti*.

Λ · ΚΡΕΠΕΡΑΙΟΝ · ΠΡΟΚΛΟΝ
ΥΠΑΤΟΝ · ΑΝΤΙΠΑΤΟΝ · ΤΩΝ · ΙΛΙΩΝ
ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ
ΑΡΤΕΜΙΣΙΟΙ · ΦΡΗΤΟΡΕΣ
ΑΜΟΙΒΗΣ · ΧΑΡΙΝ

HAnc inſcriptionem Reineſius Cl. VI. 37. exſcripſit e Capacio I. 8. Sed Capacius *Proculum* in hoc marmore laudatum renuntiat *Iliènſium Proconſulem*. Hoc duce praeeunte in eamdem foveam decidit Martorellius; quamquam Reineſius jamdudum τῶν ἰλιων εὐεργέτην in τὸν ἴδιον εὐεργέτην ſagaciter emendans, optimum (1) elogium Proculo de Phratria Artemiſiorum bene merito, aſſeruiſſet.

Ecquodnam gentilitium nomen cognomini praeiverit Proculi, non ſatis liquet. Capacius (cui adſtipulatur Reineſius) Κρεπέρλιον, Summontius Κρεπέρειον, Mazochius Κεεπερήιον, Martorellius denique Κεεπερῶον praetulit. In tot diſſonis opinionibus in praeſentia ampliandum cenſeo. Verum quidem eſt, Proculum in hoc marmore enunciari *Conſulem* & *Proconſulem*; at Conſul ne *ordinarius*

(1) Quemadmodum in vett. inſcriptionibus legere licet τὸν ἴδιον πατρῶνα, *ſuum patronum*, ſic τὸν ἴδιον εὐεργέτην, ut hic & in alia inſcript. apud ipſum Reineſium Cl. VI. 120. Recte Mazochius *Optime de ſe meritum* interpretatur, & immerito reprehenditur a Martorellio, quod τὸν ἴδιον reddere latine neglexerit; quaſi illud *de ſe* haud fuiſſet ſatis. Sed quod magis mirere, illud eſt, quod pervicatiter perſtat in tuendo τῶν ἰλιων, *Ilienſium*; comminiſciturque Proculum egiſſe Proconſulem in *Sardinia*, quae propterea in epigraphe Neapolitana tranſnominatur *Ilienſium*, quia Plinius III. 13. inter celeberrimos ejus inſulae populos enumerarit *Ilienſes*. Hoc nimirum eſt, *poſt inventas fruges*, h. e. poſt planam pronamque Reineſii emendationem, *glande veſci*. Corrigendus igitur Capacius, atque ibi ita legendum: Ὕπατον Ἀνθύπατον τὸν ἴδιον εὐεργέτην.

rius is fuerit, an *ſuffectus*, opinionum redintegrantur dividiae. Super hanc inquiſitionem, non omnino quidem negligendam, ſecurus tranſiluit Reineſius; at vero Martorellius Conſulem Proculum mavult *ordinarium*, illumque autumat deſignari, qui anno Chriſti 316. Conſul proceſſit, & in Faſtis Relandi & Janſonii inſcribitur *Q. Aradius Rufinus Proculus*. At IV. Chriſti ſaeculo etſi Neapoli ethniciſmus adhuc agebat animam, ut ex epiſtola Symmachi ad Decium patet; de Graeciſmo tamen plane conclamatum fuerat. Ex quo Neapolis *Colonia Baſilica* ſub Antonino Caracalla (2) evaſerat, Senatûs Neapolitani Conſulta, ceteraque acta publica (namque privata non moror) latine exarata comperiuntur. Quamobrem aetas noſtri marmoris, quod modo tractamus, ad ea omnino tempora eſt retrahenda, quibus Neapolitana plebe adhuc in Graeciſmo perſtante, aliquis Proculus Conſul pariter & Proconſul Campaniae extiterit.

Quamquam nulla apparet in marmore mentio *Campaniae*; at vero ex loco, ubi marmor palam fuerat propoſitum, Neapoli ſcilicet, facile ſubaudienda datur *Campania*. Namque Graeci Latinique Scriptores pro conſueta illorum temporum modeſtia & breviloquentia, ea dumtaxat perſcribebant in titulis, quae ſine monitore nequibant intelligi: cetera, quae ex locorum temporumque circumſtantiis facile colligi poterant, acumini diligentiaeque lectoris ſupplenda relinquebantur. Profecto ſi hujuſmodi animadverſionis habita ratio fuiſſet ab nonnullis eruditiſſimis viris, qui laminam quamdam aeneam Graece loquentem (Velitris in Muſeo Borgiano nunc aſſervatam) ſunt interpretati; facillime ipſi Θεὸν *Deam Laciniam*, ſive Junonem, recognoviſſent; quandoquidem ea lamella in agro *Lacinio* in Magna Graecia reperta fuerat: quo factum eſt, ut univerſa ferme vocabula, quae eo in aere feriuntur, ſint aliorſum accepta. Quocirca rem haud inutilem me facturum arbitror, ſi ea, quae paucis abhinc annis in eam epigraphen adnotavi, ad calcem hujus in Artemiſiorum Phratriam commentationis, cum Graecae antiquitatis amatoribus communicem. Sed illuc redeo, unde ſum digreſſus. Mazochius ex Proculo Conſule, & Procoſ. Campaniae collegit, Proculum ſub Hadriano factum Conſulem, eo quod Hadrianus *Conſulares* ſive *Proconſules Campaniae* primus inſtituiſſe a Spartiano in ejus vita proditur: & quo-

(2) Vide quae de hoc argumento diſſerui in Palaeſtra Neap. pag. 200.

Digitized by Google

quoniam nullus hujus nominis in Faſtis Conſularibus aevo Hadriani conſignetur Conſul, arbitratus eſt, Proculum noſtrum fuiſſe Conſulem ſuffectum ſub Hadriano, non ordinarium. Prorſus e tripode is mihi locutus videretur, modo illud ſub *Hadriano*, non unius Hadriani, ſed eorum etiam, qui proxime ſucceſſere, & in Hadriani de ordinandis Campaniae Proconſulibus conſtitutione perſeverarunt, tempora complectatur.

Julius Capitolinus in vita M. Aurelii Antonini, ubi ſingulos prodidit magiſtros, qui hunc Auguſtum, cum puer eſſet, inſtituerunt, ita dicere pergit: *Vſus praeterea grammaticis, Graeco, Alexandro: quotidianis Latinis, Troſio Apro, & Pollione, & Eutychio* (3) *Proculo Siccenſi ... Sed multum ex his* (magiſtris) *Frontoni detulit, cui & ſtatuam in Senatu petiit: PROCVLVM vero uſque ad Proconſulatum provexit*. Caſaubonus ſcriptum maluiſſet *ad Conſulatum*: & ſane Conſulatus, non vero Proconſulatus, honorum culmen & apex habebatur. Ego tamen ne Proconſulatum ex editis Codd. abradi patiar, ita ſcripſiſſe Capitolinum conjicio: *Proculum vero uſque ad Conſulatum & Proconſulatum provexit*. Scriba porro librarius ὀξυγράφος (*velociter ſcribens*), ut hujuſmodi artifices eſſe ſolent, ex duabus vocibus ſimiliter cadentibus, primam fugaci oculo praeteriens, dumtaxat alteram, h. e. *Proconſulatum*, deſcripſit. Cui meae conjecturae ſuffragatur Graeca Epigraphe Neapolitana, ubi *Proculus* enunciatur *Conſul* & *Proconſul*. Igitur a Capitolino docemur, Proculum a M. Antonino Aug. (qui iniit imperium anno Chr. 161.) factum fuiſſe Conſulem, ſaltem ſuffectum,

(3) Caſaubonus hic monet, in aliquot Codicibus corruptiſſime ſcribi *Cutidio Protheo Siccenſi*. Sane ex *Proculo* vel *Proclo* prona fuit aberratio in *Protheo*. Sed unde deformatum conjiciemus *Cutidium*? Vulgo placuit, loco *Cutidii* ſubſtitui *Eutychium*: de quo *Eutychio Proculo Conſule*, nulla uſquam vola, veſtigium nullum apparet. At cum in inſcriptione Puteolana manifeſto ſe dat conſpiciendum *Aquilius Proculus*; mihi videtur, ſcriptum olim a Capitolino fuiſſe, *Aquilio Proculo*; deſcriptores deinde tantum non caecutientes, pro *Aquilio* ſubrogaſſe *Cutidio*: quod nomen abnorme a poſterioribus ſcribis cum *Eutychio* fuiſſe commutatum. Nec porro illud ethnicum vocabulum *Siccenſi*, quod magno Caſaubono immune a vitio eſt viſum, mihi plane ſatisfacit. Quis enim ſibi perſuaſerit, hominem Africanum (namque *Sicca* in Africa eſt) in grammatica Latina Marcum Aurelium edocuiſſe? Mihi quidem non fit veriſimile. Propius vero videtur, ſcriptum a biographo fuiſſe *Siciliensi*, quod vocabulum poſtea ab operis librariis, numquam non feſtinantibus, fuit per errorem in *Siccenſi* contractum. Igitur emenda, ſi placet, hunc Capitolini locum, *Aquilio Proculo Siciliensi*.

Digitized by Google

ctum, & a geſto Conſulatu Proconſulem Campaniae. Sane Proculus (quem *grammaticum doctiſſimum ſui temporis virum* Trebellius Pollio in XXX. Tyrannis de Aemiliano, praedicat) quam aliam Provinciam ſibi poſt geſtum Conſulatum deſtinari geſtiiſſet, niſi illam, ubi genio indulgeret ſuo, eoſque nanciſceretur, quos in ſuarum artium raperet admirationem. Nimirum ea in opinione tunc habebatur Campania, cujus in territorio ſupra ceteras urbes Neapolis Graecanicis ſtudiis innutrita, otioque litterario commendatiſſima florebat, atque ubi ſchola vigebat Homerica. Petronius, quem Antoninorum tempore vixiſſe conſtat, Neapolim ob oculos habens, cecinit:

. . . . Det primos verſibus annos,
Maeoniumque bibat felici pectore carmen.

Qui de Neapolitanorum erga Homerum ſtudiis plura deſiderat, adeat Martorellium in Theca Calam. ac praeſertim p. 467. qui ea ſuper re cumulatiſſime ſatis faciet. Igitur hujuſmodi liberales artes Neapolitanorum incitamento eſſe Proculo potuerunt, ut hanc Provinciam ab Antonino Aug. ſuo olim auditore, adminiſtrandam impetraret.

Dum in his eram, forte fortuna oblata mihi fuit inſcriptio, praegrandi baſi marmoreae inſculpta, paucis abhinc annis Neapolim deducta (4) Puteolis, quae mihi inveſtigandi Proculi Conſulis & Proconſ. otium fecit. Ea ſic habet:

V D·M·

(4) Steterat hoc marmor Puteolis in obſcuro loco; ſed poſtquam Neapolim traductum, aliquamdiu proſtitit ante tabernam marmorariam venale, Franc. Xaverius Gualterius a Bibliotheca Farneſiana Regis noſtri, in illud ſuos eruditos conjiciens oculos, ſibi comparavit. Sed mox hic Vir, religione, morum integritate, ſacra ac profana eruditione praeclariſſimus, Epiſcopus Aquilae renuntiatus, antequam ad ſuam regendam Eccleſiam proficiſceretur, litteratum marmor Puteolanum Franciſco Danieli donavit. Daniel porro hoc amici ſui mnemoſynon in ſuum deduxit Caſertanum Muſeum, innumeris prope dixerim inſcriptionibus Graece Latineque loquentibus, ſignis, toreumatis, gemmiſque locupletiſſimum. Vtinam Deus O. M. diuturnam huic Cl. Viro vitam, otiumque largiatur, uti tot venerandae antiquitatis reliquias, ingenti labore, atque aere unde unde collectas, a ſe pro ſua eruditione illuſtratas, cum orbe litterario communicet.

Digitized by Google

Hinc tripus.

D · M ·
JVLIAE PROCV NAE
VXORI PVDICIS MAE
ET OPSEQVENT (ſic) SIMAE
AQVILLIVS PRO VLVS
CONSVL PRO CON
SVL · XV · V
ET · SI

Hinc quatuor faſces Conſulares.

Hoc marmor nobis repraeſentat Proculum Conſulem, Proconſulem, hoc eſt, *Πρόκλον ὕπατον ἀνθύπατον* noſtrae Phratriacae inſcriptionis. Quid, ſodes, vetat, quin eumdem utrobique virum deſignari reputemus? Certe non obſtat, quod Proculus in latina epigraphe AQVILIVS (5), in graeca ΚΡΕΠΕΡΛΙΟΣ nominetur: ea enim nomenclationis varietas haud uno modo dilui poteſt. Ac primo graecum latinumque vocabulum eſt *ὁμοιοτέλευτον*, *eamdem babens terminationem*. Forte *ἀκρόστιχα* hujus vocabuli, ſeu priores litterae detritae, & evanidae fucum fecerint Capacio, ut *κρεπερ*ΛΙΟΝ pro *ακυ*ΛΙΟΝ exſcriberet. Praeterea ſi quis contenderit, omnino legendum eſſe *Creperlium*, me quidem nanciſceretur conſentientem: at is velim in mentem revocet, hanc epigraphen ad ea tempora pertinere, quibus haud amplius *tria nomina* pro vetuſto Romano more ſufficiebant, ſed alia ſuper alia ad nauſeam uſque exaggerabantur: cui faſtidio ut occurreretur, uſus obtinuit, ut in concinnandis praeſertim epigraphis, non omnium denominationum haberetur ratio, ſed alias nomina alia, quae ibidem notiora erant, exprimerentur. In inſcriptione graeca *Tettiae Caſtae*, de qua pag. 122. adnot. 10. Domitiano Aug. *Con-*

(5) Gens *Aquilia* ſatis nota Latinis. Sed ſcalptor hujus Puteolani marmoris, *Aquillium* cum duplici liquida exarando, graeciſſare videtur: namque Plutarchus in Mario oſtentat Ἀκύλλιον, & apud Gruterum MCXXXVI. 11. Ἀκυλλία legitur, h. e. *Aquilia*.

Digitized by Google

Conſuli datur collega *Valerius Feſtus*, qui tamen in latina epigraphe apud Gruterum *Valerius Meſſalinus* effertur. Neutrubi coarguenda eſt cognominum varietas; ſed aequius eſt judicare, Valerium more ejus aevi utrumque geſſiſſe cognomen, *Feſti* nempe & *Meſſalini*; quorum alterum Graeci, alterum Latini, utpote apud ſe uſitatius, uſurparant. Par eſto judicium de *Creperlio* (dummodo genuina ſit ſcriptio Capacii) & *Aquilio* Proculo, ut hic in epigraphe Puteolana nominatur: ſcilicet ex duobus ejuſdem viri cognominibus Graeci Neapolitani *Creperlium*, Latini Puteolani *Aquilium* praetulerunt. Antequam hoc marmor Puteolanum miſſum faciam; animadvertendum eſt, in ſiniſtro latere baſis marmoreae *tripodem* ſculpi, ad deſignandam Proculi dignitatem XV. viratûs libris Sybillinis inſpiciendis; quemadmodum *faſces* in dextro latere effigiati Conſulatûs & Proconſulatûs poteſtatem ſignificant. *Quatuor* omnino faſces erecti viſuntur, non XII. quot Conſuli; neque VI. quot Proconſuli, praeferebantur. Verum in his IV. faſcibus, qui ad ſpecimen choragii Conſularis & Proconſularis appicti ſunt, non aeſtimandus eſt numerus, ſed dumtaxat jus praeferendi faſces, quod Conſuli ac Proconſuli dabatur, oculis ſubjicitur. De faſcibus Proconſulatûs Campaniae luculenta ſit mentio in inſcriptione Gruteriana pag. CCCCXXIV. 1. ubi *Poſt depoſitos faſces*, idem eſt ac, Poſt geſtum Proconſulatum Campaniae. Jam ſatis de Proculo; convertamus modo oculos ad Phratriam Artemiſiorum, qui titulum Proculo poſuerunt.

ΑΡΤΕΜΙΣΙΟΙ ΦΡΗΤΟΡΕΣ. Phratria *Artemiſiorum* ἀπὸ τῆς Ἀρτέμιδος (*a Diana*), an ἀπὸ τοῦ Ἀρτεμιϲίου (*ab Artemiſio*) quod eſt Euboeae promontorium, repetenda ſit, mihi non convenit cum Martorellio. Hic *Artemiſios* noſtros interpretatur *Dianios*, eoſque in honorem Dianae pro vulgata Graecorum (6) religione

V 2 *Arte-*

(6) *Artemiſia*, ſive feſta in honorem Dianae, fuerint nec ne Athenis celebrata, per teſtes ac tabulas oſtendi nequit. Interim Martorellius p.623. hiſce verbis taxat Corſinum: *Neque etiam Corſinio . . . parcam, qui inter Graecorum feſta haud adnumeravit Artemiſia* (in Faſt. Att. p. 308.) *adeo parvi curata ſunt, quae tamen Potterus* (Archaeol. tom. 1. p. 393.) *adſcripſerat*. Attamen Corſinus non ſine maturi judicii laude dimittendus erat; is enim profeſſus ſe *Athenienſium* dumtaxat *Feſta* percurrere, haud recenſuit *Artemiſia*, quia an ea Athenis frequentata fuerint, ignoraratur. Contra Potterus, quia *Graecorum* omnium celebritates in ſe recepit enumerare, non praetermiſit Artemiſia, quippe quae apud aliquot Graeciae populos inſtaurabantur. Vterque igitur, Corſinus inquam & Potterus, ille quia Artemiſiorum non meminit, hic quia meminit, officio ſuo, ut par erat, functus eſt.

Digitized by Google

Artemiſia celebraſſe contendit ; confirmatque hanc ſuam conjecturam ex cultu Dianae , quem in urbe Neapoli frequentatum , tum veteres ſcriptores , tum nummi Neapolitani , in quibus ΑΡΤΕΜΙΣ exhibetur , abunde teſtantur . Quoniam vero perſuaſiſſimum habeo, & pluribus antea demonſtravi , Phratrias Neapolitanas fuiſſe quidem olim regiones , ſive locales urbis diviſiones , non vero ſacrificulorum ſodalitates , quamvis ſingulae Phratriae ſua peculiaria numina colerent ; eo inclinat mihi animus , ut malim Artemiſios ex cognomine Euboeae promontorio profectos , ea in regione urbis cognomine conſediſſe . Compertum quidem eſt a Strabone , Chalcidenſes Euboicos cum primis exſtitiſſe noſtrae urbis conditores . Chalcidenſes autem cum audis , nolo ſuſpiceris ex una urbe Chalcide prodiiſſe , ſed alios quoque inſulae habitatores , ut *Artemiſios* , nomen ſuum coloniae huc deducendae dediſſe ; *Chalcidenſes* autem idcirco a Strabone in univerſum vocatos , quia urbs *Chalcis* in inſula Euboea ferebatur primaria .

Quid porro Phratria Artemiſiorum in grati animi ſignificationem Proculo Proconſuli Campaniae , ac fortaſſe (7) praeſenti, praeſtiterint , haud facile eſt divinare . Ejus nomen quarto caſu effertur , Πρόκλον . . . ἀνθύπατον , ſine ullo fulciente tibicine ; quae ceteroqui ſyntaxis in pluribus Graecis epigraphis occurrit . Prout ſuppleveris , quod ſubaudiendum relinquitur , verbum ſive τιμᾶν , *honorare* , ſive ἀνατιθέναι , *dedicare* , pro vario verborum ſignificatu varia emerſerit ſententia . Pronior ſenſus , & quem alias plerique viri eruditi ſunt ſecuti , ille eſt , ſtatuam in Proculi honorem ab Artemiſiis in Phratria ſua fuiſſe dedicatam , idque ἀμοιβῆς χάριν h. e. *remunerandi gratiâ* .

PA-

(7) Facile poteſt a Symmachi epiſtolis I. 47. ad Decium , erui , Conſulares Campaniae libentiſſime ad hanc oram , Bajas , Miſenum , Puteolos divertiſſe . Fortaſſe a Proculo , dum Neapoli moraretur (namque difficile eſt non credere , hominem ingenuis artibus nobilitatum , non inviſiſſe hanc urbem graeciſſantem) Artemiſii quid ſingulare impetrarint , ut ipſum bene de ſe merentem palam teſtatum facerent .


P A R E R G O N.

Promiſſum ad Phratriam Artemiſion pag. 151. *quo vetuſtiſsimae Graecae inſcriptionis jam vulgatae, nova traditur expoſitio.*

PAullo ante Proculo Proconſ. cujus provincia in obſcuro latebat, Campaniam aſſerui, eo quidem ductus indicio, quod utrumque Proculi marmor Graecum & Latinum in Campaniae finibus fuerat repertum. Equidem in hac perſto ſententia, quae aliis etiam in mentem venit, ad plenam antiquarum inſcriptionum intelligentiam quam maxime conducere loci, ubi illae poſitae fuerant, cognitionem: contra ſi id ſcire parvi ducatur, incerta, quae ibi ſunt, per opinionum diſcordias evadere incertiora. Quot Numina, Sacerdotia, Magiſtratus in veterum inſcriptionum collectionibus occurrunt, quae nullo pacto ob ignorationem locorum, ubi olim ſteterant epigraphae, definiri queunt? Scilicet eam calamitatem nacta eſt antiquiſſima illa lamella aenea litterata penes S. R. E. Cardinalem Stephanum Borgiam, ſublimi dignitate, omnigenaque eruditione, ac praeſertim Eccleſiaſtica, eminentiſſimum. In hujus enim epigraphes prima voce ΘΕΟΣ, ſi interpretes, viri quidem eruditiſſimi, circumſtantiam loci, ubi ea lamella luci reſtituta fuerat, in conſilium adhibuiſſent; profecto *Deam* de nomine proprio ſalutaſſent, pariterque intellexiſſent, quidquid ibi perſcribitur, ex hujus Deae obnuntiatione proficiſci. Verum ubi infauſtis auſpiciis in primo, ut ita dicam, limine offenditur; neceſſario ferme conſequitur, ut cetera quae promoventur, haud tutiore talo conſiſtant. Hinc in aenea lamella, quam interpretandam ſuſcipio, alii Inſtrumentum *Emptionis*, *Donationiſve*, alii publicae privataeve *Hoſpitalitatis* ſyngrapham contineri judicarunt; quantum equidem intelligere potui ex Commentario hujus inſcriptionis, typis edito Romae ann. 1789. Sed ne multis: en ipſam inſcriptionem ad fidem archetypi expreſſam.

Digitized by Google

Exemplum lamellae ex aere



In Bruttiis prope Petiliam repertae an. M.DCC.LXXXIII.

In Romana editione pag. 14. haec ſubnectitur interpretatio: *Dea Fortuna. Saotis dat—Sicaeniae domum & reliqua omnia—Demiurgus Paragoras—Conciliatores Mincon—Armoxidamus. Agatharchus—Onatas Epicurus.* Pro dii immortales quale quantumque virorum examen! ne ipſe quidem Deucalion, jactis poſt tergum lapidibus, tot uno tempore protulerit mares. Verumtamen mihi non eſt animus funem hic contentioſum ducere; quiſque, per me licet, ſua fruatur opinione. Quocirca de alienis minime ſollicitus, mea tuebor; & poſtquam ſingulas inſcriptionis extricavero voces, & in ſuo lumine poſuero, meam interpretationem lectori, in neutram partem affecto, proponam.

ΘΕΟΣ. Ecquodnam numen ſubaudiendum? Non aliud profecto, niſi ἐπιχώριον (*locale*), illud ſcilicet, cujus religio omnium incolarum cujuſque regionis animos occuparat. Athenis e. g. Θεὸς per antonomaſiam denotabat *Minervam*. Spartae Σιοὶ, pro communi dialecto Θεοὶ, intelligebantur *Caſtor & Pollux* (1). Itaque incerta Θεοῦ notio hujus epigraphes definienda eſt ex patrio ferme dixerim ſolo ipſius lamellae. Haec autem lamella in lucem pro-

(1) Ἐπιχώριος Θεὸς Platoni de Republ. I. eſt *dea patria*. Vide Scholiaſten Thucyd. pag. 54. Edit. Steph. Spanhemium ad Callimachum hymn. in Palladem verſ. 24.

Digitized by Google

prodiit anno 1783. in agro Petelino. Exſtant urbis Peteliae nummi aerei & argentei Graece-loquentes & elegantis quidem operis; ſic ut appareat, hanc urbem e vicinia & commercio barbarorum (2) nullam contraxiſſe ſordem; immo potius ipſam cum Crotone, Locris, Rhegio, aliiſque urbibus congeneribus, Bruttios ſive Lucanorum fugitivos, emolliviſſe, eoſque ad artes & linguam traduxiſſe Graecorum (3). Petelia ad *Lacinium promontorium* ſita haud ita procul aberat Crotone, urbe opulentiſſima, & quod magis ad rem noſtram facit, ob templum *Junonis Laciniae* maxime nobilitata. *Sex millia* (inquit Livius XXIV. 3.) *aberat ab urbe* (Crotone) *nobile templum*, *urbe ipſa nobilius*, *Laciniae Junonis*, *SANCTVM OMNIBVS CIRCA POPVLIS*. Adeo certum eſt, quod Livius de hujus auguſti templi apud finitimos populos religione praedicat, ut in Itinerario *Antonini*, ubi ora hujus regionis

(2) Hujus ora promontorii, ad mare Jonium ſpectans, tota quidem a Graecis, Petelinis ſcilicet, Crotoniatis, Locrenſibus, Rheginis; ſed illa altera ad mare Tyrrhenum, a barbaris occupabatur. A Lao fluvio prima urbs Bruttiorum recenſetur *Temeſa*, quae Homeri tempore *barbara*, hoc eſt, aliena a lingua graeca habebatur: ejus enim cives ἀλλοθρόους vocat Poëta Odyſ. I. v. 184. quemadmodum homines illi, quos Menelaus tempeſtate jactatus, adiit, Aegyptii nempe, a Poëta Odyſſ. III. 302. pariter ἀλλόθροοι vocantur. Haec autem Temeſa ferro abundabat, quae metalli copia nos confirmat, Temeſam Homericam non alibi niſi in Italia quaerendam; namque dum Ovidius V. Faſt. 441. *Aera Temeſaea*, & Statius I. Achill. 413. *Aera Temeſae* memorat, nonniſi de Temeſa Italica ſunt locuti. Brettia igitur, ſive quocumque alio nomine ea regio tempore belli Trojani vocabatur, diverſo ſonabat ore a Magna Graecia; ubi Petelia prae ceteris urbibus antiquitate praeſtans, quippe quae a Philoctete, Herculis ſocio, condita fuiſſe ferebatur.

(3) Non ſolum urbs Temeſa, ſed & tota gens *Bruttia* a Graecorum inſtitutis, linguaque diſcrepuit. Id enimvero colligo ex Livio XXIV. 3. ubi narratur, Crotoniatas Graeci oris invitatos fuiſſe ex conſilio Annonis Carthaginenſis, ut in ſuam urbem reciperent *Coloniam Bruttiorum*: verum illi *morituros ſe* affirmabant *citius*, *quam immixti BRVTTIIS in alienos ritus*, *mores*, *legeſque*, *ac mox etiam LINGVAM verterentur*. Ergo Hannibalica tempeſtate *Bruttii*, quos Graecis infenſos, & fautores Poenorum Livius deſcribit, ἀλλόθροοι (*barbari*) traducecebantur ab Italiotis. At quid tot obviis nummis cum epigraphe ΒΡΕΤΤΙΩΝ, & ΒΡΕΤΤΙΩΝ ΜΑΜΕΡΤΙΝΩΝ faciemus? Equidem ſic ſentio: Bruttios poſt Hannibalis exceſſum ex Italia, cum Graecis reconciliatos, paullatim ex commercio ultro citroque agitato exuiſſe barbariem, ac tandem ad inſtituta, mores, ac linguam tranſiiſſe Graecorum. Itaque Graecos *Bruttiorum* nummos ea aetate conſigno, quae Hannibalica tempora eſt conſecuta.

nis deſcribitur , A CROTONA NAVS–A NAVS STILIDA ; ille *Naus* , ſive Ναὸς (*templum*) ſine ulla diſcriminante nota ſignatus, haud aliter a doctiſſimo viro Weſſelingio pag. 491. accipiatur , niſi pro *templo Junonis Laciniae* . Quid porro dubitabimus, quin ΘΕΟΣ hujus aeneae lamellae, in agro Petelino prope Crotonem eruderatae , ipſam *Junonem Laciniam* , tamquam θεὸν ἐπιχώριον (*deam localem*) ſive *patriam* deſignet?

Anno, ſi probe memini , MDCCLV. reperta fuit in Bruttiis aenea lamella litterata , quae nunc eſt in Regio Muſeo Herculanenſi repoſita . Ea ferme ſex digitis patet in longitudinem , paullo minus in latitudinem ; adeo vero exilis , ut chartae Regiae craſſitudinem vix exſuperet .Litterae porro non fuit viriculo exaratae , ſed ſcalpro percuſſae . Ibi inter alia citra ullam ambiguitatem haec ſignata comparent :

ΑΝΙΑΡΙΖΕΙ ΚΟΛΛΥΡΑ ΤΑΙΣ ΠΡΟΠΟΛΟΙΣ ΤΑΣ ΘΕΩ
ΤΩΣ ΤΡΙΣ ΧΡΥΣΕΩΣ ΤΩΣ ΕΛΑΒΕ ΜΕΛΙΤΑ
ΚΑΙ ΟΥΚ ΑΠΟΔΙΔΩΤΙ &c.

Quae verba purum putumque Doriſmum (4) ſapiunt , & traducta ad communem dialectum , ita ſonant :

Ἀνιερίζει Κολλύρα ταῖς Προπόλοις τῆς Θεοῦ
τοὺς τρεῖς χρυσέους , οὓς ἔλαβε Μελίτα
καὶ οὐκ ἀποδίδωσι &c.

Conſecrat Collyra famulabus Deae tres aureos (nummos) *quos accepit*

(4) Ἀνιαρίζει pro communi Ἀνιερίζει. Dores enim A pro E ſolebant uſurpare , ut τράχω, Ἄρταμις , pro τρέχω , Ἄρτεμις · Ἀνιερίζειν abeſt ab hodiernis Lexicis , quamvis ἀφιερίζειν non deſideratur . Πρόπολοι hujus loci ſunt *miniſtrae* , ſive *famulae* deae Junonis , ſive Ἡρεσίδες . Heſychius : Ἡρεσίδες , κόραι αἱ κομίζουσαι λουτρὰ τῇ Ἥρᾳ , *Juvenculae*, *quae Junoni lavacra parant* . Mos enim erat antiquitus , ſtatuas deorum ſtato die a ſordibus abluere : conſule doctiſſimum Spanhemium ad primum verſum hymni Callimachi *in lavacrum Palladis* . Θεῶ pro Θεοῦ , uti Λωτρὸν , Μῶσα , pro Λουτρὸν , Μοῦσα · Τρὶς pro Τρεῖς, quo uſum etiam Heſiodum Ἐργ. v.596. volunt . Χρυσέως Dorice pro Χρυσέους, *aureos*, ſupple Νούμμους . Vulgata eſt animadverſio Pollucis IX. 79. Νοῦμμος *Romanum videtur numiſmatis nomen : eſt vero Graecum Dorienſium , qui in Italia & Sicilia habitarunt* . Τὼς ἔλαβε, redde , *quos accepit* . Euſtathius monet, Dores uſurpaſſe Τοὶ , τῶν, τοῖς , τοὺς pro poſtpoſitivo articulo οἳ , ὧν, &c. Vide Henr. Stephanum tom. II. p. 1153.

pit Melita, & non perſolvit. Quaenam ea Θεός (*Dea*) indigitatur? Procul dubio *Juno*, capto nimirum indicio ex naturali ſolo inſcriptionis, ubi vulgatus erat cultus *Junonis Laciniae*. Meminit hujus cognominis Pauſanias VI.13. ſed locus corruptus eſt. Aſtylus *Crotoniata* poſt victoriam in Olympico certamine partam, *Syracuſanum* se renuntiandum curavit; id indigne ferentes *Crotoniatae* (inquit Pauſanias l.c.) Aſtyli *domum ad publici carceris uſum deſtinarunt, & ſtatuam* (παρὰ τῇ Ἥρᾳ τῇ Λακεδαιμονίᾳ κειμένην) *in Lacedaemoniae Junonis templo dedicatam evertunt*. Vbi meo periculo emenda παρὰ τῇ Ἥρᾳ τῇ Λακινίᾳ, *in templo Junonis Laciniae*; namque Crotoniatae impune quidem id facinus perpetrare poterant in agro *Lacinio*, ubi Croton princeps urbs habebatur, non item in *Lacedaemonio*.

ΤΥΨΑ · ΣΑΟΤΙΣ · Στιγμή, ſive *punctum*, loco non ſuo inſinditur. Fabrettus queritur & animadvertit, artifices ſaepenumero in hanc peccaſſe partem. Hoc primo verſu punctum ſupervacue, ne dicam oſcitanter, appingitur medium: contra verſu ſexto in τῷ Αρμοξιδαμος punctum in medio deſideratur; ſcilicet ut lector primo obtutu dignoſcere potuiſſet, τὸ Δαμος nihil habere cum τῷ Αρμοξι commune. Diſtingue igitur in hunc modum: ΤΥΨΑΣΑ · ΟΤΙΣ, h.i.e. *Percuſſura* eſt (5) *quiſquis* &c. Τύπτειν (*pulſare, flagellare, percutere*) latiſſime patet, & ad qualemcumque calamitatem deſignandam traducitur, ut ſaepe in Bibliis Graecis: quin & ipſae Πληγαί (*vulnera*) haud ferme aliter ibidem accipiuntur. *Augebit Dominus* (Deuteron. XXVIII. 59.) *plagas tuas & plagas ſeminis tui, plagas magnas* &c. Μάστιξ eſt *flagrum, ſcutica*; attamen Achivi narrantur ab Homero Il. N. v. 812. domiti Διός μάστιγι κακῇ, *pernicioſo flagello Jovis*. Hinc conſequenter οἰμώζειν (*plorare, ejulare*), idem eſt ac *poenas luere*. Ὅτις porro pro Ὅστις, *quiſquis, quicumque*, ut non raro apud Homerum.

ΔΙΔΟΤΙ · Dorice pro communi Δίδωτι, *dat*; nondum litteris longis in Magna Graecia uſurpatis. Elementum D (cujus figuram Latini invariate ſervarunt) quoties heic recurrit, in umbilico ſemicirculi, cui recta ſubtenditur linea, exilem oſtentat hiatum: id quod non dedita opera factum, ſed potius ferramento

X arti-

(5) Τυψασα hic pro Τυψουσα, diphthongo ΟΥ in Α Dorice commutata. Vide Mattaire in Alphabeto Dialectico p. 374. Dores enim, ut notum eſt, deſcribuntur πλατύστομοι, *patulo ore loquentes*, ac proinde τῷ Α abutebantur; uſque adeo, ut Scholiaſtes Theocriti Πλατειάσδοισαι Idyll.15. v.88. interpretetur Δωρίζουσαι. H.Steph. in Πλατειάζω.

artificis, ad proportionem litterarum minime comparató, videtur tribuendum (6).

ΣΙΚΑΙΝΙΑΙ · Σικαινιος, ſive proprium, ſive ethnicon vocabulum, nuſquam viſitur. Legeſis ΣΙΚΑΝΙΑΙ. *Jota*, quod ad dexterum latus elementi N erat feriendum, quadratarius praecoci ſtudio ad laevum praefixerat. Is poſtea animadverſo errore, quia quod factum, fieri nequibat infectum, *Jota*, quod loco ſuo omiſerat, litteris jam percuſſis inſeruit quidem, ſed inconcinne, neque obſervata juſti ſpatii proportione; ut exemplar archetypi curioſius intuenti patet.

ΤΑΝ FOIKIAN. *Domicilium*. Huic graeco vocabulo praefigitur Digamma Aeolicum. Dionyſius Halicarn. I. p. 16. inter graecas voces a Graecis Aeolenſibus mutuatas, recenſet Fοῖκος, unde Fοικία hujus epigraphes, quae pari ſpiritu animatur. De Italicis dialecti Aeolicae incunabulis plura diſſerui pag. 83. ſeqq.

ΚΑΙ · ΤΑΛΛΑ · ΠΑΝΤΑ. *Et alia quaecumque*. Haec notio eſt τοῦ Πάντος hujus loci.

ΔΑΜΙΟΡΙΟΣ (7) ΠΑΡΑΙΟΡΑΣ. Interpretor: *Conterraneos prae-*

(6) Litterae in metallica tabula, vel mordente viriculo, vel ſcalpro feriente, exarantur. Suſpicor autem, ſcalprum in aenea lamella fuiſſe adhibitum. Ad hoc opus in promptu eſſe debent ſcalpra tum rectae, tum curvae aciei, pro diverſis ſcilicet litterarum lineis. Pone nunc artificem in fingendo elemento D, primum admoviſſe ſcalprum aciei rectae pro recta linea; mox ad effigiandum ſemicirculum applicuiſſe utriſque extremitatibus lineae rectae jam percuſſae, ſcalprum curvum, ſed brevioris, quam uſus poſcebat, circumferentiae: tunc neceſſario ſecutum eſt, ut, ſulcis pro minore ſcalpri curvi modulo haud coëuntibus, ſemicirculus hiſceret in medio. Cui defectui obviam artifex iviſſet, ſi vel rectae lineae imminuiſſet longitudinem, vel ſcalprum curvum majoris adhibuiſſet ſegmenti.

(7) Δαμιοριος Dorice pro Δημιοριος, ut Δαμιουργὸς pro comm. Δημιουργὸς, qui ſupremus erat civitatum in Peloponneſo magiſtratus. *Damiurgi* vocem nobis integram ſervavit Livius XXXII. 22. XXXVIII. 30. Sedulo animadvertendum eſt, τὸ Ἰῶτα in penultima ſyllaba τοῦ Δαμιοριος, ut & in umbilico ſequentis vocis Παραιορας, haud ſinuari in angulos, ſed rectâ lineâ ſignari, uti mos erat apud veteres Graecos. Profecto in columnis Farneſianis, ubi vetuſta Graeca orthographia affectatur, id elementum haud aliter effigiatur, ac mos erat apud Latinos, a quibus propterea *longa vocatur littera*: Latinos autem Arcades edocuerunt γράμματα ἑλληνικὰ, ut auctoritate Dionyſii Halicarn. pag. 86. oſtendi. Igitur conjiciendum eſt, Scalptorem hujus lamellae (quem haud raro comperi negligentem), vel unum pro altero ſcalprum, fallente manu, heic adhibuiſſe; vel ſuo aevo, utramque τοῦ Ἰῶτα figuram obtinuiſſe. Enimvero in veteribus *Poſidoniae* nummis, nunc ΠΟΜΕϟ, nunc ΠΟΜΕΙ (h. e. Ποσειδῶν) cernitur effigiatum.

Digitized by Google

praevaricatores. Δαμιοργος archaice pro Δαμιοργίους. Olim pro diphthongo ΟΥ ſimplex Ο exarabatur; vide Athenaeum XI. 5. atque ibi Caſaubonum ubi ΔΙΟΝΥΣΟ pro ΔΙΟΝΥΣΟΥ. In columnis Farneſianis ΟΔΕΝΙ, ΤΡΙΤΟ &c. pro οὐδένι, τρίτου. Δαμιόργος, & Παρμιόρης, novae quidem nobis videntur propaginis, ſed in antiquitate ſuas habent radices. Ex Δᾶμος (*terra*, *regio*) & Ορος (*limes*, *finis*) rite conficitur Δαμιόριος, qui ejuſdem eſt territorii, ſive *conterraneus*. Porro ex Παραὶ (*trans*, *ultra*) & ὁράω (*video*) componitur Παρμιόρης (Dorice Παρμιόρας) ejuſdem ſignificantiae, ac Παρορατικός, qui *tranſgrediendo peccat*, *contemptor*. Paullo ante animadvertimus, ὅτς pro ὅστις uſurpari; hîc Παραι pro Παρα: utrumque apud Homerum ſaepe recurrit. Sane Poëtae, ut delectabant, ſic pariter edocebant, quo ore, quave ſcriptura ſenſus animi deberent exponi.

ΠΡΟΞΕΝΟΙ · ΜΙΝΚΟΝ · ΑΡΜΟΞΙ. Quemadmodum Ἰδιόξενοι *privati hoſpites*, ita Πρόξενοι *publici* erant *civitatis hoſpites*; qui peragebant in ſua patria, quae expediebant civitati illi, cujus erant *publici hoſpites*. Vide Suidam. Sed praeterea *Proxeni*, ut ex hoc loco colligi poteſt, erant ii, qui in oppidis, viciſque conſtituti, in numerato habebant advenas; ac praeterea jubebantur, denuntiare ſupremis moderatoribus reipubl. ſi ii, quibus aqua & igni fuerat interdictum, mandato minime paruiſſent. Sequitur in autographo ΜΙΝΚΟΝ, ſed nullus dubito, quin in ΜΙΝΥΟΝ ſit refingendum. Μινυον autem, utpote litteris longis nondum in Magna Graecia uſurpatis, idem erit ac Μηνυον; ut olim ἱμέρα pro ἡμέρα efferebatur, teſte Platone in Cratylo. Μηνυον autem hujus loci, vel Aeolice decurtatum eſt pro communi Μηνυοντω (*indicent*); vel (quod familiare fuit Jonibus) infinitus eſt modus pro imperativo; ſcilicet ab antiquo Μινυόω, unde Μινυοῦν, pro quo veteres diphthongum Ου averſati, ſcripſere Μινυον, ut paullo ante ex Athenaeo monui. Ceterum Μηνύειν (*indicare*) ſollemne eſt verbum in judiciariis inquiſitionibus. Demoſthenes adverſus Timocratem ex quodam decreto haec recitat: *Si quis ſciat aliquem, qui aliquid pecuniae habeat, ſive ſacrae, ſive publicae, apud hos* (μηνύειν) *deferat*. Ex Μηνύω fit Μήνυτρον, h. e. *praemium* quod *indici* dabatur. ΑΡΜΟΞΙ. Tertius is caſus ex antiquo Ἄρμωξ, ἄρμογος, ut φλώξ, φλογός; ἀπόρρωξ, γος. Poſte-

riore aetate vox Αʹρμωξ (*moderator*) producta fuit (8) in Αʹρμοϛὴς & Αρμοϛὴρ, & ſane urbium praefecti ita vocabantur in Laconia, ſcilicet Αʹρμοϛαὶ.

ΔΑΜΟΣ · ΑΙΑΘΑΡΨΟΣ · ΟΝ. Procul dubio artifex noſter, cum haec cuderet, animo peregrinabatur. Audacter ſic emenda: Δᾶμος ΑΚΑΘΑΡΤΟΣ ὢν, *Populus cum ſit ſceleratus* h. e. immundus, pollutus. Terra *ſcelerata*, ſeu *polluta* dicebatur, ubi aliquod grave facinus fuiſſet admiſſum. Iſraëliticus populus ob Achani ſcelus vocatur *pollutus anathemate* Joſue VII. 12. Ob homicidium in pagis Atticis patratum, cujus auctor ignoraretur, lege a Demoſthene in Macartatum p. *666*. recitatâ, cautum erat, Καθαίρειν τὸν Δῆμον, ſcilicet ut *Pagi populus luſtraretur*. Sane ratio hujus inſtituti in promptu eſt; quia ſi atrox alicujus facinus abiiſſet impune, tota pariter gens reputabatur *polluta*; quandoquidem publica tunc indulgentia, vel conniventia, interceſſiſſe videbatur.

ΑΤΑΣ · ΕΠΙΚΟΡΟΣ. Αʹτας ἐπιχώρους, *Calamitates territoriales* ſive *locales*; ut *Aerumnae locales* Ammiano Marcel. XIV. 7. In autographo K mendoſe ſcalpitur pro X. Εʹπίχωρος, compoſitum rectâ a Χῶρος, ut Εὐρύχωρος, Εʹγχωρος. Haec poſtrema verba inſcriptionis protinus connectenda ſunt cum praecedentibus: *Populus cum ſit pollutus*, *calamitates territoriales*, ſupple, *luet*, *perſolvet* (9). Hac autem comminatione Deae Laciniae, ſeu quod idem eſt, antiſtitae templi Junonis deterrebat populum Petelinum, necubi Sicania proſcripta, in ſuis conſiſteret finibus; namque verendum erat, ne ob unius perſonae praevaricationem gens tota veniret in diſcrimen. Quam vulgatam opinionem nobis ſervavit Heſiodus Εργ. v. 241.

Πολ-

(8) Quemadmodnm ii, qui recentiore aetate Θεράποντες, olim vocabantur Θέραπες, a recto ſcilicet Θέραψ. Conſule Heſychium in Θέραψ.

(9) In dictis argutis, ac ſententioſis frequentiſſima eſt verbi reticentia, ut *Fortes Fortuna* apud Cic. de Fin. III. *Quos ego* apud Virg. Aen. I. 139. in paroemiis praeſertim, ut Γλαῦκ' Αʹθήναζε, *noctuam Athenas*; Εʹς Κόρακας *ad Corvos* &c. ibi per figuram *Eclipſin* ſubintelligendum eſt congruum verbum, quod ab ipſo contextu dictionum ſuggeritur. Hodie apud nos vulgare eſt: *Furtum Furca*, h. e. Furtum plectitur Furcâ. A quo ſenſu non abhorret & haec paroemia: *Populus ſceleſtus calamitates populares*, ubi facile eſt ſupplere *luet*, *perſolvet*.

Digitized by Google

Πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἀπηύρα,
Ὅς κεν ἀλιτραίνει, καὶ ἀτάσθαλα μηχανάατα.

Hanc Poëtae ſententiam totidem verſibus feliciter reddidit Volſius ad Aeſch. de falſa Legatione:

Saepe viri gens tota luit ſcelus unius atrox,
Qui praeceps agitur male ſani pectoris aeſtu.

Inſcriptionem lamellae Borgianae, quam hactenus membratim expoſui, juvat nunc uno contextu continuatam exponere. *Dea flagellatura* (eſt) *quiſquis domicilium Sicaniae, & quaecumque alia ſuppeditat. Conterraneos praevaricatores Proxeni denuntient Harmoſtis. Populus cum ſit pollutus, noxas locales* (luet). Iſthaec obnuntiatio ſpecimen prae ſe fert ἀναθεματισμοῦ (*exſecrationis*), quo feriebantur ii, qui immani facinore patrato e patriae finibus expellebantur. Saepe exſilii poena, ne ſcilicet per fraudem interverteretur, religionis conrroborabatur obtentu. Alcibiades factus reus, tamquam auctor exciſarum Hermarum, ſolum vertere cogitur; & antiſtites variarum religionum coguntur, damnatum Alcibiadem diris devovere; ac praeterea dirae ipſae ad poſteritatis commonitionem columellis inciduntur (10).

Quid Sicania peccarit, divinari nequit; tamen ejus crimen dignum eſt viſum, quod exſilio plecteretur. Interdictum *de tecto & aliis quibuſcumque ei praeſtandis* hanc ſane poenam ſupponit: quemadmodum Romae, quibus *aqua* & *igni* interdicebatur, ii *civitatem* amittebant, & cum ſolo aëre vivere non poſſent, nec fas erat ipſos aut tecto recipere, aut aqua & igni, ceteriſve, quibus vita continetur, juvare, ſolum vertere cogebantur. Cic. Pro domo ſua cap. 29. 81. Confirmat hanc exſilii poenam obnuntiatio deae Laciniae, & publicae calamitatis comminatio: adde hoc etiam, *devotionis exemplum, quo teſtatior eſſet memoria* (vide ſubjectam adnot. 10.), in ſchedula aenea *inciſum & poſitum in publico*, certiores nos facit, Sicaniam atque Alcibiadem violatae religionis cri-

(10) Alcibiades (apud Cornel. Nepotem in ejus vita cap. 4.) *Poſtquam ſe capitis damnatum, publicatis bonis audivit, & Eumolpidas ſacerdotes a populo coactos, ut ſe devoverent; ejuſque devotionis, quo teſtatior eſſet memoria, exemplum IN PILA LAPIDEA inciſum, eſſe poſitum in publico, Lacedaemonem demigravit.* Sed poſtea mutatis populi ſtudiis (Cornel. Nep. cap. 6.) *Reſtituta ergo huic* (Alcibiadi) *publice bona, iidemque illi Eumolpidae ſacerdotes rurſus reſacrare ſunt coacti, qui eum devoverant; PILAEQUE ILLAE, in quibus devotio fuerat ſcripta, in mare praecipitatae.*

crimine pulſatos, eadem poena fuiſſe damnatos. Igitur qua late patuit Lacinium, vel potius quo uſque religio Junonis Laciniae animos omnium circa populorum occuparat, ibi proſcripta Sicania conſidere vetabatur: utque id interdictum cunctis innoteſceret; facile eſt conjicere, in omnibus hujus regionis urbibus & pagis, exempla editae proſcriptionis fuiſſe propoſita. Multiplicata autem hujuſmodi exemplaria haud omnia ejuſdem erant emendationis; ſed, quemadmodum MSti Codices veterum Scriptorum, pro induſtria vel pro imperitia variabant artificum. Forte lamella aenea, quam hactenus ob oculos habui, in manus illitterati artificis percutienda devenerat; hinc ejus exemplar multis patuit caſtigationibus. De lamella Borgiana jam ſatis. Nunc a meo penſo admoneor, ut e diverticulo in viam regrediar.

CA-

Digitized by Google

CAPVT V. Παvηλειδων.

Notitia hujus Phratriacae inſcriptionis. Exarata haec videtur obſoleſcente Neapoli Graeciſmo: hinc ΧΡΕΙΣΜΑΤΑ *&* ΠΑΝΚΛΕΙΔΩΝ *perperam ibi ſcalpitur pro* Ερειτματα *&* Πανηλειδων. Ο'μαιγιον *apud Polybium defenditur, ad ejuſque vocabuli normam* Α'ρναιγιον, *&* Αἰναιγιον *Strabonis refingendum ſuadetur.*

Γ · ΚΑΛΠΟΥΡΝΙΟΣ

ΦΗΛΙΞ

ΤΑ · ΧΡΕΙΣΜΑΤΑ · ΚΑΙ · ΤΗΝ · ΟΡΟ

ΦΗΝ · ΚΑΙ · ΤΑ · ΕΞΩ · ΤΟΥ · ΑΓΟΡΕΥΤΗΡΙΟΥ

ΤΗ · ΙΔΙΑ · ΔΑΠΑΝΗ · ΦΡΗΤΟΡΣΙ · ΠΑΝΚΛΕΙΔΩΝ

HOc marmor anno ferme 1744. erutum fuit pone aedem Ss. Coſmi & Damiani, in vicinia alterius aedis S. Petri in vinculis: quod Martorellius edidit in Thec. Calam. p. 632. ſeqq. & ut ex elementorum effigie capi conjectura de marmoris aetate poſſet, litterarum ductus ligneâ formâ ad archetypi fidem exhibuit. Laudo hominis diligentiam, ſed ſuſpicionem ejus, qui aetatem marmoris inter *quinti ſaeculi* cancellos rejicit, omnino non probo. Graeca ſtudia Neapoli, quorum nonnullas aetate ſua reliquias ſuperfuiſſe Strabo teſtatur, jamdiu ab aevo Antoninorum plane refrixerant. Eo nimirum tempore Neapolis facta eſt *Colonia Auguſta*, ut pluribus oſtendi in Palaeſtra Neapolitana p.217. ſeqq. Enimvero monumenta publica, quae reſtant, IV. & V. ſaeculo litteris latinis exarata, fidem manifeſtam faciunt, Neapolitanam plebem ore latino fuiſſe locutam. Vtinam aetas C. Calpurnii Felicis innoteſceret; tunc enimvero de epocha noſtri marmoris plane conſtaret. De gente autem *Calpurnia*, tum liberâ republ. tum ſub Auguſtis nobiliſſimâ, nullus adhuc proditus eſt in lucem cognomine *Felix*. Quamobrem conjiciendi datur facultas, *Felicem* antea ſerviiſſe ſervitutem cuidam *C. Calpurnio* ex. gr. *Piſoni*, poſtea manumiſſum a patrono praenomen & nomen ſibi pro more acquiſiviſſe.

Quid

Quid *Cajus* (1) *Calpurnius Felix* pecunia ſua praeſtiterit Phratriae, ſi ſomniculoſi lapicidae veſtigia ſectatus fueris, vereor ne te illuc conjectum ſentias, unde haud facile tibi erit cum dignitate extricari. Marmor repraeſentat ΤΑ ΧΡΕΙΣΜΑΤΑ ΚΑΙ ΤΗΝ ΟΡΟΦΗΝ, *Vnguenta*, ſi diis placet, *&* *Tectum*. Martorellius, qui in more habuit, veterum Scriptorum loca, quae opinioni adverſantur ſuae, vel diſtorquere, vel amputare, ſaltem falſitatis inſimulare, hic in oſcitantis ſcalptoris aberrationem, veluti in Areopagitarum ſententiam, pedibus conceſſit; ideoque vertit *Vnctiones & Tectum:* ratus enim eſt, Calpurnium balneas & unguenta Phretoribus paraſſe, & ne in incertum de ſmegmatis genere vagaremur, *ſaponem* fuiſſe definiit. Verum ſi recte judicandi rationi non denegetur locus, omnino concipi nequit, quid *ſapones* affine habeant cum *Tecto*. Praeterea fruſtra unguenta, quae uſu teruntur, donata a Calpurnio ferrentur Phretoribus, ni fundus pariter ſuppeditatus ab eo fuiſſet, unde ſecutis temporibus ſufficerentur unguenta. Enimvero qui gratuitas populo thermas praebebat, ante proſpiciebat *Enthecae* thermarum, quo nimirum pacto ligna quotannis ſubminiſtrarentur. Alexander Severus (uti traditur a Lampridio in ejus vita cap. 24.) plurimarum *artium vectigal pulcherrimum inſtituit, ex eoque juſſit thermas . . . . populi uſibus exhiberi: ſylvas etiam thermis publicis deputavit*. Itaque ſi Calpurnius in omne futurum tempus unguentorum uſum Phratriae reliquiſſet, putemus ne de unguentorum dote nihil cogitaſſe? At vero quid ille praeſtiterit, propalam apparet; apparet autem quicquid ab eo factum, ad tuitionem ornatumque *Phretrii* ſive *Curiae*, pertinere.

His animadverſionibus adhibitis, facile adducor ut credam, Scalptorem vel Graeci ſermonis inſcitia vel animo peregrinante deceptum vocis ὁμοιοτελεύτου (*ſimiliter deſinentis*) ſono, perperam ΧΡΕΙΣΜΑΤΑ loco τοῦ ΕΡΕΙΣΜΑΤΑ exaraſſe: id quod in mentem venerat Eruditis viris Florentinis, qui Martorellium (ut ipſe fatetur) edocuerunt, ἐρείσματα in marmore interpretandum, non χρείσματα, & ſane Maffejus jampridem id ipſum monere praeoccupa-

(1) Graece Γάϊος, propius ad latinorum pronuntiationem: notum enim eſt ex Quintiliani l. 7. Latinos *Cajum* & *Columam* quidem ſcripſiſſe, ſed pronuntiaſſe *Gaium*, a *gaudio* genitorum, & *Columnam*.

Digitized by Google

parat (2): At ipſe animo obfirmato pro τῷ χρείσματι ſtetit, indeque de *ſapore* Phretoribus elargito plurima verba fecit. Re quidem vera in marmore, quod adhuc Neapoli exſtat, ſic, ut Maffejus & Martorellius ediderunt, repraeſentatur: ſed novum aut inſolens haud eſt, ut lapicidae vitio hujuſmodi oſcitationis arguantur. Vide quae in hanc ſententiam queſtus ſum in Pal. Neap. p. 51. Ibi monui, peccata quadratariorum frequentius occurrere in lapidibus ejus aevi, quo patria eorum antiqua lingua paullatim obſoleſcebat, ſic ut ipſi in titulis, ubi ad antiquitatis aemulationem priſcus ſermo uſurpari ſolebat, cogerentur linguam, quam non probe callebant, exarare. Haec meminiſſe eo ſpectat, ut magis magiſque ſuadeatur, Graeciſmum, quo tempore haec Phratriaca inſcriptio propoſita fuit, Neapoli, apud plebem ſaltem, ab uſu quotidiano obſoleviſſe, ipſumque lapicidam, procul dubio linguae Graecae ignoratione pueriliter fuiſſe lapſum; atque hic χρείσματα loco τοῦ Ἐρείσματα obtruſiſſe. Neque hoc dumtaxat loco lapicida noſter peccavit; ſed & aliam alterius vocis metamorphoſin, ut paullo poſt oſtendam, oculis noſtris objecit. Sed redeo ad Ἐρείσματα, quae genuina hujus loci lectio eſt. Quicquid ad fulciendum firmandumque valet, id ἔρεισμα Graecis dicitur, & a Vitruvio latine *Eriſma* effertur. Cum *eriſmis* hujus loci connectitur ὀροφή, *tectum*; quae contignatio parietibus tuto imponi nequit, niſi hi tanto ſuſtinendo oneri ſint pares. Vbi vero de eorum firmitate quid addubitatur, adſtruuntur ex intervallo *Eriſmae*, quae obnitentes, urgenteſque faciunt, ut parietes nihil ex tecti contignatione ſuper ſe incumbente ac premente detrimenti capiant, non pandentur, neque ruant. Hujuſmodi *Eriſmas* ſtruxiſſe mihi perſuadeo Calpurnium, capto haud dubio indicio ex *tecto*, quod in confeſſo eſt, ab eodem Calpurnio fuiſſe aedificatum. Aliis praeterea operibus idem Calpurnius ſibi gratiam Phretorum demeruit. Sequitur enim:

Καὶ τὰ ἔξω τοῦ ἀγορευτηρίου. *Et quae extra ſunt Curiam*, utique *Curiae* applicita, aut uſui Curialium deputata, alioquin ſi ἔξω latiſſime interpretemur, nihil in urbe reliqui exſtitiſſet, quod

Y ad

(2) Maffejus in *Muſeo Veronenſi* edito anno 1752. hanc eamdem inſcriptionem Neapolitanam cum orbe litterario communicarat pag. CCCCLXXIX. ibique Vir Cl. haec pauca, ſed quantum ſatis, adlevit: *Patet, legendum eſſe* ΕΡΕΙΣΜΑΤΑ.

ad Curiam non pertineret. Quae opera *intus* & *foris* facta dicuntur, ſubſtantiam capiunt ab eo loco, cui ea opera veluti appendices accedunt. Sic Tiberius Tarſus apud Grut. XCVIII. 7. *Τὸν ναὸν, καὶ τὰ ἐν τῷ ναῷ, Templum & quae in Templo ſunt* conſtruxit. In inſcriptione Puteolana, quam ſuppletam edidi in Pal. Neap. p. 162. Matronae Lucceiae *aedem Demetros, & quae circa aedem ſunt, & porticus reſtituerunt*. Ἀγορευτήριον, vox nondum in vulgata lexica fuit recepta, ſed ex analogiae regulis rite formata, ut a Βουλεύειν Βουλευτήριον, ſic ab ἀγορεύειν, *publice ſive in conſeſſu verba facere*, ἀγορευτήριον deſcendit. Κοινοβούλιον, ſeu locus in communi conſultantium, varie apud varios populos appellabatur, ut Ἁλία & Ἁλιαστήρ in Sicilia apud Heſychium in ea voce, & in Magna Graecia, apud Mazoch. Tab. Heracl. p. 154. Ὁμάριον in Achaja, Polyb. V. m. p. 692. quae Polybiana vox prodigialiter deformatur apud Strabonem (3). Quo Phratores praeſertim conveniebant, Athenis Φράτριον Polluc. III. 52. Neapoli Φρατρία, ut in inſcriptione Eumelidarum (4). Latini vero, ſive de *Senatoribus* Romae, ſive de *Decurionibus* in *Municipiis* & Coloniis, ſive de Sodalibus *Auguſtalibus* ageretur, ſedem, ubi deliberabatur, univerſe *Curiam* appellarunt. Sed mox iidem Latini ex perpetuo cum Grae-

(3) Polybius l. c. *Conditiones autem quibus pax inter eos convenit, inſcripſerunt columnae, quam prope Veſtae aram (ἐν Ὁμαρίῳ) in Homario collocarunt*. De Achaeis loquitur Polybius, quorum inſtitura deſcribens Strabo VIII. p. 385. Καὶ κοινοβούλιον (inquit) εἰς ἕνα τὸν τόπον συνήγετο αὐτοῖς, ἐκαλεῖτο δὲ Ἀρνάριον, &c. *Senatus communis in unum locum coibat, qui locus Arnarion vocabatur, ubi publicis de negotiis deliberabant*: at paullo poſt Geographus p. 387. *Et haec Aegienſium ſunt, & Helice*, (καὶ τὸ Αἰνάριον) *& Aenarium* Jovis lucus, quo conveniebant Achaei deliberaturi. Quas tres unius ejuſdemque loci denominationes, *Homarii*, *Arnarii*, *Aenarii*, in unum colligens Caſaubonus ad Strabonem, quod verum fuerit nomen, definire non auder. Equidem pro una Polybii lectione Ὁμάριον ſtarem, & proſcriberem reliquas. Heſychio Ὁμαρεῖς, redditur Ὁμοῦ *Simul*. Itaque Ὁμάριον fuerit quod Italice *Aſſemblea*; namque & haec ipſa Italica vox a *Simul* pariter eſt compacta; namque hodiernum *aſſembrare* efferebatur aevo medio *Aſſimulare*. Vide Cangium in hac voce.

(4) *Phratria*, ut ante docui, *demum* ſive urbis regionem denotabat. Sed ubi Eumelidae Phratores titulum honoris cauſa poſuerunt T. Flavio Evanthi, quia is Dioſcurorum ſtatuas *in Phratria* dedicarat, neceſſe eſt intelligi certum in ea regione locum, ubi ſtatuae dedicatae fuerant; qui locus *Phratria κατ' ἐξοχὴν* dicebatur, quo nempe Phratores ſacrificandi, aut conſultandi cauſa conveniebant; aeque ac apud Romanos, a quibus *Curia* dicebatur, vel pars civitatis deſignanda foret, vel aedes illa, ubi Curiales facerent ſacra.

Graecis commercio, plura Graeca vocabula in linguam ſuam transfudere, neque dubitarunt *Phretrium* graecae originis latiari donare civitate, & promiſcue pro *Curia* (5) uſurpare; namque in inſcriptione Agorii Praetextati, apud Grut. p. MCII. 2. ni *Curialem* interpreteris *Phretriacum* Graecanici inſtituti, in arctum te cogi ſenties. Itaque ut vocabula uſus indefiniti, appoſite praeciſeque definiantur, ſedulo attendenda ſunt omnia adjuncta, quibus illa interſeruntur: ut in hac epigraphe Α'γορευτηριον nihil aliud ſignificat niſi *Phretrium*, quia hoc opus in Panelidarum *Phretorum* gratiam Calpurnius ſartum tectum praeſtiterat.

Φρήτορσι Παγκλείδων. Martorellius bona fide ſecutus marmoris lectionem, vertit *Phratoribus Panclidarum*; *Panclidas* autem ita dictos autumat pag. *636*. quia *omni ornamentorum genere fulgebant*, ſicuti *Ariſtaeis*, *quia optimis moribus honeſtabantur*. Parem is luſit ludum, cum *Eumidas* (quos ſibi Phratores in urbe Neapoli proprio Marte confingit) vel ab *exhilarante* urbis *regione*, quam hi occuparint, vel a *feſtivis* eorum *moribus* feſtivius accerſit pag. *659*. Verum his ludicris poſthabitis, perpendendum primo loco eſt, quas hactenus Phratrias enumeravimus, eas vel a populo, vel ab heroe aut numine ſibi nomen quaeſiviſſe, ut *Cumanorum*, *Eunoſtidon*, *Antinoiton* &c. Praeterea in memoriam eſt revocandum, Scalptorem hujus marmoris in manifeſto errore paullo ante fuiſſe deprehenſum; quippe qui, vel peregrinante animo, vel Graecae linguae (quod veroſimilius videtur) ignoratione, loco τοῦ Ε'ρείσματα ſculpſerit incaute χρείσματα. Quamobrem quovis pignore contenderim, artificem noſtrum lapidarium pro τῷ Πανηλείδων *Panelidarum*, ſeu univerſae *Elidis* municipum, nobis ut crucem figeret, exaraſſe nullo commodo ſenſu (τῷ Η in τὸ Κ perperam commutato) Παγκλείδων; proclivi ſane errore, in quem pariter offendit Scriba librarius Vaticani Codicis Diodori Siculi, uti opportune didici ex editione Weſſellingii lib. XII. p. *595*. qui librarius Κλείαν quoque pro Ηλειαν (*Elidenſem regionem*) Siculi hiſtorici, depinxit. Vtrobique

ejuſ-

(5) Grut. p. CCXIV. quae inſcriptio hodie exſtat in locupletiſſimo omne genus antiquitatum muſeo Cl. Viri Franciſci Danielis. *Vesbinus* qui *Phretrium* pro Auguſtalibus aedificavit, ipſo nomine vel domo, vel origine proditur Neapolitanus. Cognomina qui gerunt localia, ex ipſis locis cujates fuerint, facile dignoſcuntur. *Vesbinus*, quin ſit a *Veſuvio*, qui mons ignivomus Graece Οὐέσβιος *Vesbius* effertur, nemo dubitarit. Praeterea vox *Phretrium* inſolens auribus latinis, at Neapolitanis domeſtica, quod conjeci, confirmat.

ejuſdem elementi H transfiguratio in mendoſum K arguitur, & quod valde mirandum eſt, in eodem plane vocabulo: namque Παννηλείδης, quod in noſtro marmore ſubſtituendum arbitror, ex τῷ Ηλεία Diodori componitur. Ἠλις ſive Ἠλεία, regio maritima Peloponneſi, ſaepe Homeri carminibus celebrata, ut Odyſs.N. v. 275.

Ἠ' εἰς Ἦλιδα δῖαν ὅπι κρατέουσιν Ἐπειοὶ

Vel in Elidem divinam, ubi imperant Epei.

Haec regio in quatuor partes, ſuo quamque nomine diſtinctam, quatuor proinde duces a ſe ad bellum Trojanum emiſit. Conſule Strabonem VIII. p. 340. Quemadmodum autem Πανάχαιοι, Πανέλληνες, Παναθήναιοι, Παμβοιώτιοι, Πανίωνες (Euſtath. Il. B. p. 247. 21.) univerſum cujuſque nationis ſyſtema deſignant, ita Παννηλειδαι, ſive potius Παννηλίδαι (6) intelligendi ſunt, qui ſub quadripertitae *Elidis* diſtributione comprehendebantur; ita tamen, ut unum corpus, unaque pariter civitas haberetur. Hos nimirum Παννηλίδας, ſeu Epeos ex omni Elide conglobatos, Neapolim aliquando adveniſſe, hoc argumentor indicio. Dionyſius Halicarn. initio lib. II. Antiq. Rom. Graecos Capitolini collis habitatores recenſens, Ἐπειοί (inquit) τούτων πλείους ἦσαν ἐκ πόλεως Ἤλιδος ἐξαναστάντες, διαπεπορθημένης αὐτοῖς τῆς πατρίδος ὑφ' Ἡρακλέους, *Horum bona pars Epei fuerunt, profecti ab Elide poſt devaſtatam Herculis armis patriam:* & paullo poſt: *Albanorum genus mixtum erat ex Arcadibus & Pelaſgis, Epeiſque Elidenſibus*. Jamvero *Panelidas* in civitatem Neapolitanam conſcriptos intuemur: non alienum, ut mihi videtur, a veriſimilitudine reputabitur, ſi ſtatuatur, Elidenſes Epeos, vel exagitatos a Latinis, vel a congeneribus Graecis in hac urbe noſtra dominantibus invitatos, rectâque profectos ex Elide conceſſiſſe Neapolim, ibique Phratriam de ſuo nomine compoſuiſſe.

CA-

(6) In Graecis inſcriptionibus ſequioris aevi haud raro EI mendoſe pro I viſitur. Sic in inſcriptt.noſtris ΕΥΝΟΣΤΕΙΔΑΙ, ΕΥΜΗΛΕΙΔΑΙ, & hic ΠΑΝΗΛΕΙΔΑΙ, pro ΕΥΝΟΣΤΙΔΑΙ, &c. Et ſane penultima in Εὐνοςίδης corripitur in Epigrammate Graeco, quod p. 126. edidi.

C A P V T VI. Οἰνωναίων.

Οἰνώνη, *inſulae* Aeginae, *ac duorum in Attica* pagorum *nomen*. Demarchia *ſupremus Neapoli magiſtratus, ab Hadriano Aug. geſtus*. Demoe *potius ſunt* Pagi *Latinorum, quam* Vici. Λαυκελαρχῆτας *in tribus Neapol. inſcriptionibus obvius, nimium fidenter a Reineſio in* Ναυκελαρχῆτας *emendatur*. Λαυκελαρχία, *magiſtratus, qui* equorum *vel* cymbarum *praeerat* certaminibus, *fuiſſe conjicitur*. Γραμματεὺς (Scriba) *haud ignobilis in Graeca republ. magiſtratus*. Τιμητὴς, & Ἄρχων ὁ διὰ πέντε ἐτῶν, Cenſor *eſt Latinorum, qui* & Quinquennalis: *At* Ἄρχων ὁ διὰ πέντε ἐτῶν τιμητικὸς, Cenſor *eſt* honorarius, *non ordinarius*.

Η ΦΡΗΤΡΙΑ ΗΟΝΙΟΝΑΕΩΝ ΛΕΥΚΙΟΝ
ΕΡΕΝΝΙΟΝ ΠΥΘΩΝΟΣ ΥΙΟΝ ΑΡΙΣΤΟΝ
ΑΡΕΤΗΣ ΕΝΕΚΕΝ ΚΑΙ ΕΥΕΡΓΕΣΙΑΣ
ΔΗΜΑΡΧΗΣΑΝΤΑ ΛΑΥΚΕΛΑΡΧΗΣΑΝ
ΤΑ ΓΡΑΜΜΑΤΙΣΑΝΤΑ ΑΡΞΑΝΤΑ ΤΟΝ
ΠΕΝΤΑΕΤΗΡΙΚΟΝ ΘΕΟΙΣ

Ex Capacio p. 900. (edit. Neap. anni 1607.) recitat hoc marmor Reineſius Cl. I. n. 203. ubi inquit: *Phratria, ſeu Sodalitium Oenonaeorum, vel Oenoeorum* &c. nimirum inter utramque lectionem dubius ſedet, nec explicate tradidit, qui & unde ſint *Oenonaei*, vel *Oenoei*. Si mihi optio ſeligendi daretur, equidem magis (Οἰνωναίους) *Oenonaeos*, quam (Οἰνοίους) *Oenoeos* probarem: illa enim lectio magis ad exemplar Capacii, qui primus hanc protulit inſcriptionem, accedit. Martorellius vero p. 653. hunc nodum non reſolvit, ſed amputavit, legitque, ΤΩΝ ΙΟΝΑΙΩΝ, & *Jonaeos* (1) eſt interpretatus. Sed vero propior lectio illa eſt, quam Capacii exemplar oſtentat, & Reineſius primo expoſuit loco,

(1) At ipſe voculas ſic diſpungere debuiſſet, ἡ φρατρία ἡ (non τῶν) Ἰοναίων, dummodo *Jonaei* uſquam gentium exſtiterint: ut in inſcriptione Phratriae Ariſtaeorum v. 7. & 9. Τῆς Φρατρίας τῆς Ἀρισταίων.

co, nimirum Η ΦΡΑΤΡΙΑ Η ΟΙΝΩΝΑΙΩΝ, *Phratria Oenonaeorum*.

ΟΙΝΩΝΑΙΩΝ. Ethnicum hoc vocabulum Οἰνώναιος totidem litteris exſtat apud Stephanum, ex Οἰνώνη productum, quod eſt Aeginae inſulae nomen vetuſtum. Herod. VIII. 46. *Inſulae* (Aeginae) *nomen antea fuerat* Οἰνώνη. Strabo VIII. 375. de eadem Aegina: Ὠνομάζετο δ' Οἰνώνη πάλαι, *nominata fuit antiquitus Oenone*. Ibidem Geographus praemonuerat, Aeginetas obtinuiſſe imperium maris, & in pugna Salaminia cum Athenienſibus de palma contendiſſe. Idem animadvertitur ab Euſebio ad Olymp. LXVIII. Vtinam oſtendere utcumque poſſem, Aeginetas in Campaniam ſolventes, urbem noſtram ſuis frequentaſſe colonis, & ex antiqua ſua patria *Phratriam* hic compoſuiſſe *Oenonaeorum*. Sed enim habeo gratiam Straboni, qui ea de inſula differens, quaedam indicia reliquit, quae ad id quod quaero, me veluti manu ducunt. Ergo is, ubi tradidit, Aeginam olim *Oenonen* dictam, ſubdidit, ὁμώνυμον δυσὶ δήμοις Ἀττικῆς, *cognominem duobus Atticae pagis*, quorum unus ad Eleutheras, alter erat ad Maratonem. Confirmat hanc Strabonis lectionem Euſtathius p. 288. 4. ubi proverbii meminit, Οἰνώνη πρὸς χαράδραν, *Oenone ad torrentis alveum*. Equidem *Oenonaeos* Neapolitanos citius ab homonymis Athenienſibus, quam ab Aeginetis repeterem. Sed, inquies, Caſaubonus falſi arguit Strabonem, caſtigatque, quod duplicem Atticae pagum *Oenoen* dictum, praeter verum in *Oenonem* produxerit. Profecto quidvis potius paterer, quam Virum graviſſimum in re ſua, hoc eſt, in geographicis, erroris inſimulari, & libentius Zenobium & Suidam redarguerem, qui in recitando proverbio modo laudato, Οἰνόην repraeſentarunt. Fuerit per me licet, duplex Οἰνόη in Attica, una in Tribu Hippothoontide, altera in Aeantide. Quid vetat, ut duplicem quoque *Oenonem* in Attica recognoſcamus? Atticae pagi ſupra CLXX. numerabantur antiquitus; hodie paullo plus ſupra C pagos ſedulae vigiliae Sigonii, Meurſii, Corſini, aliorumque extricarunt: quidni & inter pagos Atticae hactenus irrepertos, duplicem quoque *Oenonem*, nomenclatore Strabone, recenſebimus? Praeterea Straboni marmor hoc noſtrum ſuffragatur. Athenienſes, quos exploratum eſt (pag. 74.) adveniſſe Neapolim, urbis regionem, quam inſederunt, idcirco *Oenones* nomen impoſuere, quia ipſi in pago Atticae *Oenone* prima habuerunt incunabula; pro tralaticia conſuetudine ſcilicet imponendi

no-

nomina locis paria iis, quae errones populi in patrio ſolo reliquerant (2). Ceterum utraque conjectura, quod de *Oenonaeis* Aeginetis, & Athenienſibus propoſui, illa Herodoti, haec Strabonis auctoritate fulcitur, & alterutra certe in hoc marmore Neapolitano deprehenditur.

ΑΕΤΚΙΟΝ, Series hujus L. Herennii nominum plane ad normam Romanam digeritur. Vltimo ponitur loco cognomen Ἄρεστος, qui ut revera φερώνυμος (*qui fert nomen moribus ſuis conveniens*) proderetur, idcirco ἀρετῆς ἕνεκεν *merito virtutis* per omnes in rep. ſua dignitatum gradus conſcendiſſe praedicatur.

ΔΗΜΑΡΧΗΣΑΝΤΑ Δήμαρχοι Athenis dicebantur, qui ſinguli δήμοις praeerant; Suidas in ea voce. De *Demis* Atticis haec docuit Sigonius Rep. Ath. I. 2. *Populos jampridem appello, quos illi* δήμους *vocarunt, quos, ſi rei rationem attendamus, Vicos appellare non incommode fortaſſe poſſimus, ſiquidem Ariſtoteles in Poetica ſcribit, quos alii* Κώμας (i. e. vicos) *dicerent, eos* Δήμους *ab Atticis nominatos. Fuerunt autem oppidula vicique, quibus eſt univerſa Attica frequentata* &c. Equidem δήμους mallem vertere *Pagos*, quam *Vicos*, fretus maxime Feſti auctoritate, qui in hac voce: *DEMOE* (h. e. δήμοι, ut eidem Feſto, *Ab oloes* pro *ab illis*; ſic in Plauto *Liroe*, *Liroe*, qui Graece Λῆροι.) *apud Atticos ſunt, ut apud nos Pagi*. Sane *Pagi* latius patent, quam *Vici*: ex pluribus enim *Vicis* conſtabant *Pagi*. Caeſar de B. G. I. 12. nationem Helvetiam *in quatuor Pagos diviſam* prodidit. Tacitus de Germanis cap. 12. 5. *Eliguntur, qui jura per Pagos, Vicoſque reddunt*. Achaja diviſa erat in XII. portiones, & unaquaeque portio in ſeptem aut octo (δήμους) *Pagos*. Strabo VIII. p. 386. Olim Attica in quatuor diviſiones ſive Tribus diſtributa ex *Demis* ſive *Pagis quatuor ſupra centum ſeptuaginta* conſtabat. Strabo p. 396. Exinde colligi poteſt, *Demarchos* plane reſpondiſſe Latinorum *Magiſtris Pagorum*, iis ſcil. qui in Pagis jus reddebant, quemadmodum qui in Vicis, *Magiſtri Vicorum*. Verum *Demarchia* Neapo-

(2) Vbi inter pagos, urbeſque deprehenditur ſynonymia, confeſtim de communi eorum origine excitatur ſuſpicio. Vide Corſinum in Faſt. Att. Diſſert.V. num. 16. Conſulatur item Pauſanias lib. X. p. 837. qui de Ἀγύλῃ, ſeu potius Ἀγύλῃ in Sardinia verba faciens, conjecit eam urbem fuiſſe conditam ab Athenienſibus, atque ita vocatam, *ſervata ex aliquo de Atticis δήμοις nomenclatione*.

politana, quam L. Herennius Ariſtus geſſit, plurimum auctoritate ac dignitate praeſtat Athenienſi *Demarchiae*; & quam ſuſcipere Hadrianus Aug. haud eſt dedignatus. Spartianus in ejus vita cap. 19. *Per Latina oppida Dictator* . . . . . *Apud Neapolim Demarchus & Athenis Archon fuit*: quo loco docemur, ſummum Neapoli Magiſtratum ſalutatum fuiſſe *Demarchi* nomine, non *Archontis*, ut vulgo Scriptorum noſtrorum placuerat; alioquin ſi utrobique, Athenis inquam ac Neapoli, ſummus Magiſtratus audiſſet *Archon*, fruſtra Spartianus Magiſtratuum nomina idem plane ſignificantia diſtinxiſſet. Olim populi *pagatim* ſive *vicatim* habitabant (3): & quiſque *Demus* erat αὐτόνομος, liber *ſuique juris*, nec unus alteri obnoxius, & quae domi militiaeque forent tractanda, per ſuum *Demarchum*, ut vis fert nominis, expediebat: ſed poſtea plures *pagi* tuitionis, interioriſque ſocietatis cauſa in communem urbem, in unamque aequo jure convenere civitatem. Antiqui *Demi* iidem erant ac *Phratriae*, uti pluribus pag. 9. ſeq. diſſerui. Inde colligitur, Magiſtratum, qui Neapolitanae civitati, ex pluribus *Phratriis* ſive *Demis* conſlatae praeerat, jure merito appoſiteque titulum geſſiſſe *Demarchi*.

ΛΑΥΚΕΛΑΡΧΗΣΑΝΤΑ, Reineſius Cl. I. 204. in ΝΑΥΚΕΛΑΡΧΗΣΑΝΤΑ refinxit; cui emendationi Cangius in v. Ναυκέλλια, & Martorellius p. 654. ſubſcripſerunt: & ipſe quidem libenter acquieſcerem, ſi nunc primum, in unoque hoc lapide, inſolens vocabulum ſe daret conſpiciendum; ſed ſecus ſe res habet. In tribus diverſis lapidibus in lucem diverſo tempore editis, & a quatuor noſtris viris praeclariſſimis Petro Summontio, Fabio Jordano, Julio Capacio, & Petro Laſena, qui ſuis oculis haec monumenta perluſtrarunt, accuratiſſime deſcriptis, hoc verbum Λαυκελαρχεῖν recurrit. Credibile ne eſt, tot litteratos viros, qui non uno eodemque tempore floruerunt, ſcilicet ut ſeris nepotibus figerent crucem, τὸ Ναυκελαρχήσαντα in Λαυκελαρχήσαντα invertiſſe? Praeterea iidem noſtri majores, ad lapides, quos publicae uſu-

(3) De Pelaſgis Tyrrhenis refert id Thucydides lib. IV. p. 156. Edit. Steph. prope a fine. De Jonibus Strabo l. VIII. p. 386. De Eleis Pauſanias V. 4. De Athenienſibus praeter Plutarchum in Theſeo, Livius XXXI. . . . *Delubra ſibi fuiſſe, quae quondam PAGATIM habitantes, in parvis illis caſtellis, vicisque conſecrarint*. Mitto plura in re notiſſima congerere.

Digitized by Google

uſurae expoſitos, intento digito (4) demonſtrant, lectorem amandant. Denique neque inter ipſos convenit, quid ejus de vocis interpretatione ſit ſentiendum. Capacius lib. I. Hiſt. Neap. cap. XIV. in hunc modum proloquitur: *Vocem* Λαυκελαρχήσας, *nemo quod ſciam, interpretabitur: corrupte legi arbitrarer, niſi DILIGENTISSIME ipſe deſcripſiſſem.* Laſena vero in Gymn. Neap. Cap. II. p. 29. in eadem ſe ignoratione verſari denuntiat. Jordanus tamen in Hiſt. Neap. MSta, utpote qui de lectione minime dubitaret, hanc vocem auſus eſt extricare, & *Albae Factionis* Principem interpretari; nimirum a Λαυκὸς Dorice pro Λευκὸς *albus*, & ἐλαύνω, *agito*. Greges enim Circenſium agitatorum, ut cuique notum eſt, a diſcriminantibus veſtium coloribus nomina ſortiebantur: Circenſes vero ludos Neapoli fuiſſe editos, Capacius l. c. Cap. VII. Statii auctoritate docet. Quae Jordani conjectura facile poſſet admitti, niſi Dorica proprietas, quam in ea voce is recognovit, a dialecto excluderetur Jonica, quam a Neapolitanis affectatam (5) conſtat. Quamobrem eamdem eamdem ego quidem, ac Jordanus, viam ingrediens, ſed non eadem premens veſtigia, autumo id inſolens vocabulum fuiſſe compoſitum a Λαὸς, *populus*, & Κέλης, *equus deſultorius*. Profecto *Celetes* & *Celetizontes* a Latinis perinde ac a Graecis, vocabantur ii, qui *in publicis* certaminibus *equo ſingulari* decurrebant. Quemadmodum autem qui Gymnaſio praeerat, *Gymnaſiarcha*, ita qui huic *publico Celetum ſpectaculo* praeſidebat, appoſite mihi videtur *Laucelarcha* fuiſſe dictus, & Magiſtratus ipſe *Laucelarchia*, pro *Laocelarchia* ſcilicet; ſicuti Siculis *Lautomiae*, pro *Laotomiae*; & Latinis *Laucoon*, *Laudicea*, pro *Laocoon*, *Laodicea*.

Z *dicea.*

(4) Petrus Summontius Pontani academiae Socius, in ſuis animadverſionibus ad Pontani poëmata, edita Baſileae anno 1531. typis And. Cratandri, primus omnium protulit inſcriptionem deo *Heboni* poſitam (ubi Λαυκελαρχησας occurrit), & amandat lectorem ad aedes Jac. Sannazarii, cui familiariſſimus fuit, ubi illam narrat proſtare: id quod ſi Grutero innotuiſſet, is hanc epigraphen non adeo corruptam decurtatamque in ſuo Theſauro protuliſſet. Epigraphen, de qua loquor, Capacius in aedes Sanctini traductam fuiſſe narrat. Secundam epigraphen Herennio, ut & tertiam Seleuco poſitam, recitat Capacius, non indicato ubi locorum Neapoli ſeviſendas praeberent; at Petrus Laſena vir diligentiſſimus, monet lectorem, eas expoſitas eſſe in parietibus Sedilis Montaneae.

(5) Ne in re comperta diſtineam lectorem, Joniſmus Neapoli vulgaris manifeſto proditur ex vocabulis Φρήτωρ & Φρητρία, ut ab Homero & Herodoto efferuntur, contra ab Atticis Scriptoribus Φράτωρ ac Φρατρία.

dicea . Vide Scaligerum ad Feſti v. *Alumento* . Ac ni vehementer fallor, hoc equeſtre ſpectaculum Neapoli agitabatur in honorem Dioſcurorum , qui in Hymnis Homericis ſalutantur Ταχίων ἐπιβήτορες ἵππων , *velocium Equorum* h. e. *Celetum agitatores* , & uterque ſuo inſidentes equo, & decurrentes haud raro in nummis familiarum Rom. comparent. De cultu Caſtorum Neapoli frequentato fidem faciunt *Templum* a Tiberio Julio Tarſo dedicatum (vide p.170.); Statius Sylv.IV.8. v.52. ubi Dioſcuros *Patrios Penates* nuncupat; *Statuae* a T. Flavio Evanthe in Phratria Eumelidarum excitatae (vide p.107.); nummi praeterea , in quibus evidenter Caſtor equo deſultorio inſidens, & decurrens depingitur . Igitur ad aemulanda Caſtorum ſtudia arbitror Neapolitanos certamen *Celetum* inſtituiſſe, cui repraeſentando praefecerint *Laucelarcham* . Verum ne quid ſciens prudenſque diſſimulem , *Laucelarcha* notare quoque facile poteſt illum Magiſtratum , qui *publico nautico certamini* advigilarit: namque *Celes* deſignat etiam *parvum navigium* , ſcilicet *ducta metaphora* (uti H. Stephanus ex Bayſio docet) *ab equo Celete , qui ſicuti ab uno Seſſore agitur , ita & hoc navigium uno remo , & non binis aut ternis per ſedilia , agitur*. Si quis nautici certaminis velit imaginem , veluti in tabula depictam , contemplari, adeat Virgilium Aen. V. v. 114. ſeqq. Nunc ſi quis reputaverit hinc orae maritimae urbis Neapolis amoenitatem, hinc *otia* Neapolitanorum a poëtis decantata , facile ſibi perſuaſerit , *Laucelarcham* illum etiam accipi poſſe Magiſtratum , qui nautico certamini ludicro praefuerit. Vt ut ſe res habuit, ex his praenotatis non abſurde colligi poſſe videtur, *Laucelarcha* , probum eſſe vocabulum Neapoli in Graeca urbe uſurpatum; ut ex tribus vett. lapidibus palam expoſitis, diligenterque a noſtris litteratis viris , vario quidem tempore , ſed pari exemplo deſcriptis , apparet : praeterea eo vocabulo fuiſſe illum magiſtratum deſignatum , qui *publico*, vel *equeſtri* vel *maritimo* certamini praefuerit , ad exhilarandam plebem , e terra marique ſolatia captare aſſuetam, inſtituto. Cui otiandi ſtudio aptari illud Sophoclis poteſt , ab Athenaeo XI. 9. p. 482. relatum:

Ἵπποισι ἢ Κύμβαισι ναυστολεῖς χθόνα

Equis aut Cymbis percurris terram

Sane vox Graeca *Celes* , unde compoſitum eſſe *Laucelarcham* contendi, velocem & *equum* & *cymbam* ex aequo ſignificat. Sed jam ea de voce ſatis.

ΓΡΑΜ-

ΓΡΑΜΜΑΤΙΣΑΝΤΑ. Quid Martorellio faceres, qui eam probam vocem in *γυμνασιαρχήσαντα* transſudit? Nimirum ſibi videbatur indignum, ut Herennius Demarchus, Scribam aliquando geſſiſſet. At caelo aberrat toto. Γραμματεύς ſive *γραμματίζων* hujus loci non eum ſcribam ſignificat, qui manuum mercede inopiam tolerat, qualis exſtitit Aeſchinis pater, eo ex capite a Demoſthene irriſus; ſed illum omnino, qui leges, Plebiſcita, Senatus-Conſulta, acta diurna, in tabulas publicas referebat. Hujus autem ordinis in Graecis rebuspubl. *Scribae* quotannis creabantur. Strabo de univerſa Achaja, in duodecim partes diſtributa, *Achaei* (inquit p. 385.) *per XX. continenter annos* (κοινὸν Γραμματέα) *communem Scribam habuere, & duos quotannis Praetores*. Nec ſecus aliæ reſpubl. Graecae adminiſtrabantur, quibus ſcilicet ſub Imperatoribus Rom. ſuarum legum patriarum fuerat relicta libertas; atque hae Γραμματεῦσι *Scribis* erant inſtructae. Quorum *Scribarum* ingentem populum videre licet apud Vaillantium in Numiſmatis Pop. Gr. Loqu. p. 313. qui recenſuit *Scribas* omnes, quotquot ſibi contigit in ruſpandis nummis animadvertere: namque Magiſtratus tantae dignationis habebatur, ut eorum nomina ſignarentur in nummis. Neapolis quoque hoc ipſo Magiſtratu non fuit deſtituta: praeter enim hanc inſcriptionem, quae nobis Herennium *Scribam* repraeſentat, exſtat apud Gruterum p. 428. 11. alia Neapol. inſcriptio, ubi Pollio Ἀνκγραφεὺς *Scriba*. Ergo apud Graecos Γραμματίζων, *Scriba*, honorificus erat Magiſtratus, apud Latinos (6) non item, quae diverſa gentium inſtituta haud aeſtimans Martorellius, Γραμματισαντα in Γυμνασιαρχησαντα corrupit.

ΑΡΞΑΝΤΑ ΤΟΝ ΠΕΝΤΑΕΤΗΡΙΚΟΝ. *Magiſtratum Quinquennalem*, vel abſolute *Quinquennalem*, ut cum Spartianus cap. 19. Hadrianum creatum in patria ſua *Quinquennalem* refert. Fuit is ordinarius Magiſtratus in Coloniis & Municipiis, ac praeterea in Corporibus ſive Collegiis, quae ipſa parvarum inſtar rerumpubl. adminiſtrabantur. Vide legem Collegii Aeſculapii apud Fabrettum Cap. X. 443. Ceteri Magiſtratus Colonici erant annui, at *Quinquennales* in ſingulis *quinquenniis*. Cenſoribus igitur urbis Romae reſpondent Coloniarum *Quinquennales*, qui alicubi expreſſe vocan-

(6) Cornelius Nepos in Eumene cap. 1. qui *Scriba* fuit Philippi Amintae filii, ita praefatur: *Itaque eum habuit ad manum Scribae loco: quod multo apud Grajos honorificentius eſt, quam apud Romanos*.

tur *Cenſores*. Spa.nhem. *De P. & V. Num.* m. p. 742. & quoniam a Graecis rerum Rom. Scriptoribus *Cenſor* redditur Τιμητὴς, & *Cenſura*, πενταετὴς τιμητεία : hinc patet, ubi in noſtro lapide deprehendimus, L. Herennium ἄρξαντα τὸν πενταετηρικὸν, non aliam fuiſſe ab eo geſtam Neapoli dignitatem, niſi *Quinquennaliciam* ſive *Cenſoriam*. At, inquies, ſi ἄρχων ὁ πενταετηρικὸς *Quinquennalis* ſit omnino Cenſor municipalis : quamobrem in alio lapide Neapolitano apud Capacium, & Reineſium Cl. I. 203. Seleucus ἄρχων ὁ διὰ πέντε ἐτῶν τιμητικὸς adnuntiatur? nonne adjunctum illud τιμητικὸς, ſi *quinquennalis* idem valet ac *Cenſor*, foret ſupervacaneum? Ita ſe res haberet, ſi τιμητικὸν in Reineſii opinionem, interpretabimur *Cenſorem*. At hic τιμητικὸς aliam oſtentat ſignificationem. In Gloſſis Gr. Lat. τιμητικὸς redditur *bonorificus*, *bonorarius*. Itaque ἄρχων ὁ διὰ πέντε ἐτῶν τιμητικὸς, non ille eſt Magiſtratus qui actu Cenſurae munus geſſit, ſed qui impetratis *bonorariis Codicillis* (de quibus exſtat Titulus in Cod. Theodoſ.) nactus eſt *Quinquennalis* nomenclationem & praerogativam. Vide quae ibi Gothofredus appoſite eruditeque adnotavit. Profecto in egregia illa Tabula Canuſina (apud Fabrettum Inſcrip. p. 598.) primi ante alios Magiſtratus enumerantur *Quinquennalicii*, & mox *Allecti inter Quinquennalicios*; qui ſecundi non actu Quinquennaliciam poteſtatem videntur exercuiſſe, ſed qui impetratis *bonorariis Codicillis* ornamenta Quinquennalicia ſunt conſecuti. Sic qui C. Julius Antiochus *Allectus inter Praetorios* ab Imp. Trajano (apud Grut. p. 421. 2.) is τιμητικὸς, *bonorarius* ſcil. fuit praetor, non ἔμπρακτος, qui actu geſſerit Praeturam. Verum enimvero admonendus eſt lector, Martorellium verba ἄρξαντα τὸν πενταετηρικὸν in ἄρξαντα τῶν πενταετηρικῶν invertiſſe; ac pari licentia ἄρχοντα τὸν διὰ πέντε ἐτῶν τιμητικὸν, transformaſſe in ἄρχοντα τῶν διὰ πέντε ἐτῶν τιμητικῶν (ἀγώνων), & ad *Quinquennales ludos* traduxiſſe. Ludicra ſane metamorphoſis.

ΘΕΟΙΣ. Si noſtra haec inſcriptio in Cuperi manus incidiſſet, is procul dubio judicaſſet, Phratriam Oenonaeorum ſtatuam Herennio poſuiſſe, eamque, quod erat majoris honorificentiae indicium, *Diis* conſecraſſe. *Honor* (inquit in Apoth. Hom. p.280.) *apud veteres fuit ſingularis, ſtatuam alicui ponere, ſed major longe atque illuſtrior, dei ſtatuam in honorem viri de republ. bene meriti.* Cupero, ni fallor, praeluſit Lipſius, qui ex Taciti loco Annal. III. 64. perperam diſpuncto (ut admonuit Freinshemius ad hunc hiſto-

rici

rici locum) dat intelligere , egregiorum virorum imagines diis conſecrari conſueviſſe. Vandalius quoque Diſſert. III. p. 265. Chiſullus Antiq. p. 200. Martorellius hic , pro ſtatuis illuſtrium virorum in deorum honorem conſecratis , militant . Scilicet ſtatua erigitur mortali , ac porro honor is cum immortalibus communicatur : hoc nempe illud eſt , *Duos parietes eâdem fidelia dealbare* . Equidem non repugnaverim , ſaepe in Graecis titulis deprehendi ellipſin τοῦ Ἀναςῆναι vel Ἀναθεῖναι (quod integre appoſitum cernitur in inſcriptione Grut. MXC. 20.) : at ubi perſona in hujusmodi titulis quarto caſu effertur , & ſubnectitur vox Θεοῖς , mihi videtur, ſubintelligendum ibi eſſe potius Παραθεῖναι vel Παρακαταθέσθαι , *commendare diis* , quam Ἀναθεῖναι , *ſtatuam dedicare diis* . Adi ſis H. Stephanum in Παρατίθημι ubi ex Plutarcho profert : Παρακαταθέσθαι τῇ Ἀθηνᾷ τὴν Πόλιν , *Minervae urbem commendare & cuſtodiendam relinquere* : additque ex Luca Act. Apoſt. XX. 32. Καὶ τανῦν παρατίθημι (al. παρατίθεμαι) ὑμᾶς τῷ Θεῷ , *Et nunc commendo vos Deo* . His , quae profert Stephanus , adde Aelianum Var. Hiſt. III. 26. ubi de Pindaro Epheſiorum tyranno , quem Croeſus exſilio multaverat : *Filium* . . . . (τῇ Πόλει παρακαταθέμενος) *Civitati concredidit* .

Vetus conſuetudo obtinuit , ut Principibus vel aegrotantibus, vel difficile ſuſcipientibus iter , adhaec Magiſtratibus optime de republ. meritis , ſupplicationes & vota decernerentur . Abſtineo exemplis , quae paſsim ſunt obvia . Vicem hujusmodi ſupplicationum , votorumque tenent *tituli propoſiti* , qui nuncupata vota palam ſignificabant . Vide Sueton. in Calig. 15. Quamobrem vota citius , quam ſtatuas in hujuſmodi epigraphis portendi autumarem ; ut in Chiſullo p. 200. *Populus Athenienſium , & inſulam* (7) *incolentes Imp. Caeſarem divi Julii filium* (Ἀπόλλωνι , Ἀρτέμιδι , Λητοῖ) *Apollini* , *Dianae* , *Latonae* ; in hac Neap. inſcriptione : *Phratriae Oenonaeorum Herennium* (Θεοῖς) *diis* ; in altera inſcriptione Neap. quam Reineſius ex Capacio protulit Cl. I. 204. *Cives Se-*

(7) Inſula eſt *Delus* , quae Strabonis aetate non levi premebatur pauperie . Inſulani , impetrarunt forſan ab Imperatore (*qui tunc Corinthi erat* , *ad Actiacum proficiſcens triumphum*) tributi remiſſionem , ipſi porro in grati animi ſignificationem *ſupplicationes & vota* pro incolumitate Imperatoris *propoſito titulo* (id quod omnium breviſſimum , & minus impendioſum fuit) diis ſuis patriis nuncuparunt . Conſule Strabonem X. p. 486. ſeq.

Digitized by Google

Seleucum (Θεοις) *Diis ;* in Th. Calam. Martorellii p. 506. *Populus Rheginorum Nicandrum* (Θεαις) *diis* . Quo in contextu dictionis manifeſta proditur reticentia verbi , quod caſum quartum cum tertio , ſive *commendatitio* (8) , Θεοις , affabre componat ; at nullum aliud vocabulum magis appoſitum expeditumque mihi quidem ſubintelligendum ſuccurrit , quam παραθεῖναι , vel παρατιθέσθαι , *commendare* , *concredere* , *cuſtodiendum relinquere* .

CA-

(8) Ita is caſus a nonnullis vett. grammaticis dictus proditur , quia commendationibus appoſite accommodatus . Priſcian. V. p. 670. Edit. Putſch.

C A P V T VII. Κυμαίων.

Aetas bujus inſcriptionis temporibus Nervae *Auguſti ; ut & altera Neapolitana epigraphe* Dioſcuris *poſita , aevo* Tiberii *Auguſti conſignatur .* Scyphus *convivale poculum , in ſacris adbibitus , & formae plerumque ovalis . Scypbus a* Coccejo *Diis Pbratriis* Cumanorum *dedicatus e metallo pretioſo fuiſſe ſuadetur . Donariis ſacris, ne fraudi paterent , pondus & modulus ſolebat adſcribi . Sigla* ϛ , *bactenus irreperta , ſiglae Latinorum* N , *boc eſt* Numero , *reſpondere ſuadetur .* Cumae *in Campania denominatae a Cumanis* Aeolicis , *non a Cumanis* Euboicis . *Cumani a Campanis expulſi , benigne a Pelaſgis Partbenopaeis accepti , & in aequum jus civitatis admiſſi . Inde unus idemque populus duabus urbibus prope contiguis babitabat ; eamque ob cauſam illa* Palaeopolis , *baec* Neapolis *ex vero cognominata . Triumpbatis* Palaeopolitis *Romani foedus cum* Neopolitis *icerunt ; ſed bi coacti fuere* Campanos *in ſuam civitatem admittere .*

Μ ΚΟΚΚΗΙΟΣ ΣΕ . . . .
ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΟΣ ΚΑΙ . . . .
ΣΥΝ ΤΟΙΣ ΙΔΙΟΙΣ ΤΕ . . . .
ΤΙΤΙΩ ΑΚΙΛΙΝΩ
ΚΑΙ ΦΛΑΥΙΩ ΚΡΗΣΚΗΝΤΙ
ΤΟΝ ΣΚΥΦΟΝ ΕΚ Λ Νϛ
ΟΥ Δϛ
ΘΕΟΙΣ ΦΡΗΤΟΡΣΙ ΚΥΜΑΙΩΝ

Ediderunt hanc epigraphen Marchio Maffejus *Muſ. Veron.* p. 479. Corſinus *Not. Graec.* p. 17. Martorellius *Tb. Calam.* p. 638. ſed bona cum pace tantorum Manium , in falſa ſuppoſitione laborarunt . Inſcriptio marmorea , quae proſtat hodie in Muſeo Regis noſtri Farneſiano , aliter ex parte ſe habet ab ea , quam hi Cl. Viri , veluti genuinam , ſunt commentati : qui ſi emendatius nacti fuiſſent exemplar , nullus ferme dubito , quin conſpiraſſent in unum . Nunc vero , uti fieri ſolet , cum a ſcopo aberratur ,

Digitized by Google

ratur, alius alio collineat; ſic illi ſincera ſcriptione fruſtrati, dum in ſuppoſititia diſſentiunt interpretatione, ſecumque contendunt, mihi nonniſi cum larvis videntur digladiati. Graeca autem inſcriptio ita Latine ſonat: *Marcus Coccejus Auguſti libertus cum filiis ſuis Titio Aquilino & Flavio Creſcente, Scyphum librarum quinquaginta numero, unciarum quatuor numero, Diis Phratriis Cumanorum* (dedicavit). Sed rerum dicendarum ordo flagitat, ut priuſquam de Phratria *Cumanorum* ſermonem inſtituam, verba hujus Graecae epigraphes, quae ob jacturam marmoris evanuerunt, reſtituam in integrum, & notas ibi appictas ſubtilius enucleem.

Verſ. I. ΣΕ . . . . Recte Martorellius τὸ ΣΕ in ΣΕΒΑΣΤΟΥ (*Auguſti*) produxit; namque Corſini ſupplementum ΣΕΞΤΟΥ ΥΙΟΣ (*Sexti filius*), arbitrarium eſt, & aliquanto longius, quam ut in anguſtum deperditi marmoris ſpatium admittatur: praeterea *Coccejus* hic ἀπελεύθερος (*libertus*) adnuntiatur; quamobrem operae pretium erat, ut potius *patroni*, quam *patris naturalis*, proderetur nomen: alioquin cui bono Coccejus definiretur *libertus*, nullâ interim de manumiſſore patrono facta mentione?

Verſ. 2. ΚΑΛ . . . . . Cognomen liberti *Calliſtus* an *Callicles*, aut aliud ſimiliter incipiens fuerit, per fracti marmoris jacturam divinari nequit. Equidem in τῷ *Calliſtus* Martorellii prae τῷ *Callias* Corſini, libentius acquieſco, quia ſpatium abſciſſi marmoris totidem litterarum capax apparet. Verum hoc leve; at illud haud fruſtra eſt animadvertiſſe, Calliſtum a *Marco Coccejo* Nerva, qui anno Chr. 116. *Auguſtus* ſalutatus fuit, libertatem conſecutum; ac proinde aetatem hujus noſtri marmoris ad ea tempora referendam. Compertum enim eſt, haud levem inter adoptatos, & manumiſſos, quod ad nominis impoſitionem ſpectat, interceſſiſſe affinitatem. Itaque ut adoptati in adoptantis gentem, ita manumiſſi in manumittentis praenomen & nomen tranſibant, retenta loco cognominis nomenclatione, quam illi geſſerant tempore ſervitutis; ut *Tiro*, Ciceronis ſervus, acquiſito libertatis beneficio, *M. Tullius Tiro* eſt nuncupatus: ſic *Hyginus* vulgo *Polybiſtor* a manumittente *Cajo Julio* Octaviano Caeſare, praenomen & nomen *Caji Julii* eſt conſecutus. Sueton. Ill. Gramm. cap. 20. *Calliſtus* pariter Caji Caligulae libertus (de quo Tacitus, Dio aliique) tranſnominatus eſt *Cajus Julius Claudius Calliſtus*.

liſtus. *Euphrates Auguſti libertus* , *& Procurator* apud Pauſilyppum , in inſcriptione Fabretti Cap. III. p. 199. ex praenomine & nomine *M. Vlpii* , proditur ab Auguſto *M. Vlpio Trajano* fuiſſe manumiſſus. Hac autem nominum Auguſtalium in libertis animadverſione adhibita , eruditi rerum patriarum Scriptores ſine ulla haeſitatione tradiderunt , *Tiberium Julium Tarſum* , & *Pelagonem libertum* , *& procuratorem* (qui in hac (*) inſcriptione Neapol. apud Gruterum pag. XCVIII. 7. comparent) Imp. *Tiberii* Aug. libertos eſſe reputandos. *Tiberius Julius Tarſus Dioſcuris* , *& Vrbi* (Neapoli) *templum* , *& quae in templo* (exſtruxit) *Pelagon libertus & Procurator* , *de ſuo abſolvit & conſecravit* . Ex biga horum nominum , unus *Pelagon* expreſſe *Auguſti libertus & procurator* definitur ; at cujus Auguſti ? ſcilicet illius , cujus praenomen & nomen gerit *Tarſus* , ſuus in aula *Tiberii* conſors & ſocius . Hic contra ἁπλῶς (*ſimpliciter*) enunciatur *Tiberius Julius Tarſus* ; & ejus quidem libertina conditio premitur , ſed facile ex praenomine & nomine *Tiberii Julii* ſubintelligenda datur . Nulla Tarſorum familia inter Romanas occurrit ; at Gens *Julia* inter patricias eminuit . Reſtat igitur , ut *Tarſus* , homo alienigena , per manumiſſionem libertate donatus fuerit ab aliquo *Juliae* gentis patricio , cui praenomen *Tiberius* . Imperator *Tiberius* , Tiberii Claudii Neronis & Liviae filius , in gentem *Juliam* adoptatus a *C. Julio*. Caeſare Octaviano ſuo vitrico fuerat ; inde conſequitur , ut ii ſervi , quos herus Tiberius Auguſtus manumiſerat , ex more tralaticio *Tiberii Julii* vocarentur , non abolito tamen priſtinae ſervitutis cognomine , ut unus ab altero in eadem familia diſcerneretur . Itaque in hac inſcriptione Neapolitana *Tarſus* & *Pelagon* ſervilia ſunt nomina , plerumque quaeſita a loco ſervorum natali , ut hic *Tarſus* a *Tarſo* Ciliciae , *Pelagon* a *Pelagonia* Macedoniae : atque hi parta per manumiſſionem libertate , ſi integro nomenclationis prodiiſſent apparatu , ſcriptum in marmore oportuiſſet , *Tiberius Julius Tarſus Auguſti libertus* , *Tiberius Julius Pelagon Auguſti libertus* . Sed quorſum haec faſtidioſa eorumdem verborum repetitio in diſticho epigrammate , (in quibus praecipua dos eſt breviloquentia) praeſertim cum ex ipſo inſcriptionis contextu facillime erui poſſet , utrumque ab eodem Auguſto Tiberio fuiſſe manumiſſum ? Etenim in nominibus *Tiberii Julii Tarſi* delitеſcit *Tarſi* manumiſſio ab Aug. *Tiberio* , naturâ Claudio , adoptione *Julio* , imperata: ex *Pelagone* vero *Auguſti* (cujus ſupprimitur nomen) *liberto* & *pro-*

A a

(*) ΤΙΒΕΡΙΟΣ · ΙΟΥΛΙΟΣ · ΤΑΡΣΟΣ · ΔΙΟΣΚΟΥΡΟΙΣ · ΚΑΙ · ΤΗΙ · ΠΟΛΕΙ · ΤΟΝ · ΝΑΟΝ · ΚΑΙ · ΤΑ · ΕΝ · ΤΩΙ · ΝΑΩΙ
ΠΕΛΑΓΩΝ · ΣΕΒΑΣΤΟΥ · ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΟΣ · ΚΑΙ · ΕΠΙΤΡΟΠΟΣ · ΣΥΝΤΕΛΕΣΑΣ · ΕΚ · ΤΩΝ · ΙΔΙΩΝ · ΚΑΘΙΕΡΩΣΕΝ

Digitized by Google

procuratore, non futilis conjectura capitur, *Auguſtum* eſſe eumdem *Tiberium*, qui ſuum conſortem *Tarſum* pari beneficio cumularat: ſcilicet uterque libertus mutuam ſibi foeneratur operam, & quod uni deeſt, ab altero ſufficitur. Sed ea de inſcriptione hactenus, de qua dicere ſuperſediſſem, niſi Martorellius eruditiſſimos noſtrates ſcriptores, qui eximiam Templi molem, Neapoli excitatam a *Tarſo*, & a *Pelagone* dedicatam, aevo Tiberii Auguſti conſignarunt, erroris inſimulaſſet (1).

Verſ. 3. 4. 5. *Cum filiis ſuis* (Τιτίῳ Ἀκιλείνῳ ϗ Φλαυίῳ Κρησκέντι) *Titio Aquilino & Flavio Creſcente*. Neuter filiorum nomenclationem patris naturalis gerit: diverſa ſunt cognomina, & gentes; fortaſſe quia a diverſis civibus Rom. fuerunt adoptati, cum adſcriberentur in Tribum; namque pater Coccejus, utpote libertus, Tribu carebat. Conſule Fabrettum Inſcript. Cap. X. p. 715. G. In inſcriptione Calatina, quam primus edidit Mazochius *Camp. Amphith.* p. 46. *C. Terentius Hypercompus* (homo libertinae conditionis) titulum poſuit filio *C. Terentio C. Fil. Palatina* Tribu *Carino*. Fortaſſe unus idemque *C. Terentius Carinus* & manumiſerat *Hypercompum*, & ſequeſter fuerat, ut ejus filius in Tribum *Palatinam* adſcriberetur.

Verſ. 6. ΤΟΝ ΣΚΥΦΟΝ. Scyphus, convivale poculum, & in Sacris adeo neceſſarium, ut ſacrificia ſine Scypho minime peragerentur, uti Servius docet ad Aeneid. VIII. 278. *Et ſacer implevit dextram Scyphus*. Forma *Scyphi* haud abſimilis a Κοτύλῃ, quod erat repandum poculum, undique introrſum propendens. Euſtath. Odyſ. O. pag. 1775. Vaſtae interdum capacitatis formabantur. Steſichorus apud Athenaeum XI. 499. memorat Σκύφιον δέπας τριλαγυνόν, *Scyphium trium lagenarum*. Lagena nomen eſt menſurae, & ut ibidem tradit Athenaeus, *Cotylarum* Atticarum duodecim capax. Cotyla reſpondet *Heminae* Romanae; & Heminae duodecim conficiebant *Congium*. Itaque Steſichori Σκύφος τριλαγυνός, utpote capax XXXVI. cotylarum, aequat *tricongium*, ex

(1) In Theca Calam. p. 469. *Miror* (inquit) *Mazochium, & Scriptores noſtrates omnes edixiſſe ſub Tib. Aug. ſuperbum hoc Dioſcurorum templum Neapoli erectum, quod non dicit epigramma:* & paullo ante in eamdem ſententiam ſcripſerat: *Legimus Pelagonem quemdam Auguſti libertum & procuratorem opus perfeciſſe; at quinam ſit hic Auguſtus, nemo ſane divinaret.*

ex quo uno impetu hauſto coram Tiberio adhaeſit *Tricongii* cognomen Novellio Torquato Mediolanenſi . Plin. XIV. cap. 22. Mihi perſuadeo, elaboratos fuiſſe ſcyphos majoris vaſtitatis, ac ille Steſichori, indiciumque capio ex celebratiſſimo Neſtoris poculo, apud Homerum Il. Α. v.630. ſeqq. quod cum foret plenum, unus Neſtor manibus tollere valebat : de quo cratere, ſeu ὠοτκυφίῳ, *ovato* (2) *Scypho*, cujuſmodi fuiſſe reor, vide quae diſſerit Athenaeus loc. cit. Ad hanc ferme vaſtitatem acceſſiſse videtur Scyphus a Coccejo in Phratria dedicatus; quandoquidem ex noſtra inſcriptione datur intelligere, illum quinquaginta libras & uncias quatuor pependiſse .

Verſ. *6. Scyphum* ΕΚ Λ ΝϚ. Verſ. 7. ΟΥ ΔϚ . Cl. Vir Matthias Zarrillus (quem honoris & veteris amicitiae cauſa nomino) Cuſtos Muſei Farneſiani Regis noſtri, omnigena eruditione commendandus, duobus abhinc annis a me ſtudioſe rogatus, ut exemplum hujus inſcriptionis, prout editum a Martorellio fuerat, accuratiſſime cum autographo marmore in Muſeo Farneſiano proſtante, conferret, & ſi quid diſcrepantiae inter utrumque compeririſſet, me pro ſua humanitate faceret certiorem . Enimvero Vir amiciſsimus mihi reſcripſit, Martorellianum exemplum ex parte cum marmore congruere ; at vero in lineis ſextâ & ſeptimâ, loco τοῦ Λ Ν, & ΟΥ, uti in marmore exaratur, editum ab eo perperam fuiſſe ΔΝ, & CΥ, & in octavâ linea τὸ ΚΥΜΑΙΩΝ, (quod & ipſe jampridem animadverteram) in ΚΥΝΑΙΩΝ deformatum . Quod cum ita ſit, patet, Maffejum, Corſinum, & (3) Martorellium, qui primus exempla hujus inſcriptionis Neapoli re-

 cens

(2) Vt Scyphi in fundo ovati ſtatuerentur in menſa, plane opus erat cavo ſuppedaneo, quo Scyphi fundus inſinuabatur, uti videre licet in figlino vaſe (quae Etruſca vocant) admirandi ſane ſtupendique operis, quod Rex noſter nuper acquiſivit, & publicae eruditioni in Muſeo Capimontiano expoſuit. Scyphi fundus, ſi per manubria a ſuppedaneo, ſive baſi refixeris, in ovi ſpeciem rotundatur : baſis rotunda eſt, ſuperne aperta & ad recipiendum Scyphi fundum apta, inferne clauſa . Scyphus ovatus ex auro vocatur apud Athenaeum loc. cit. ὠὸν χρυσοῦν (*ovum aureum*) ; ſed Scyphus noſtri Regis, etſi ex figulina creta, ob operis tamen vaſtitatem, picturarum varietatem & elegantiam, auro contra non carus.

(3) Maffejus in Muſeo Veronenſi pag. CCCCLXXIX. veluti poſtico fallens clientem, ita ſe ſe ex indagine extricavit : *Scyphus . . . oblatus quo pondere, & cujus pretii fuerit, obſcurae, & detritae lapidis notae nos ſcire vetant* . Corſinus vero in Not. Graec. p. 17. interpretatur *Scyphum denariorum nonaginta*, & ΣΤτοματ (vaſis genus

cens detectae cum doctiſsimis Italiae viris communicarat, penitus a collineando ſententiae ſcopo aberraſse. Stabilita igitur genuina marmoris lectione, mecum, ſi ita libeat, ſingulares litteras interpretator: *σκύφον ἐκ Λιτρῶν* N, ΟΥγκιῶν Δ, *ſcyphum ex Libris Quinquaginta*, *Vnciis Quatuor*. Vocem *Librae* a Siculis acceptam referunt Latini. Vide Heſychium in Λίτρα. Siculis autem Λίτρα vocabatur Ὀβολός, qui nummus olim librilis erat, hinc Romani de illo pondere *librae* vocem adoptarunt. Conſule Salmaſium ad Solinum p. 458. Itaque duae litterae ſingulares, Λ & N, una vocis λίτρας initialis, altera numeralis, ſignant *Libras quinquaginta*. Poſt enumeratas libras ſingulari litterâ Λ expreſsas, in proclivi eſt colligere, τὸ ΟΥ eſse initialem bivocalem vocis ΟΥγκία (*uncia*), quam itidem Latini arripuerunt a Graecis Siciliae. Adi ſis Pollucem IX. 80. Ex accurata porro minutaque ponderatione Scyphi per libras L. & uncias IV. appenſi, haud temere eſt ſuſpicari, Scyphum ex metallo pretioſo, ac facile ex (4) argento fuiſse conflatum. Donariis enim, quae dedicabantur in Templis, apponi ſolebat ponderis notatio, ut ea Aeditui ſarta tecta tuerentur. Vide Maffejum *Muſ. Veron.* pag. XXXVIII. Proſtat inſcriptio apud Reineſium Cl. I. 273. ubi *ſignum aeneum*, & *cereolare ex argento*, ſuſtinendis cereis aptum, dedicatur. Illius donarii, utpote ex *aere*, nulla traditur ponderatio; alterius vero, quia ex *argento*, modulus definitur, ALT. PED. I. SEMIS. ne ſcilicet aliud pro alio fraudulenter ſupponeretur.

Latus dextrum litterarum numeralium N & Δ a nota ϛ; hactenus irrepertâ, nihilque explorati ſignificante, clauditur. An appoſita ea nota fuerit, uti nihil amplius ob vacui opportunitatem fraudulenter adderetur? Sane noſtri amanuenſes, ubi ſummam aliquam numeralium notarum deſcripſerunt, *ἀμέσως* (*immediate*) quicquid mundi ſpatii adhaereſcit, eâdem averruncandae fraudis causâ, hoc tranſverſi calami tractu illinere, & infuſcare ſolent. An

nus apud Pollucem X. ſegm. 68.) *denariorum nonaginta*. Denique Martorellius: *Scyphum quatuor & quinquaginta ſextariorum*, & ΣΥμπλον (quod a latino *Simpulum* effigiatum retur) *quatuor ſextariorum*. Itaque notam ϛ ille habuit loco τοῦ *Koppa*, quod *nonaginta* denotat, hic pro *Sextario*. Operam uterque luſit.

(4) Antiqua Scyphorum materies ex argilla erat; poſtea Boeoti (uti Athenaeus XI. 426. refert) primi argenteos ſunt fabricati. Ex qua Dipnoſophiſtae animadverſione conjicio, Scyphos, uti vulgaris conſuetudo ferebat, ex eo conflatos metallo.

Digitized by Google

An potius eâ notâ ſignatur id, quod Latini per ſiglam N, h. e. *Numero*, adjicere ſummae jam expreſſae ſolebant? Enimvero Graeci ex pluribus veterum ſcriptorum exemplis idem iactitaſſe produntur. Pauſanias V. 10. (Ἀσπίδες &c) *Clypei affixi ſunt inaurati* (μία κὴ εἴκοσι Ἀριθμὸν) *viginti & unus Numero*. Vide H. Stephanum in Ἀριθμὸς, ubi producto hoc Xenophontis teſtimonio, Ἀριθμὸν ἔλεγον εἰς δώδεκα μυριάδας, ſubjungit, *Ponunt autem* Ἀριθμὸν *per accuſativum in quibuſdam loquendi generibus, ubi nos dicimus* Numero *per ablativum*. Verum Graeci uſi etiam ſunt ablativo, uti tum aliunde conſtat, tum ex Reg. II. cap. 21. v. 20. ubi de Madone Sedigito: *Et erat vir Madon, qui ſenos in manibus, & ſenos in pedibus habebat digitos*, (εἴκοσι τέσσαρες Ἀριθμῷ) *viginti quatuor Numero*. Itaque quod Latini per ſiglam N, h. e. *Numero*, hoc idem Graeci per notam ϛ, h. e. Ἀριθμῷ expreſſiſſe videntur. Sed unde, roget quis, conjectura capitur, notam illam Graecanicam ϛ, cujus de notione quaeſtio eſt, *Numero* reſpondiſſe Latinorum? Procul dubio eſt, Notas hujus generis fuiſſe a ταχυγράφοις excogitatas, iis praeſertim, qui ab aliis dictata excipiebant; qui ut velocius ſcriberent, σημείοις (*ſignis*) quibuſdam ſive *notis* ad arbitrium effictis, utebantur: inde dicti *Notarii*. De Latinorum *Notis* exſtat indiculus ad calcem Tomi IV. Inſcrip. Gruteri. *Notas* Graecorum edidit Du-Cangius ad calcem Tom. II. Lexici *Med. & Inf. Graec.* In hujus indiculi pag. 11. lin. 20. nota ξ redditur Ἀριθμὸς, quod notae ſignum non admodum a noſtri marmoris nota ϛ abludit. Quicquid inter utramque notam eſt diſcriminis, rejice in ſcalpri lapidarii difficultatem, quae nulla ferme eſt in calamo ſcriptorio. Satis ſuperque fuit lapicidae, notam illam utcumque adumbrare & exhibere; quandoquidem ſalebroſum ipſi erat, ſcalprum per tot ſinuum amfractus, quot in ξ numerantur, circumducere. Huic meae conjecturae illud objici poſſe reor, quod inſolens lapicidis fuerat, notas ταχυγράφων uſurpare. Cui difficultati, ne diutius hac ſuper re lectorem detineam, infra (5) ſatisfaciam.

Nam-

(5) Quin numerales notae fuerint antiquitus uſurpatae, dubitari nequit. Vide Caſaubonum ad Suetonium in Galba extremo cap. V. & Seldenum ad Marm. Arundel. p. 162. Ceterum quid vetat, quominus lapicidae aliqua notâ a tachygraphis excogitata, uſi fuerint? Enimvero tachygraphi latini, quo *Centuriam* ſignificarent, elementum V, ſiniſtrorſum in latus incumbens in hanc ſpeciem 7, effigiarunt: quod σημεῖον (*ſignum*) potius, quam littera erat; attamen haec nota in lapidibus ſaepe viſitur.

Namque praeſtat nunc, quod maxime in hac inſcriptione animadvertendum ſupereſt, exponere & illuſtrare.

verſ. 6. ΘΕΟΙΣ ΦΡΗΤΟΡΣΙ ΚΥΜΑΙΩΝ, *Diis Phratriis Cumanorum*. Pro ΚΥΜΑΙΩΝ Martorellius ΚΥΝΑΙΩΝ legerat, ab eoque ſubmiſſum exemplar fraudi fuit Maffejo & Corſino, ut in eumdem incurrerent (6) errorem: indeque Κυναίους interpretatur *Alexandrinos*, utique ab *Anubide*, quem deum Aegyptii canino capite effingebant. Praeterea metatur Martorellius *Phratriam Cynaeorum* in regione *Nili*, ſic vulgo cognominata a ſimulacro marmoreo fluvii cognominis, in praegrandi decumbentis baſi, ubi fama apud cives noſtros percrebuit, Alexandrinos (7) habitaſſe: denique ne hoc uno tibicine imaginarius *Cynaeorum* populus fulciretur, veterem probamque inſcriptionem, ubi cujuſdam Οἰναίου mentio fit, audacter corrupit, ejuſque loco Κυναίου ſuppoſuit (8). Fabulae. Κύμαιοι, h. e. *Cumani*, qui in marmore ſe dant conſpiciendos, perſonatos Κυναίους h. e. *caninos* ſeu *impudentes*, una voce exſibilant & exſecrantur.

Nihil autem vulgatius eſt apud veteres Graecos Latinoſque Scriptores, quam *Neapolitanos* fuiſſe origine *Cumanos*: verum haec origo quam in partem accipienda ſit, paullo poſt diſquiretur. Atqui recentiores litterati viri in hoc minime conveniunt, unde ter-

(6) Errandi occaſio haec omnino fuit. Altera linea perpendicularis, quae a dextro legentis latere claudit elementum M, forte fortuna in marmoris rimam (quam Itali *pelo* vocant) incidit; indeque Martorellius, eum ſulcum non conſulto exaratum a lapicida, ſed a vena marmoris fatiſcente apertum arbitratus, ΚΥΝΑΙΩΝ pro ΚΥΜΑΙΩΝ delineavit. Si ea refingendi licentia abiret impune, facultas quoque daretur deturpandi Strabonis, atque ubi apud ipſum lib.V. p.246. legitur, Νεάπολις ΚΥΜΑΙΩΝ, emendaret quis, Νεάπολις ΚΥΝΑΙΩΝ.

(7) Si vera noſtri majores praedicant de incolatu Alexandrinorum in ea urbis regione, tunc judicandum foret, hos homines ex eo Alexandrinorum grege exſtitiſſe, qui gymnicas artes Neapoli exercebant. Vide quae de hiſce artificibus in *Palaeſtra Neapolitana* adnotavi.

(8) Exſtat hoc marmor apud Gruterum LXXXVI. 2. ibique monetur, *ex Delo Venetias translatum*: ubi ΕΠΙ ΙΕΡΕΩΣ ΣΩΣΙΩΝΟΣ...ΟΙΝΑΙΟΥ, *Sacerdote Soſione . . . Oenaeo*. Martorellius vero p. 642. interpretatur *ſub Fretrarcho Soſione . . . Cynaeo*, nimirum Neapolitanae *Phratriae Cynaeorum*, ſuſpicaturque hoc ſaxum, non e Delo, ſed Neapoli avectum Venetias. *Oenaeus* hujus loci eſt municeps *Demi* ſive *Pagi* Attici. Vide Corſinum Faſt. Attic. Diſſert. V. p. 239. *Delus* vero Atticae juriſdictionis erat. Conſule Salmaſium ad Spartiani Hadrianum cap. 20. ubi De *Novis Athenis Hadrianis*, quae inſula eſt *Delus*. Haud igitur mirum eſt, civem Athenienſem in inſula *Delo* geſſiſſe *Sacerdotium*.

terrarum Cumani', *Cumarum* in Campania conditores, ſint arceſſendi, ex *Cyme* ne Aeolica, an Euboica. Scaliger pro Aeolica, Herodoti patria, Caſaubonus ſtat pro Euboica. Pro Caſaubono faceret Stephanus Ethnicographus, qui praeter Aeolicam, aliam quoque *Cymen* in Euboea recenſet. Sed Lucas Holſtenius in Caſtigationibus Stephani in v. Κύμη, ſolidis argumentis oſtendit, nullam in *Euboea* exſtitiſſe *Cymen*, eamque non aliunde Stephano in mentem veniſſe, niſi quod cum *Cumas* a latinis ſcriptoribus didiciſſet definiri *Euboicas*, alteram in *Euboea Cymen* ſuppoſuerit. Enimvero Strabo, qui Euboeae inſulam veluti per ſpithamas menſus eſt, & accurate deſcripſit, nullam in Euboea Cymen recognovit: contra ubi colonias in Aeolia recenſet, *Cymen*, & *Lesbum* ſupra ceteras urbes extollit, eaſque veluti reliquarum urbium matres fuiſſe refert Lib. XIII. p. 622. Quam ob rem cum Geographus Lib. V. p. 243. de *Cumis* Campaniae differens, doceat, haſce fuiſſe conditas ab Hippocle *Cymaeo*, & Megaſthene *Chalcidenſi* (9), omnino judicandum eſt, ab eo deſignari *Cymen* Aſiae minoris, de qua honorifice loquitur, non vero *Cymen Euboeae* commentitiam, de qua nullum uſpiam verbum fecit. Sed ipſum Strabonem l. c. audiamus: *Duces coloniae* (ad mare Tyrrhenum deductae) *Hippocles Cymaeus, & Megaſthenes Chalcidenſis, inter ſe pepigerunt, ut alterius populi colonia, alterius coloniae appellatio eſſet; urbs itaque Cymes nomen gerit; videtur autem a Chalcidenſibus condita fuiſſe.* Duo igitur populi *Cumanus* & *Chalcidenſis* unam civitatem in *Campania* conſtituerunt, hoc pacto convento, ut Colonia juris Chalcidici foret, hoc eſt, ut Chalcidem *Euboeae* tamquam metropolin revereretur; ſed urbis ὀνομαποθεσία (*nominis impoſitio*) *Cumanis* Aſiae minoris deferretur. Verum Poëtae, pro more ſuo antiquitatis eruditionem affectantes, & ad utrumque Cumanum, & Chalcidicum ſive Euboicum, populum intendentes digitum, *Cumas Euboicas* denominarunt; ut in illo Virgilii Aen. VI. 2.

Et tandem Euboicis Cumarum allabitur oris.

At

(9) Hic e *Chalcide Euboeae*, quae μητρόπολις reputata eſt, ratione habita tot coloniarum inde emiſſarum in Graeciam, Macedoniam, Thraciam & Italiam: ille e *Cyme Aeolica*, quae, utpote mediterranea, claſſe navali deſtituebatur. Quocirca ut *Hippocles* Cymaeos ſuos in Campaniam traduceret, opus habuit, ut ſe adjungeret in ſocietatem *Megaſtheni*, praefecto navium *Chalcidenſium*.

At haec duplex nomenclatio offucias Stephano Ethnic. fecit, ut praeter *Cymen Aeoliam*, alteram in *Euboea Cymen* incaute exſtitiſſe ſupponeret. *Cyme* in Campania, ut ab Aeolica diſtingueretur, dicta proditur in antiquioribus hujus urbis nummis, KVME LI-TERNVM h. e. ad fluvium *Liternum* (10); in nummis vero aliquanto recentioribus abeſt quidem *Liternum*, ſed exſculptae viſuntur *ranae*, aquae ſtagnantis hoſpitae, quae, ut mihi videtur, *Literni*, quod a Silio Ital. *Stagnoſum* deſcribitur, ſupplent vicem.

Poſt conditam a Pelaſgis in Campania *Eumelin*, quae poſtea *Parthenope* vocata, ut pag. 79. ſeqq. demonſtravi, errones Graeci nominis, *Cymaei* ſcil. & *Chalcidenſes* Euboici, *Cumas* in eadem Campania aedificarunt. Itaque *Eumelidae* ſive *Parthenopaei*, antiquitate antiſtant Cumanis. Quid ergo tot graviſſimis ſcriptoribus vetuſtis faciemus, qui tradiderunt, Neapolitanos origine Cumanos eſſe habendos? Strabo praeſertim, qui hanc oram Campaniae deſcribens Lib. V. p. 246. inquit: Μετὰ δὲ Δικαιαρχίαν ἐςὶ Νεάπολις Κυμαίων, *Poſt Dicaearchiam* (qui ſunt *Puteoli*) *eſt Neapolis Cumanorum*. In horum enim ſcriptorum opinionem ſentiendum foret, *Cumanos* ab origine fuiſſe *Parthenopes* conditores. Sed ſecus ſe res habuit. Pelaſgi *Eumelidae* Cumanos extorres e patria, in urbem receperunt ſuam, cumque iis aequum jus civitatis communicarunt. Cumanorum calamitatem & Parthenopaeorum humanitatem memoriae prodidit Dionyſius Halic. in principio *Excerptarum legationum*, unde docemur, anno V. C. 425. Samnites, ut

Nea-

(10) Martorellius Th.Calam. p.678. ſuadere conatus eſt, *Sylvam Gallinariam* (cujus meminit Cicero ac Strabo) prope Cumas, interpretamentum eſſe *Literni*, quam poſtremam vocem origine Phoeniciam eſſe autumat. Num, ſodes, parva inſula in mari Liguſtico, *Gallinaria* dicta, & locus *ad Gallinas* apud Suetonium in Galba cap. 1. ſunt *Literni* interpretationes? Viro Cl. impoſuit Lexicon *Rabbinico-Philoſophicum* Buxtorfii, ubi חרן *Teren*, redditur *Gallina*; hinc conjecturam capit, *Liternum* idem eſſe ac *Ad Gallinam*: non animadvertens, hujuſmodi lexicon eſſe inficeto rure inficetius, in quo ſexcenta Graeca ac Latina pariter vocabula ſtabulantur, & quae nihil aliud commune habent cum Orientali ſermone, niſi litteras, quibus Graecum vel Latinum vocabulum a Rabbinis exhibetur. Ac niſi vehementer fallor, Rabbinos puto per *Teren* exprimere voluiſſe Graecum Τρήρων, quae vox etſi preſſius denotet *Columbam*; tamen quia Grammatici veteres hanc vocem a Τρεῖν (*trepidare*) deducunt, ea affectio cuicumque pennato gregi convenit: quae trepidationis conſtitutio, inſita ab Auctore naturae animantibus pennigeris, vicem tuitionis gerit, ut animadverſo diſcrimine confeſtim extra teli jactum ſe recipiant, ut acutiſſime philoſophatur Bouſſonius.

Neapolitanos a Romanis abalienarent, ſecumque pellicerent in ſocietatem, miſſis legatis, haec inter alia fuiſſe pollicitos : *Miſſuros ſe quantiſcumque copiis opus foret ad moenium cuſtodiam . . . . ſuppeditaturos omnes belli impenſas : tum profligato Romanorum exercitu CVMAS recuperaturos ; quas Campani duabus* (11) *aetatibus ante, CVMANIS EXPVLSIS, occupaverant : ſedibuſque ſuis reſtituturos Cumanorum exſulum reliquias, quos Neapolitani a patria exactos & (πάντων ἐποιήσαντο κοινωνοὺς τῶν ἰδίων* (12) *ἀγαθῶν) OMNIVM BONORVM SVORVM PARTICIPES effecerant* : hoc eſt, in aequum jus ſuae civitatis admiſſos, & in *phratriam* (13) digeſtos.

Ex hoc autem Dionyſiano quantivis pretii loco intelligimus, Cumanos, qui Campanorum dominationem, & contumelias exſecrabantur, ſuis laribus deſertis, Parthenopen in proximo ſitam, urbem Graecam & liberam, commigrarunt. Haec porro civitas,

(11) Graece : *Γενεᾷ δευτέρᾳ πρότερον, Generatione altera antea*. Idem narrat Livius IV. 44. *A Campanis Cumae, quam Graeci tum urbem tenebant, capiuntur* ; quam calamitatem hiſtoricus attigit eo anno, quo primum Romae creati loco Conſulum fuere Tribuni militum Conſulari poteſtate. Pighius aſſignat hoc interregnum anno V. C. 333. Exinde ſi ad annum V.C. 425. perveneris, quo Neapolitani oblata ſpe recuperandi Cumas, a Samnitibus contra Romanos accendebantur, annos XCII. effluxiſſe comperies. Atqui *tres generationes* e ſententia Dionyſii Halic. annos omnino C. conficiebant, uti ex Mazochio Tab.Heracl. p. 52. adnot. 96. patet : quocirca ut *Generatio altera* hujus loci ſibi conſtet, conjiciendum eſt, Cumanos non continuo a captis Cumis ſuos deſeruiſſe lares, ſed aliquanto poſt Campanorum contumeliis fatigatos Parthenopen confugiſſe. Hoc autem adnotaſſe haud valde pigebit : nam Camillus Peregrinius Diſſert. III. *Apparatus in Hiſt. Camp.* §. XI. *Generationem Secundam* hujus loci Dionyſii in *Tertiam* jubet eſſe refingendam.

(12) Quam JCti latini *Bonorum poſſeſſionem* vocant, Graeci l. 117. de Regulis Juris, reddiderunt Ἀγαθῶν διακατοχήν.

(13) Demoſthenes in Neaeram, ubi recitat Decretum de data Plataeenſibus civitate Athenienſi, *jus habeant* (inquit) *omnium ſacrorum & profanorum . . . Plataeenſes autem* (*κατανεῖμαι εἰς τοὺς δήμους, καὶ τὰς φυλάς*) *in Pagos, & Tribus diſtribuantur*. Saepenumero adnotavi, Δήμους Atticos a Latinis reddi *Pagos*, ut Livii & Feſti auctoritate comprobavi. At quos Δήμους Attici, Neapolitani veteres, Homeri exemplum ſecuti, Φρητρίας nuncuparunt. Quin immo ipſi Graeci Scriptores Dionyſius Halic. & Plutarchus, diu in Italia commorati, quas Latini *Tribus*, & *Curias* (quae ſunt partes Tribuum), facile Neapolitanorum exemplo, denominarunt Φυλάς, καὶ Φρατρίας. Vide ſupra pag. 53. Cumanis ergo in civitatem Parthenopaeorum receptis, conſequens fuit, ut ibi ſuam peculiarem *Phretriam* colerent. Hinc Θεοὶ φρήτορες Κυμαίων hujus inſcriptionis.

Digitized by Google

hinc tacta tot profugorum commiſeratione, hinc reputans, ſpatia ſuae urbis confluenti multitudini non poſſe ſufficere, locum ſuis moenibus proximum extorribus aſſignavit Cumanis, ipſoſque cives ſuos fecit, atque in unam *Phratriam* contribuit. Atque hic Δῆμος ſive *Phratria*, temporis tractu in juſti populi evadens numerum, in alteram urbem excrevit. Tunc primum factum fuiſſe opinor, ut urbs antiqua Parthenope, quae Cumanos in ſuam civitatem adſcivit, *Palaeopolis* (14) appellari coeperit, habita ſcilicet ratione novae numeroſaeque ſtationis Cumanorum, quae utpote recentior, pro more *Neapolis* audierit: ut *Neapolis* Syracuſarum, de cujus nominis cauſa ita Cicero in Verrem IV. 53. *Ea tamen eſt urbs, ut ex quatuor urbibus maximis conſtare dicatur* (Inſula, Acradina, Tyche): *quarta autem eſt urbs, quae quia POSTREMA aedificata eſt, NEAPOLIS nominatur.*

Sed audiamus Livium VIII. 2. de Bello Palaeopolitano dicere aggredientem: *Palaepolis fuit haud procul inde, ubi nunc Neapolis ſita eſt: duabus urbibus populus idem habitabat. Cumis erant oriundi. Cumani ab Chalcide Euboica originem trahunt. Populus*, inquit, *idem*, ob (ἰσονομίαν) *aequale civitatis jus*, non quia ex una origine prodierit; quandoquidem *Palaeopolitae* ex Pelaſgico oriundi erant genere, ut pluribus ante oſtendi, praeſertim ubi Phratrias *Eumelidων* & *Eunoſtidων* expoſui: at *Neopolitae* ex urbe *Cumis* advenerant; ac propterea a Strabone Νεαπόλις Κυμαίων (*Neapolis Cumanorum*) cognominatur. Vt ut autem Strabo dicat, *Cumas antiquiſſimam omnium eſſe Sicularum & Italicarum* coloniarum; Colonia tamen deducta *Phaleram*, quae poſtea *Parthenope*, Coloniae Cumanae longe ſuperat aetatem: id quod paucis ſic concludi poteſt. Antiquiſſimi *Phaleri* conditores dicti comperiuntur *Eumelidae* & *Pheretiadae* (vide dicta pag. 77. 79. 101.). Eumelus autem, qui bello Trojano pro Graecis ſteterat, *Admeti* erat filius, *Pheretis* nepos, & rex *Pherarum* in Pelaſgiotide. Poſt migrationem Aeolicam, ac proinde poſt Iliacam calamitatem, *Theſeus ex primariis Theſſalorum fuit, qui Cymen condiderant, ab Eumeli filio oriundus*, uti in vita Homeri proditur. Porro ex urbe *Cyme* Aeolica profectus Megaſthenes ſimul cum Hippocle Euboico, *Cumas* in Campania condidit. Itaque *Cumae Campaniae* conditae fuerunt

(14) Vt Παλαιὰ Πόλις Emporienſium apud Strabonem lib. III. p. 160.

runt poſt *Phalerum*, ſive *Parthenopen*. Ergo graviſſimus auctor Strabo, qui antiquitatis praerogativam defert Cumis, inſimulabitur anachroniſmi? Minime gentium: Geographus enim in mente habuit comparare inter ſe Colonias *Hellenicas*, & primas attribuit Cumis Campaniae; nullâ prorſus habita ratione Coloniarum *Pelaſgicarum*, quae longo intervallo praeiverunt Hellenicis. Ac vide, quaeſo, qua certa ſpe fiduciaque Cumani profugi e patria, πανοικεὶ i. e. cum tota quiſque familia ſua, Parthenopen demigrarint: confiſi nimirum ſuorum conſanguinitate Conditorum; namque *Eumelidae*, ſive *Pheretiadae*, qui poſtea Parthenopaei, conditi fuere ab *Eumelo*, *Pheretis* nepote, qui Eumelus progenitor fuit *Theſei*, *Cymes* in Aeolia conditoris; ex *Cyme* porro veluti traduces pullularunt *Cumani* Campaniae. Itaque Eumelidae Pheretiadae, & Cumani, tamquam conſanguinei ſunt habendi.

Ex quo Cumani urbem *Parthenopen* confugerant, iiſque ſtatio in vicinia urbis antiquae fuerat aſſignata, priſcum *Parthenopes* nomen antiquatum fuit, nec niſi ab affectatoribus antiquitatis interdum uſurpatum. Populus tamen idem, ut inquit Livius, duabus urbibus habitabat; & quemadmodum recens ſtatio Cumanorum *Neapolis*, ita per oppoſitionem illa altera urbs vetuſta, *Palaeopolis* fuit tranſnominata, & cives *Neopolitae*, ac *Palaeopolitae*. Inciderunt porro tempora (quae anno V. C. 425. & ante natum Chriſtum 329. conſignantur) queis *Palaeopolitae* a Samnitibus, perpetuis Romanorum hoſtibus, praeoccupati illectique, contra Romanos belligerarunt: at vero *Neopolitae* alia omnia pectore premebant. Publilius Philo Coſ. cum exercitu huc a Rom. Senatu miſſus, operaque & auxilio *Neopolitarum* adjutus, Samnites, eorumque fautores *Palaeopolitas* anno ſequenti profligavit. In lapidibus Capitolinis:

Q · PVBLILIVS · Q · F · Q · N · PHILO · II
PRIMVS · PRO · COS · DE . SAMNITIBVS
PALAEOPOLITANEIS

Publilius ergo de Palaeopolitanis triumphavit, & urbem Palaepolim in deditionem recepit. Vide Annales Pighii ad ann. 426. Porro Neapolitani foedus cum Romanis icerunt: *eo enim* (inquit Livius VIII. cap. 26.) *deinde ſumma rei Graecorum venit*. Meminit quoque Polybius lib. VI. foederis Neapolitani: *Exſulibus impune*

pune degere licet Neapoli, *item Praeneſte*, *Tibure*, *aliiſque in urbibus* (πρὸς ἃς ἔχουσιν ὅρκια) *quibus foedera intercedunt* . Poſtea nulla amplius de *Palaeopolitanis* dedititiis mentio apud Scriptores prorſae vel vorſae orationis comparet : ſoli dumtaxat *Neapolitani* in vett. nummis ſignati conſpiciuntur. Qua ex animadverſione colligendum eſt, veteres noſtrates nummos, ubi ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ legitur, haud ultra epocham Neapolitani foederis cum Romanis, eſſe retrahendos.

Verumtamen eo tempore Neapolitani infenſiſſimos hoſtes in ſocietatem ſuae civitatis haud ſponte ſua receperunt; uti liquet e Strabone V. p. 246. *Poſtremo* (Neapolitani) *obortis diſſidiis Campanos* (15) *quoſdam in urbem civium loco receperunt* ; *coactique ſunt inimiciſſimos loco familiarium habere*, *cum ſuos abalienaſſent* . Neapolitani hîc praeciſe intelligendi ſunt ii, quibus opponuntur *Palaeopolitani*, nempe illi *Cumani*, qui Campanorum (16) injuriis oppreſſi, in urbem Parthenopen fuerunt recepti : *Sui* contra, quos a ſe abalienarunt Neapolitani, omnino capiendi ſunt *Palaeopolitani*, ejuſdem ſcilicet civitatis olim conſortes, quos niſi *obortis diſſidiis* Neapolitani deſeruiſſent, ne dicam prodidiſſent, neque Ro-

(15) Camillus Peregrinius in Apparatu ad hiſtoriam Campanam Diſſertatione IV. §. XI. conatus eſt oſtendere, *Campanos* Neapolitanis inſenſos, intelligendos eſſe *Nolanos*, quia hi in themate Campaniae cenſentur : ſed incaſſum, ut mihi videtur. *Nolani* in Excerpt. legat. Dionyſii deſcribuntur (σφόδρα τοὺς Ἕλληνας ἀσπαζόμενοι) *Graecae gentis ſtudioſiſſimi* ; & ipſi quoque Oſca ferrugine deterſa Graeciſmum induerant, uti cernere licet in Vett.nummis, ubi ΝΩΛΑΙΩΝ. Praeterea Nolanorum legati, ut in laudata legatione legitur, contendebant a Neapolitanis, ut pro Samnitibus contra Romanos ſtarent. Denique *Campanos* h. e. Capuae municipes, jure meritoque oderant Neapolitani, quia ſui majores aperto Campanorum latrocinio ex urbe Cumis exciderant. Vide adnot. ſeq.

(16) Strabo lib. V. p. 243. *Atque ab initio quidem urbs ea* (Κύμη) *fortunata fuit* : *& quae de Phlegraeis campis fabulantur*, *ac re ibi cum gigantibus geſta*, *non aliunde videntur orta*, *quam quod eam regionem ob ſoli virtutem multi ſibi certatim vindicarent*. *Poſtea temporis* (Καμπανοὶ) *Campani urbe ea in ſuam redacta poteſtatem*, *cum alias multas contumelioſas injurias civibus intulerunt*, καὶ δὴ ταῖς γυναιξὶν αὐτῶν συνῴκησαν αὐτοί. Cumas quoque *a Campanis* captas retulit Livius, cujus locum vide ſupra adn. 11. Apud Dionyſium denique Samnites Neapolitanis (qui duabus aetatibus ante cum Palaeopolitanis unam conficiebant civitatem) ſpem certam faciunt, ipſos Cumas recuperaturos, quas *Campani*, Cumanis expulſis occuparant. Tot igitur Scriptoribus in *Campanos* conſpirantibus, temere eſt culpam in *Nolanos* rejicere.

Digitized by Google

Romani de Palaeopolitanis triumphaſſent, neque ipſi Neapolitani coacti fuiſſent, *Campanos* majorum ſuorum Cumanorum hoſtes infenſiſſimos, in aequum jus civitatis admittere. Campani autem, quibus ſeptem vel octo annis ante bellum Palaeopolitanum data civitas Romana fuerat, ob egregiam operam, eo in bello fortaſſe navatam, a Romanis, uti fit veriſimile, vacuos Palaeopolitarum lares impetrarunt. Ac revera Campanos & Neapolitanos eamdem ſimul urbem coluiſſe, illud praeterea argumento eſt, quod idem Strabo paullo poſt adnotavit: *Nomina Magiſtratuum* (urbis Neapolis) *principio Graeca*, *poſtea* (Καμπανικὰ) *Campanica*. At cur, ſodes, ab eo vocantur *Campanica*, & non potius, *Romana*, aut *Latina?* Conjiciendum igitur videtur, illud vocabulum a Geographo data opera fuiſſe praelatum, ut intento veluti digito demonſtraret, quiſnam principio populus latini oris purum hactenus Graeciſmum Neapolitanum corruperit: *Campanus* nimirum, cujus populi antiqua ſtatio adhuc in urbe noſtra, *Capuana* vulgo nuncupata, perennat; qua in regione detectum nuper ſepulcretum, de quo locutus ſum pag. 130. patefecit plures inſcriptiones latinas, quarum in una mentio fit *M.Tullii Dionyſii*, qui fuerat Ciceronis & Attici libertus. Ergo per hoſce Campanos, qui jampridem Oſcam linguam in Romanam inverterant, ſulcatus eſt alveus (ut Juvenalis Sat. III. v. *62*. de Oronte fluvio Syriae, in Tiberim ſe exonerante, verba uſurpem), qua Tiberis in Sebetum deflueret noſtrum, ſecumque *linguam & mores* veheret.

CAP. VIII.

C A P V T VIII. Ἀντινοΐτων.

Hadrianus Auguſtus Neapoli Demarchus. *Phratria* Antinoiton *a Neapolitanis in gratiam* Hadriani *inſtituta. Spartiani locus male vexatus; ubi* τὸ Gallus *in* Κάλλος *refingendum oſtenditur. Aliquot Latina vocabula deſperatae ſignificationis, ut* Procer *&* Atac, *Graecis elementis exaranda.* Pantheum *ab Hadriano Athenis, Romae, ac Neapoli aedificatum, ut callide* Antinoi *cultum occuleret.* Pantheum *Neapolitanum, ubi nunc ſtat Aedes S. Joannis Majoris, & olim Omnium Sanctorum: qua in Aede noſtrorum majorum aetate adhuc Antinoi protome proſtabat. Menſis* Panthewn *a veteribus Neapolitanis uſurpatus, ab dedicato* Pantheo *arceſſitur.*

P · SVFENATI · P · F · PAL · MYRONI
EQVITI · ROMANO · DECV
RIALI · SCRIBARVM · AEDILI
VM · CVRVLIVM · LVPERCO · LAVRENTI
LAVINATI · FRETRIACO · NEAPOLI · ANTI
NOITON · ET · EVNOSTIDON · DE
CVRIONI · IIII · VIRO · ALBA
NI · LONGANI · BOVILLEN
SES · DECVRIONES · OB · ME
RITA · EIVS · L · D · D · D

PRoſtat haec inſcriptio apud Fabrettum pag. 456. Mirandum haud eſt, Neapolitanos, Hadriani Auguſti gratiam affectantes, Phratriam de *Antinoi* nomine compellaſſe; Athenienſes enim ad hujuſmodi adulationis ſpeciem praeluſiſſe videntur. Hadrianus plurima atque eximia beneficia contulerat in Athenienſes; hi vero in grati animi ſignificationem, & majorum (1) ſuorum veſti-

(1) Decem Tribubus, in quas Cliſthenes populum Athenienſem ampliavit (namque antea IV. numerabantur) Athenienſes in gratiam *Antigoni* ac *Demetrii* duas alias addiderunt, *Antigonidem*, & *Demetriadem*; quas poſtea tempori inſervientes, ut ſibi *Attalum*, & *Ptolemaeum* demererent, tranſnominarunt *Attalidem*, & *Ptolemaidem*. Polluc. VIII. ſegm. 110. Poſtremo tertia ac decima Tribus ſuperaddita fuit, *Hadrianis* dicta, ſcilicet ab *Hadriano* Auguſto.

Digitized by Google

ſtigiis inſiſtentes, eidem Auguſto duodecim antiquis Tribubus ſuperaddiderunt tertiam ac decimam, eamque *Hadrianidem* inſcripſerunt. Idem autem Imperator de Neapolitanis etiam fuiſſe optime meritus, inde oſtenditur, quod paſſus ſit quadam animi indulgentia Neapoli *Demarchus*, qui erat ibi ſummus magiſtratus, renuntiari. Conſule Spartianum in Hadr. cap. 19. Cives vero noſtri, ne ſtudio erga Hadrianum a Graecis tranſmarinis praetervehi viderentur, *Phratriam* (2) inſtituerunt, quam non ab Hadriani, ſed ab *Antinoi* nomine (quo nihil acceptius accidere poterat Auguſto) compellarunt. *Phratriam Antinoitωn* cum audis, continuo cogites oportet, de templo, quo convenerint Phratores, & rem ſacram ſtatutis diebus *Antinoo*, inter deos relato, fecerint: quibus obeundis ſacrificiis *P. Suſenatem Myronem Fretriacum* (3) *Antinoiton* navaſſe operam, noſtra haec inſcriptio docet. Namque eo impudentiae tunc deventum eſt, ut Graeculi Antinoum, ex catamito deum renuntiarint, templa, ſacerdotes, &, ne quid e choragio divinitatis deeſſet, oraculum, & prophetas decreverint. Vide quae ad Spartiani Hadrianum cap. 2. Caſaubonus & Salmaſius adnotarunt.

Ad conſecrationem Antinoi digitum intendit Tertullianus in Apologetico adverſus Gentes, ubi inquit: *Quum de Paedagogiis aulicis neſcio quem cinaedum deum feciſtis*. Vocabantur *Paedagogia aulica* cohortes puerorum formoſiorum, qui ſub Paedagogo Auguſtis apparebant. De *Paedagogiis aulicis* legi dignus eſt Lipſius ad Taciti Annal. XV. Excurſ. B. Antinous in Hadriani, Hadrianus ipſe in Trajani fuit paedagogiis: *Fuitque* (Hadrianus) *in amore Trajani; nec tamen ei per paedagogos puerorum, quos Trajanus impenſius diligebat*,

(2) *Phratriae*, ut antea pluribus demonſtravi, regiones urbis erant, in quas populus Neapol. erat diſtributus. Novam ne tunc Phratriam Antinoitωn cives condiderint, an veterem in Antinoi nomenclationem traduxerint, nihil habeo, quod explorate dicam. Vterque certe modus ab Athenienſibus fuerat probatus, qui vel *Demos* e finitimis Tribubus decerpere ſolebant, eoſque in novam Tribum coagmentabant; vel veteri Tribui novum imponebant nomen. Vide adnot. praeced.

(3) *Fretriacus* ſit a Φρήτρεχος, unde Φρητρεχικὸς, ut a γενέθλιος, fluit γενεθλιακὸς, quo derivato non ille deſignatur, qui munus *Phratoris* in praeſentia exſequitur, ſed qui praeterito id geſſerat tempore. Sic *Conſularis*, *Praetorius*, *Quinquennalicius* dicebatur ille, qui jam *Conſulatu*, *Praetura*, *Quinquennalitate* fuerat functus. Sacerdotia enim & Magiſtratus apud Graecos aeque ac apud Latinos, plerumque annua erant.

Digitized by Google

bat, *Gallo ſavente*, *defuit*. Spartian. loc. cit. Hunc biographi locum Gruterus, Salmaſius, & Caſaubonus corruptum judicant; Gruterus praeſertim, qui ibi ruſpatur, quis iſte *Gallus* fuerit, *nam certe* (inquit) *illud* Gallo favente, *prorſus hic ineptum*. Ineptum quidem, ſi hoc proprium viri nomen foret; at ſi ea vox Graecis exaretur elementis, apertiſſima inde ſententia eluceſcet; nimirum Κάλλει *favente*, h. e. pulcritudine favente, ſive venuſtatis commendatione, Hadrianus puer in paedagogia aulica fuit conſcriptus. Amanuenſis porro, vel graecae ſcriptionis ignarus, vel dictantem perperam excipiens, pro τῷ Κάλλει τὸ *Gallo* deſcripſit: inde *Gallus* neſcio quis in orcheſtram proſiluit. Par Graeci vocabuli latinis litteris exarati deformatio tenebras offudit loco Capitolini in Maximino cap. 2. *In pueritia paſtor*, *nonnumquam procer*, *qui latronibus inſidiaretur*. Vulgo *Procer* accipitur *dux* & *princeps*; ſed ea acceptio tum ab uſu veterum Scriptorum, tum a vocis etymologia (quam prodidi pag. 32.) longe aliena apparet. Itaque lege ſis in hoc Capitolini loco, Πρόχειρος, ſive potius Πρόχειρ (unde propius deformatus eſt *Procer*), h.e. *manu promptus*, qui latronibus inſidiaretur: quo epitheto Maximini *dexteritas* commendatur (4).

No-

(4) Plurima Graeca vocabula, ſed latinis exarata elementis, in veteribus occurrunt epigraphis. HERA in epigr. Reineſii V. 38. eſt *Juno*. CORA apud Grut. CCCIX. 2. & 3. intelligitur *Proſerpina*. DEMETER ſive *Ceres* in Puteolano titulo, quem protuli in Palaeſ. Neap. p. 162. Quam animadverſionem ſi antiquarii in conſilium adhibuiſſent, facile τὸ ATIS in bilingui inſcriptione Campana ſuiſſent interpretati. Ea epigraphe edita primum fuit a diligentiſſimo Viro Camillo Peregrinio *Hiſtor.Camp.* Diſsert.IV.

ΔΕΣΠΟΙΝΗ ΝΕΜΕΣΕΙ
ΚΑΙ ΣΤΝΝΑΟΙΣΙ ΘΕΟΙΣΙΝ
ΑΡΡΙΑΝΟΣ ΒΩΜΟΝ
ΤΟΝΔΕ ΚΑΘΕΙΔΡΤΣΑΤΟ
IVSTITIAE NEMESI
ATIS QVAM VOVERAT ARAM
NVMINA SANCTA COLENS
CAMMARIVS POSVIT

Cuperus in Harpocr. veritus fortaſſe, ne ſi legeretur ATIS, hexamerer propter occurrentium ex adverſo vocalium eliſionem clandicaret, auctor fuit, ut ejus vice ſupponeretur FATIS. Aſt hic, ut ſaepe alibi, ſynaloephe interquieſcit, ut in illo Virgilii: *Stant & juniperi*, *& caſtaneae hirſutae*. Praeterea quid *Fata*, quae a poëtis *caeca* deſcribuntur, commune habent cum *Juſtitia* & *Nemeſi*, quae non temere, ſed certa cum ratione gladio & flagellis armantur? At ſi ATIS a Graeco repetieris ΑΤΑΙΣ, ut *Muſis* a Μούσαις, confeſtim animadvertes, hac in epigraphe *Atas* illa numina deſignari, quae ab Euripide in Oreſte vocantur Ἄται, h. e. *Erinnyes*, facinorum ultrices. Ἄτη ſingulari numero effertur ab Homero Il. XIX. verſ. 91. ſeqq. ubi Jovis filia proditur, viviſque depingitur coloribus.

Noſtrorum Scriptorum conſtans opinio fuit, *Antinoi* templum Neapoli ibi ſtetiſſe, ubi nunc Aedes *S. Joannis Majoris*, antiquiſſimi operis, viſitur; idque arguunt ex elegantiſſima Antinoi protome marmorea, quae majorum noſtrorum aetate in eadem Aede, jampridem ad Chriſtianum uſum redacta, adhuc proſtabat, ſed poſtea in aedes Comitis Magdalonenſium translata, ac mox inde evaneſcens, ecquod hodie Muſeum exornet, ignoratur (5). Hanc autem noſtrorum hominum opinionem mihi libuit novis aliis confirmare indiciis, & utcumque oſtendere, Aedem de qua loquimur, olim *Pantheum* fuiſſe nuncupatum, & ſub *Panthei* vocabulo cultum *Antinoi* delituiſſe. E Spartiano cap. 19. docemur, Hadrianum *in omnibus paene urbibus & aliquid aedificaſſe, & ludos edidiſſe*. Incredibile dictu eſt, quot opera admirandi operis is Auguſtus reliquerit Athenis; inter alia, quae recenſet Pauſanias Achaic. p. 14. & 43. exſtitit Θεοῖς τοῖς πᾶσι ἱερὸν κοινὸν, *commune diis omnibus templum*, quod uno verbo *Pantheon* dixeris. Idem Hadrianus *Romae inſtauravit Pantheum*. Vide Spartianum loc. cit. & quae ibi Caſaubonus. Sed mirum, ni *Pantheum* quoque Hadrianus Neapoli pro Phratria *Antinoiton* aedificarit. Profecto Neapolitani inter anni menſes *Pantheonem* adoptarunt, cujus menſis nomen nuſquam gentium vidimus uſurpatum. In inſcriptione noſtra Phratriae *Ariſtaeorum* (pag. 145.) memoratur *ſeptima dies ineuntis menſis Pantheonis*. Pone nunc conſtructum ab Hadriano *Pantheum* Neapoli, & forſan in gratiam *Antinoiton*; e veſtigio reddetur ratio hujus denominationis; nimirum quia menſis ille, quo templi dedicatio abſoluta fuit, ut ut antea vocaretur, tunc ob *Panthei* ce-

(5) Celanus noſter *Die IV. Itinerarii urbis Neapolis*, ea de *Aede* poſt Laſenam *Gymnaſ. Neapol. Cap. VI.* ita diſſerit: *Queſta Chieſa . . . era Tempio d'Idoli, eretto dall'Imperatore Adriano, e come vuole il noſtro dottiſſimo Giordano, dedicato ad Antinoo, di cui quell' Imperatore pazzamente arſe; e volle che dopo morte, fuſſe qual nume adorato: la teſta della ſtatua di queſto Antinoo, che in queſto tempio ne ſtava, ſi vide nel palazzo del Conte di Maddaloni, ma poi ne fu tolta.* Jordanus, cujus meminit Celanus, praenomine Fabius eſt, qui Saeculo XVI. floruit, ac praeter non pauca ſuae doctrinae ſpecimina typis edita, reliquit *Hiſtoriam Neapolitanam*, quae MSta in PP. Teatinorum ſub auſpiciis SS. Apoſtolorum, bibliothecâ aſſervatur. De eodem templo ab Hadriano condito obiter verba fecit Pontanus *de Bello Neapolitano* lib. VI. *Nam & Hadrianus* (inquit) *Auguſtus Templum in tumulo proxime portam, quae ad mare ferebat, aedificavit mirae amplitudinis, idque poſtea collapſum ab inſequentibus eſt Principibus inſtauratum*.

lebritatem, *Pantheon* in poſterum fuit tranſnominatus. De qua menſium μετονομασίᾳ vetera ac nupera exempla abunde ſuppetunt. A recentibus temperans, antiquiora ſummis digitis attingam. Commodo Aug. imperante vetus Kalendarium ſiluit, & ſinguli menſes novam induerunt nomenclationem e. g. menſis Auguſtus *Commodi*, September *Herculis*, October *Invicti*, November *Exſuperatorii*, December *Amazonii*. Poſtremus hic anni menſis *Amazonius vocatus eſt ex amore concubinae ſuae Martiae, quam pictam in Amazone diligebat*. Lampridius in Commodi vita cap. II. Idcirco mirum videri non debet, ſi Neapolitani gratiam Hadriani aucupantes, menſem, quo *Pantheon* in honorem Antinoi ſui dedicatum fuerit, *Pantheonem* appellarint.

Sed roget quis, quo tanta in aedificandis *Pantheis* veſania Hadriani collinearit? nimirum, ut in communi *Omnium deorum* templo Antinoum ſuum, jam a Graeculis *ſe volente* inter *conſentes deos* conſcriptum, callido conſilio ab omnibus colendum proponeret, ac ſimul reprehenſione vacaret: alioquin ſi catamito ſuo peculiarem aedem dedicaſſet, procul dubio in Romani nominis indignationem incurriſſet; contra dedicato a ſe *Pantheo*, omnes quidem *deos conſentes* in exoſtra, ut ita dicam, proponebat conſpiciendos, at vero poſt ſiparium abdebat *Antinoum*. Accedebat etiam quod Antinous in varias numinum ſpecies figurabatur, *Bacchi*, *Mercurii*, *Apollinis* (vide Reimarum ad Dionis lib. LXIX. p. 1160.); adde etiam *Panis*. Exſtat apud Vaillantium Numiſm. Imp. Graec. p. 40. numiſma inſcriptum ΑΝΤΙΝΟΩ ΠΑΝΙ, *Antinoo Pani*. Quamobrem ſi multiformes numinum ſpecies, ac maxime *Panis*, quem Arcades *Naturae Deum* (Macrob. Saturn. I. 22.) habebant, tecum reputaveris, haud aegre perſuadeberis, Hadrianum ſub *Panthei* denominatione, occulere *Antinoum* voluiſſe. Quamobrem ſi quis omnia ſimul intueatur, Graecos *volente Hadriano*, ut inquit Spartianus, conſecraſſe *Antinoum*; ſtudium Hadriani in *Pantheis* conſtruendis; Phratriam *Antinoitων* a Neapolitanis inſtitutam, in eademque urbe menſem *Pantheonem* obſervatum; minime, puto, haeſitabit, quin Hadrianus *Pantheum* Neapoli in *Antinoi* honorem aedificarit.

Quod porro Neapolitanum *Pantheum* Hadriani fuerit in aedem Divi Joannis Bapt. reformatum, id alio indicio ſuadere me poſſe confido. Bonifacius IV. Pont. Max. ineunte VII. Saeculo flagitavit a Phoca Imp. ut facultatem ſibi faceret redigendi ad uſum

Chri-

Digitized by Google

Chriſtianorum Pantheum ab Agrippa in urbe Roma conſtructum, atque ab Hadriano inſtauratum. Voti compos factus Pontifex Max. *Pantheum* in honorem *Divae Mariae*, *atque* OMNIVM SANCTORVM dedicavit. Quiſque advertit, Pontificem in recentiore Eccleſiae nuncupatione invariatam veteris *Panthei* ſignificationem retinuiſſe. Neapoli autem anno 1743. praeter omnium expectationem detectae fuerunt duo oblongae tabulae marmoreae in hodierna aede *S. Joannis Majoris*, in quibus exarati conſpiciuntur *Omnes Sancti*, quorum memoria in Eccleſia Neapolitana colebatur, per ſingulos cujuſque menſis dies digeſti. Jam vidimus Hadriani ſtudium in aedificandis *Pantheis*, ut ibi *Antinoum* (quem Graeculi in Hadriani Aug. gratiam σύνθρονον τῶν θεῶν, *inter deos conſentes* adſcripſerant) citra reprehenſionem colendum proponeret. Deinde e Phratria *Antinoiton*, &, quod caput eſt, e menſe *Pantheone*, confeci, Hadrianum Aug. reipſa Neapoli condidiſſe *Pantheum*. Praeterea, ut a litteratis noſtratibus viris intelleximus, *Antinoi* elegantiſſima protome marmorea in hodierna aede *S. Joannis Majoris* proſtabat, in qua ſcilicet aede fuit aetate noſtra repertum Kalendarium *Omnium Sanctorum*. His omnibus animadverſionibus in conſilium adhibitis adſtruendum eſſe videtur, Epiſcopum Neapolitanum, quiſquis (6) ille fuit, aemulatum fuiſſe Bonifacium Pontificem Maximum, & reformaſſe *Pantheum* Neapolitanum in Eccleſiam *Omnium Sanctorum*, quorum *Divus Joannes Baptiſta* haberetur anteſignanus, ſecundum Chriſti Redemptoris elogium: *Non ſurrexit inter natos mulierum major Joanne Baptiſta*. Matthaei XI. 11. Itaque Kalendarium *Omnium Sanctorum* ea in Aede Chriſtianis temporibus propoſitum, interpretamentum quodammodo fuit, vicem certe gerebat, antiqui *Panthei*, quod Hadrianus Neapoli aedificarat.

(6) Vulgaris opinio eſt (quam ſecutus eſt Chioccarellus noſter) a Joanne, quem medio ferme VI. Saeculo Neapoli ſediſſe volunt, hanc aedem fuiſſe conſtructam. Sed Mazochius, qui primores ſex menſes Kalendarii Neapolit. omnigena ſacra profanaque eruditione illuſtravit, Diatribam de aetate marmorum Kalendarii Neapolitani praefixam Tomo I. ſui commentarii, in hunc modum abſolvit: *Conſtat igitur, hos Faſtos marmoreos omnino poſt annum* 818. *& ante annum* 877. *ſcalpi debuiſſe*. Nono igitur ſaeculo Faſti marmorei fuerunt in aede Divi Joannis Baptiſtae propoſiti: ſed aedes primum ab Hadriano Aug. aedificata, poſtea collapſa, ut a Pontano docemur, ab inſequentibus Principibus, h. e. Ducibus Neapolitanorum, fuit inſtaurata. Vide adnot. praeced.

CAPVT IX.

De Commentitiis Phratriis, Agarrheenſium & Eumidarum.

PRaeter octo Phratrias hactenus enumeratas, an aliae exſtiterint Neapoli, praeſtare non auſim. Reineſius Cl. VI. 37. vir magni nominis, cum *Theotadas* in Phratriarum album recenſuit, ab acumine ingenii ſui deſtitutus videtur: profecto Martorellius *Th. Cal.* p. 671. detracta a Theotadis phratriaca perſona, hos propalam ridendos expoſuit: quam Cl. Viri noſtri ſententiam non ſolum amplexatus ſum, verum etiam confirmavi pag. 94. Verum ipſe, totus in ruſpando Atticos ritus a Neapolitanis in rem ſuam traductos occupatus, auguratur fore, ut novi tituli litterati prodeant in lucem, qui alias novas Phratrias edocebunt, ut omnino XII. conſiant, quot nimirum Phratriae in Attica numerabantur regione. Interim is, ut ad hunc numerum duodenarium quam proxime accederet, duas octo prioribus Phratriis confidentiſſime adjunxit, eaſque de nomine *Agarrheenſium* p. 630. & *Eumidarum* 658. nuncupavit, utramque penitus exſibilandam. Agam igitur hoc loco de duabus hiſce ſuppoſititiis Phratriis, concludamque, numerum Phratriarum non a religioſa quadam duodenarii numeri obſervatione, aut ab Athenienſibus inſtitutis repetitum, ſed potius ad populorum in unam urbem coeuntium majorem minoremve frequentiam fuiſſe accommodatum.

ΟΙ ΕΝ ΤΗΙ ΑΓΑΡΡΕΙ

Bis vocabulum ΑΓΑΡΡΕΥΣ occurrit in marmore Phratriae Ariſtaeorum, quod pag. 133. protuli, ſemel verſ. 12. *Ἐν τῇ Ἀγαρρεῖ*, *in Conventu*; iterum verſ. 16. *εἰς τὴν Ἀγαρρέα πληθύουσαν*, *in Conventum plenum*. Hinc Martorellius noſter iratis Muſis extudit Phratriam *Agarrheenſium*: ob quam mirandam inventionem ita de ſe magnifice loquitur & ſentit pag. 630. *Ex eodem Ariſtaeorum ſaxo novam Fratriam docemur, praeclaro nomine* Οἱ ἐν Ἀγαρρεῖ, *& miretur quiſque mecum oportet, neminem tot illuſtrium virorum, ne Mazochium ipſum excipias, qui & de Fratriis ſcripſerunt, idque marmor lectitarunt, illam vidiſſe*. Nemo ſanus homini noſtro, quod ſibi attribuit uni, inviderit: niſi Wan-

Dalum

Dalum excipias, qui ſi vitales auras carperet, forſitan illud Horatianum occineret:

Et mihi dividuo findetur munere quadra.

namque Van-Dalus quidem Ἀγεῤῥὶν (ſic ab eo editur pro Ἀγαῤῥὶν) alterum Fratriae *Ariſtaeorum* eſſe cognomen opinatur; Martorellius vero duas diverſas agnoſcit Fratrias *Ariſtaeorum* & *Agarrhenſium*, verumtamen unam alteri proximam. Sed in praeſentia mihi non eſt animus rurſus Camarinam movere. Vide quae in *Ariſtaeorum* inſcriptionem commentatus ſum; ac praeſertim pag. 143. adn. 7. ubi ἀγαῤῥὶν negavi peculiare eſſe Phratriae cognomen, ſed omnino *conventum* aut *concionem* denotare, ut ibi ex Heſychio luculenter oſtendi.

ΕΥΜΕΙΔΑΙ

Hanc quoque Phratriam *Eumidarum* Martorellius pag. 658. exſculpſit ex quodam carioſo marmore, adhuc in urbe noſtra ſuperſtite, ſed lectionis adeo incertae, ut nonniſi qui ſomniat, & elementa ſibi videre videtur, quae alii animo oculiſque vigilantibus diſcernere diffidunt. Eam tamen inſcriptionem, ut edita fuit ab noſtro Cl. Viro, integra fide hic recudo.

ΤΗ ΘΕΙΟΤΑΤΗ ΚΑΙ ΕΥΣΕΒΕΣ
ΤΑΤΗ ΣΕΒΑΣΤΗ
ΦΡ . . . .
ΕΥΜΕΙΔΑΙ . . .

Capacius lib. I. Hiſt. Neap. cap. VII. qui recitat haec verba antiquae inſcriptionis ΘΕΙΟΤΑΤΗ ΚΑΙ ΕΥΣΕΒΕΣΤΑΤΗ ΣΕΒΑΣΤΗ, videtur idem marmor, ac editum a Martorellio, lectitaſſe. Accedit & hoc indicium, quod uterque animi pendet, eccui Auguſtae titulus hic perhonorificus ſit adſcribendus: ille enim opinatur, *Helenam* (1) Conſtantini matrem; hic vero *Fauſtinam Anto-*

(1) Capacius l. cit. mihi pag. 56. poſtquam retuliſſet latinam quamdam inſcriptionem in Helenae honorem Neapoli poſitam, haec ſubjecit: *Eidem* (Helenae) *fortaſſe alia ſtatua antea erecta fuerat, cum Graeca inſcriptione*: ΘΕΙΟΤΑΤΗ ΚΑΙ ΕΥΣΕΒΕΣΤΑΤΗ ΣΕΒΑΣΤΗ. *Quam enim aliam diviniſſimam & piiſſimam appellaſſent?* Recte, an ſecus noſter divinarit hiſtoricus, abſtineo dicere; hoc mihi ſat eſt inde elicuiſſe, inſcriptionem Martorellianam, in qua iidem Auguſtae tituli apparent, minime fugiſſe Capacii diligentiam.

Digitized by Google

tonini Pii Imp. filiam, *Marci* Aug. uxorem (2) deſignari. Quae diſparilitas opinionum ſatis ſuperque demonſtrat, neutrum Scriptorem liquido proprium Auguſtae nomen, vel corruptum vel abraſum, e marmore potuiſſe elicere. Jamvero Martorellius charaſteres hujus marmoris non diffitetur *obſcuriores* eſſe, & *lectu difficillimos*. His animadverſis, qua confidentia nobis obtruduntur Φρήτορες Εὐμειδαι, a Capacio ducentis abhinc annis non viſi? Profecto ſi Capacius in eo marmore Eumidas, ut ita dicam, olfeciſſet, abſtinuiſſet ne ſtrenuus patriarum antiquitatum indagator ſuam conjecturam poſteritati commendare? Praeterea Phratorum *Eumidarum* nomen inde repetit Martorellius, quod ipſi in urbis noſtrae regione ſupra ceteras *ridente*, atque animum exhilarante, habitarint, ac propterea dicti *Eumidae*, q. d. *riſores*. Atqui id cognominis, ſi ſapio, aptius Satyris, ab Horatio *riſoribus* dictis, quam Sacrificulis, appingitur: Martorellius enim *Phratriam* nonniſi ἱερατικὸν σύστημα (*corpus Sacerdotale*) denotare magnopere contenderat. Quocirca faceſſant hinc, & ex cenſu Phratorum expungantur *Eumidae*, quos neque Capacius agnovit, neque hodie in marmore comparent (3).

Ve-

(2) Martorellius in ſuae opinionis ſubſidium obtrudit veteres nummos, in quibus ſibi viſus eſt legere: DIVA FAVSTINA PIA. Hinc indicium ab eo captatur, in Graeca epigraphe Neap. deſignari Fauſtinam, quia perhonorifica adjuncta Auguſtae tributa, Graece Latineque idem plane ſonant, ac proinde ad eamdem Auguſtam pertinent. Sed bona cum pace Cl. Viri, in nummis Fauſtinae non PIA, ſed PII, hunc in modum legitur: *Diva Fauſtina Pii Aug.* ſcil. *Antonini Pii* Aug. filia, quae M. Aurelio Antonino conjugi dotis nomine detulit imperium. Extinctae Fauſtinae divini honores decreti ſunt. Capitolinus de Marco cap. 26. *Petiit a Senatu, ut honores Fauſtinae aedemque decernerent . . . Divam etiam Fauſtinam a Senatu appellatam gratulatus eſt . . . . & aedem illi exſtruxit*. Sed haud diu Fauſtina divinitatis choragio fruita eſt; namque Antoninus Caracallus, ut in hujus Aug. vita cap. ult. Spartianus retulit, *Fauſtinae templum & DIVALE NOMEN eripuit*. Itaque Neapolitani, ſi ad aucupandam Marci Aurelii gratiam divinos Fauſtinae honores detuliſſent, omnino neceſſe fuit, ut iidem imperante Caracallo, ne in ejus indignationem inciderent, Fauſtinae Auguſtae *Divale nomen* eriperent; ſecus ac factum in epigraphe noſtra viſitur; ubi ornamenta *divinitatis* integra ſervantur, & contra Auguſtae proprium nomen evanuit, ſed quo caſu, incertum; hoc prorſus certum eſt, in mutila inſcript. Neap. *Fauſtinae* nomen non eſſe ſupplendum.

(3) Vincentius Calà Oſſorius de Figueroa ex Villae Novae Marchionibus, Metropolitanae Eccleſiae Canonicus, Vir Graece-Latineque doctus, & quod ad rem praeſentem facit, ſingularis acuminis diligentiaeque, rogatus, ut mea cauſa marmor curioſius inſpiceret, adverteretque, num quae Martorellius praeter

ea

Verumtamen parcendum eſt Martorellio , qui nimio ſtudio reperiundi in urbe Neapoli Attica veſtigia inflammatus , videre ſibi viſus eſt Phratores *Agarrbeenſes* ,. & *Eumidas* , ut eo facto additamento numerus Phratriarum Neapolitanarum propius ad Atticarum accederet , indeque caperetur ſuſpicio , Neapolim in XII. Phratrias , inſtar Atticarum , fuiſſe diſtributam . Sed , ut ut veteres vehementer delectati ſint . numero (4) duodenario , non eo uſque tamen hujuſmodi arithmetica obſervatio protendenda eſt , ut urbes etiam , ex multiplicibus populis conflatae in XII. pariter partes diſtribuerentur . Romulus urbem Romam ex colluvie populorum collectam in XXX. Curias diſpertiit . Thurium in Magna Graecia diſtributum fuit in X. *tribus* ſive *phratrias* , quia totidem populi e Graecia tranſmarina acciti , urbem vacuefactam habitatoribus , frequentatum venerant . Itaque Phratriarum cujuſque civitatis numerus , non ab Attica conſuetudine , ſed a numero populorum advenarum eſt repetendus : quibus populis in unam civitatem conſpirantibus , etſi omnes in communi iiſdem regebantur legibus , tamen ne veterum patriarum inceſſeret deſiderium , novae urbis partes ex aequo ſingulis populis dividebantur , ut ibi privatim ſacra , feſta , rituſque , quae in antiquis patriis coluerant , libere ac ſine impedimento peragerent .

ΠA-

ea quae e Capacio tenemus , addidit , a lineamentis in marmore reſiduis probarentur nec ne ; is hoc mihi pro ſua humanitate amicitiaque retulit reſponſum : in penultimo verſu , ubi a Martorellio depingitur ΦP , nullum omnino dextra laevaque ſupereſſe litterarum veſtigium , totamque lineam penitus eſſe abraſam : ac porro in ultimo verſu primores ſyllabas (nam ceterae deperierant) videri potius in ETHPE , quam in ETME Martorellii , articulatas . Atque ea legendi difficultas mihi propior cauſa fuiſſe videtur , quam obrem Capacius nullam de additamentis , quae poſtea commentus eſt , Martorellius , habuerit rationem ; nempe quia veſtigia litterarum , quae in marmore apparebant ſulcata , propter cariem , aliudve vitium jam inde ab aetate ſua deſperatae fuerint lectionis .

(4) Vide quae in Palaeſtra Neap. pag. 74. adn. 1. attigi de curioſa antiquorum obſervatione numeri duodenarii.

Digitized by Google

Π Α Ρ Ε Κ Β Α Σ Ι Σ.

Queiſnam ex monumentis antiquis indicia territorialis dialecti ſint captanda.

Ex Graecis inſcriptionibus poëtarum Philippi *&* Alcibiadis *in Sacello Joviani Pontani proſtantibus, erui nequit, horum poëtarum aevo Graecum ſermonem Neapoli fuiſſe vernaculum. Obiter poëma* Praetermiſſorum ab Homero, *inſcriptum* Quinto Calabro, *aſſeritur* Alcibiadi. *Nomen* Quinti, *ut* Ennio, *ſic* Alcibiadi, *ex metempſychoſi Pythagorica quaeſitum. Manifeſta indicia Latinitatis Neapolitanorum ex publicis epigraphis eruta. Moenia urbis Neapolis aevo medio contra Africanorum excurſiones munita. Vicus prope Neapolim, vulgo* Teduccio, *ab Aug.* Theodoſii *columella ibi proſtante, nuncupatus.* Φρατρίαι, *poſtea* Phetrae, *& mox Latinitate praevalente*, Curiae, Tribus, *&* Regiones. *Cujuſque regionis Viri* opulentiores, *qui rempubl. adminiſtrabant, forte dicti* Ἱπποβάται *q. d.* Inequitantes, *exemplo ducto a Cumanis Chalcidenſibus, ſive Euboicis, qui Cumis relictis Neapolim confugerant.*

PHratria *Antinoiton* ceteris antea expoſitis recentior apparet, & fortaſſe etiam poſtrema, quae in urbe Neapoli ad normam Graecae conſuetudinis fuerit inſtituta; namque temporibus, quae Hadriani aetatem conſecuta ſunt, de Helleniſmo Neapolitano, qui paullatim jam exoleſcere coeperat, plane conclamatum eſt. Strabo nonnullas Graecae inſtitutionis reliquias Neapoli collegit, & peculiariter enumerat; ſed is dum ſpicilegium facit, hoc ipſo docet, jam meſſem fuiſſe peractam. Tacitus Ann. XV. 33. narrat, Neronem, artis ſuae muſicae experimenta daturum, *Neapolim QVASI GRAECAM urbem* ſibi delegiſſe. Inſcriptio bilinguis Tito Auguſto poſita, adhuc in hac urbe ſuperſtes, manifeſto prodit, Graecam quidem linguam ibi uſurpatam, ſed ad vulgi captum latinam adtextam fuiſſe interpretationem. Senatus Neapolitani Conſulta Domitiano Auguſto etſi ad tuendam priſtini ſermonis dignitatem Graece prodibant, plane tamen e Senatus Romani exemplo concinnata, uti arguitur e Senatus conſulto pro *Tettia Caſta* facto; ibi annus *Domitiano Auguſti filio, Valerio Coſs.* conſi-

Digitized by Google

conſignatur, & quod magis animadvertendum eſt, ne formula quidem ipſa (*γραφομένῳ παρῆταν*) *ſcribendo adſuerunt*, deſideratur. Vide pag. 121. Sed poſtea aevo Antoninorum Augg. Neapolis facta fuit *Colonia Auguſta*, uti pluribus oſtendi in Palaeſtra Neap. p. 217. Tunc certe Neapolitani in publicis monumentis latine locuti ſunt, ut animadverti facile poteſt ex hac Gruteriana inſcriptione p. CCCLXXIII. 2.

S · P · Q · NEAPOLITANVS
L · BAEBIO · L · F · GAL · COMINIO
PATRONO · COLONIAE

In publicis dixi monumentis; namque privata non moror: nemo enim ullo praetorio interdicto vetatur, in re ſua ſermonem, quem maxime velit, uſurpare. Exſtat adhuc Neapoli in praedio ſuburbano Ducis Protae ſupra *Plagam*, marmor antiquum Graece Latineque exaratum; quod cum mihi non conſtet, an uſpiam editum fuerit, hic cum amatoribus hujuſmodi cupediarum communicare non gravabor.

ΤΡΕΙΝΑΚΡΙΗΓΑΙΗ ΜΕ ΛΟΧΕΥCΑΤΟ ΤΟΥΝΟΜΑ ΟΥΗΡΑΝ
CΩΦΡΟCΥΝΗC ΒΙΟΤΩ ΚΥΔΟC ΕΝΕΓΚΑΜΕΝΗΝ
ΚΟΥΡΙΔΙΟC ΔΕ ΠΟCΙC ΚΡΥΨΕ ΧΘΟΝΙ ΤΗΔΕ ΚΑΛΥΨΑC
ΔΑΚΡΥΧΕΩΝ ΕΠ ΕΜΟΙ CΥΧΝΟΝ ΑΠΟ ΒΛΕΦΑΡΩΝ
ΚΗΔΕΥCΑC ΑΡΕΤΗC (1) ΑΝΤΑΞΙΟΝ ΗΜΕΤΕΡΗCΙΝ
ΗΛΙΚΙΗC ΕΤΕΩΝ ΕΙΚΟCΙ ΚΑΙ ΤΕΤΟΡΩΝ
Ω ΘΝΗΤΩΝ ΟΛΙΓΟCΤΕ ΒΙΟC ΚΑΙ ΑΦΕΥΚΤΟC ΑΝΑΓΚΗ
ΩC ΜΕ ΤΑΧΟC ΒΙΟΤΟΥ ΝΟCΦΙCΕ ΚΑΙ ΓΑΜΕΤΟΥ

CORNELIANVS SCRIBA CONIVGI
INCOMPARABILI CONTRA VOTVM

D d Supra

(1) ΑΡΕΤΗC ſcribitur loco τοῦ ΑΡΕΤΗΙC, Jonice pro communi *Ἀρέτας*. Jota adſcriptum, ubicumque pro antiqua conſuetudine appingendum erat, in hac epigraphe non comparet.

Supra ſcriptum epigramma Graecum, etſi eo aetatis devenerim, qua non ſatis acceptum me Muſis eſſe ſentio, utcumque tamen in gratiam adoleſcentulorum totidem Latinis verſibus expreſſi:

Trinacria tellure ſatam me nomine Veram,
Spectatam in vita laude pudicitiae,
Virginius (2) *vir humo mandans hic condidit; imbrem*
Qui ſpiſſum ex oculis me ſuper ingeminans,
Debita pro noſtro perſolvit juſta decore.
Vita ter octone clauditur orbe mihi.
O hominumque breve aevum, & ineluctabile fatum!
Vt cito me a vita ſegregat ac thalamo!

Ex hoc autem Graeco epigrammate cave colligas, aetate *Corneliani Scribae* Graecum ſermonem Neapoli fuiſſe vernaculum: immo contra eruendum eſt, in hac urbe in deſuetudinem abiiſſe. Ac apta quaeſo, quam appoſite epigraphe hujus Neapolitani marmoris Graece Latineque decurrat; quiſque enim ſua patria loquitur lingua: uxor *Vera*, utpote nata in Sicilia, ubi Helleniſmus diutius quam Neapoli, perennavit, ſua fata Graece deplorat; maritus vero *Cornelianus Scriba* (3), qui Neapoli titulum *Conjugi incomparabili* poſuit, tantum non exſerta voce clamitat, linguam Latinam hic ſuo aevo fuiſſe vulgarem.

Equidem non diffiteor, nonnulla proſtare Neapoli Graeca epigrammata ſequioris aevi: at inde colligendum nego, tunc temporis Neapolitanos graeciſſaſſe, quemadmodum viſum fuit Martorellio *Th. Cal.* p. 524. Verum ut de Helleniſmo territoriali recte dijudicetur in primis animadvertendum eſt, indigenae ne epigraphae fuerint, an advenae, hoc eſt, ut planius memet aperiam, exaratae ne ſint Neapoli, an aliunde in hanc urbem deductae. Sane in Sacello Joviani Pontani prope Aedem S. Mariae Majoris in hujus urbis regione, olim *Solis* & *Lunae* denominatâ, inter aliquot antiquos lapides litteratos bina viſuntur Graeca epigrammata, quae etſi edita fuerint a Grutero p. CMXCVIII. 8. & p.

(2) *Κουρίδιος πόσις*, *Virginius conjux*, phraſis eſt Homerica Iliad. V. v. 414. deſignaturque is, qui virginem duxerit uxorem. Conſule doctiſſimum & eruditiſſimum Reineſium Claſ. XIV. 3. & Fabrettum Inſcript. cap. IV. p. 322.

(3) De *Scriba* reipubl. Neapol. quidum Helleniſmus hic vigebat, *ἀναγραφεύς* vocabatur, locutus ſum pag. 179.

p. MLXXXIX. 4. quamquàm non ſatis (4) exacte; heic tamen ad fidem marmorum expreſſa haud ſupervacaneum fuerit ſubjicere lectorum oculis, ut ex collatione ſcriptionis conjici probabiliter poſſet, utra inſcriptio alteram antiquitate praeſtet.

I.

ΤΟΝΠΑCΗCΑΡΕ
ΤΗCΕΙΔΗΜΟΝΑ·ΦϢΤΑ *ſic*
ΦΙΛΙΠΠΟΝ·ΠΡΕCΒΥΝΕΙ·ΑΟ
ΝΙΗCΕΜΠΕΡΑΜΟΝCΟΦΙΗC
ΑΥCΟΝΙϢΝ·ΥΠΑΤΟΥ·ΠΑΤΕΡΑ·ΚΛΥ
ΤΟΝ·ΑΝΤΙΓΟΝΟΙΟ·ΘΡΕΨΕΜΑΚΗ
ΔΟΝΙΗ·ΔΕΞΑΤΟ ΔΕΙΤΑΛΙΗ

II.

ΕΝΘΑΔΕΤΗΝΙΕΡΑΝ ΚΕΦΑ
ΛΗΝ ΚΑΤΑ ΓΑΙΑ ΚΑΛΥΠΤΕΙ
ΑΝΔΡΩΝ ΗΡΩΩΝ ΚΟΣΜΙΤΟΡΑ *ſic*
ΘΕΙΟΝ ΑΛΚΕΙΒΙΑΔΗΝ
ΑΥΡΗΛ. ΑΤΑΛΑΤΗΙ *ſic*
ΙΔΙΩ ΠΑΤΡΩΝΙ
ΚΑΛΩΣ ΒΕΒΙΩΚΟΤΙ
ΕΠΟΗΣΕΝ

(4) Cum adoleſcens eram, utramque inſcriptionem edidi Romae anno 1760. typis Generoſi Salamoni; ibi pag. 6. legendum eſſe monui in Grutero ΤΠΑΤΟΤ, ut in autographo marmore perſpicitur, non vero ΤΠΑΤΟΝ, ne quis Gruteriana lectione deceptus, Philippum patrem pro Antigono ejus filio, Conſulem renuntiaret.

Ex utroque marmore Martorellius argumentatus eſt, Neapolitanos fuiſſe Graece locutos. Equidem maluiſſem, ut Vir noſter eruditiſſimus, cujates fuerint Philippus & Alcibiades, edocuiſſet.

In priore epigraphe ſiſtitur *Philippus* natione *Macedo*, deque *facultate poëtica* peritus. In Anthologia ut lib. IV. cap. 7. epigr. 36. cap. 11. epig. 1. & alibi paſſim cernere licet non pauca epigrammata ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΜΑΚΕΔΟΝΟΣ. Quid vetat, quominus unum eumdemque virum utrobique deſignari exiſtimemus? quamquam duos Philippos eruditi Viri in Anthologia deprehenderunt, unum qui Auguſti aevo, alterum qui Saeculo V. vel VI. floruerint. Conſule Fabricium in catalogo Poëtarum epigrammatariorum Lib. III. cap. XXVIII. pag. 723. ſeq. Verum ex inficeta characterum forma hujus marmoris tuto colligere poſſumus, Philippum, de quo loquimur, ad aetatem noſtrae propiorem pertinuiſſe; niſi quod mallem equidem Saeculo V. quam VI., ejus aetatem (5) conſignare.

Accedo nunc ad alterum titulum *Alcibiadi* poëtae poſitum. Nuſpiam mihi quidem occurrit poëta Alcibiades, & quidem tanti nominis ac celebritatis, ut habitus ſit dignus, cujus in tumulo ipſiſſimum Homeri epitaphium inſcriberetur. Memoriae proditum eſt in vita Homeri Herodoto tributa, hoc epigramma in ejus tumulo fuiſſe inſculptum:

> *Ἐνθάδε τὴν ἱερὴν κεφαλὴν κατὰ γαῖα καλύπτει,*
> *Ἀνδρῶν Ἡρώων κοσμήτορα θεῖον Ὅμηρον.*
> *Exuviae capitis ſacri hac conduntur in urna;*
> *Scilicet Heroum tubicen divinus Homerus.*

Nunc autem ſi epitaphium Alcibiadis cum elogio Homeri contuleris, ac tantummodo a propriis utriuſque nominibus abſceſſeris, cetera omnia, atque omnes litterarum apices, utrobique conſpiciuntur

(5) Conſul Antigonus noſtri marmoris forte fuerit e ſuffectis, quamobrem in Faſtis non comparet. Is autem hic deſcribitur *Conſul Auſoniorum*, h. e. ut equidem interpretor, Conſul *Occidentis*, ad diſcrimen alterius Conſulis *Orientis*. Creatio Conſulum pro Oriente, & Occidente, coepta fuit medio ferme IV. Saeculo: itaque Conſulatus Antigoni ante hanc epocham conſignari nequit. Haec de ulteriore tempore habui, quae dicerem; de citeriore, mihi aqua haeret: niſi quod quum V. ſaeculo Conſulum creatio per intervalla temporum coeperit rareſcere, & VI. plane evanuerit; eo mihi inclinat animus, ut opiner, Philippum Antigoni Conſulis patrem, potius V. Saeculo, quam VI. floruiſſe.

Digitized by Google

tur aequalia. Num hujus elogii faber adeo excitate ſenſit de Alcibiade, ut hunc quaſi parem cum Homero committeret? Nihil minus. Sed quicumque egregios viros ſibi propalam decorandos ſuſceperit, is jure meritoque Ἡρώων κοσμήτωρ (*Heroum praedicator*) ſalutabitur: quo nempe elogio hic decoratur Alcibiades, proditurque ſimul heroico carmine inclaruiſſe. At cur paludamentum, ut ita dicam, pro Homero contextum, de induſtria humeris aptatur Alcibiadis? nimirum ut ex communione ejuſdem elogii facile agnoſceretur Alcibiades, veluti alter Homerus, heroas, qui tempeſtate Iliaca floruerunt, ſuis nobilitaſſe carminibus. Jam vel me tacente quivis perſpiciet, me in ea eſſe ſententia, quae *Alcibiadem* ſub *Quinti Calabri* perſona deliteſcere ſuadet.

De Quinto Calabro, qui Παραλειπόμενα Ὁμήρου (*Praetermiſſa ab Homero*) heroico carmine proſecutus eſt, incerta ſunt omnia, aetas, patria, quin ipſum nomen: namque auctori nomen *Calabri* fuit appoſitum, quia ejus poëma, jampridem ignotum, ac ferme deperditum, primitus in *Calabria*, opera atque induſtria Cardinalis Beſſarionis, fuit repertum. Conſule Fabricium Bibl. Gr. l. II. cap. VIII. p. 359. Itaque cum in tanta rerum de Quinto Calabro ignoratione verſemur, quis mihi falſi notam appinxerit, ſi propoſuerim, auctorem Paralipomenωn exſtitiſſe Alcibiadem, qui veluti Homero ſuccenturiatus reliquias belli Trojani ſtilo Homerico enarrarit? Hinc intelligendi copia datur, quamobrem ſepulcrale elogium, quod pro Homero concinnatum fuerat, ejus tumulo & quidem κατὰ λέξιν (*ad verbum*), inſcriberetur; nempe ut a comperta elogii Homerici communione caperetur indicium, Homeri *Paralipomena* ſuiſſe ab Alcibiade continuata.

Alcibiades ergo tranſnominatur hodie *Calaber*, quia ejus opus ἀδέσποτον (*incerti auctoris*) repertum fuit in Calabria; ſed unde ſibi *QVINTI* praenomen comparavit? Hic enim titulus in Codice Calabro repertus fuit. Ἡ ποίησις τοῦ Ὁμηρικοῦ ΚΟΪΝΤΟΥ, *Poëma Homerici QVINTI*. Ea de quaeſtione libere dicam, quae ſentio. Ennius patriâ Calaber eo ferme loco a Latinis, quo Homerus, habebatur a Graecis; & quemadmodum *Homeriſtae* dicebantur ii, qui ad confluentis populi oblectamentum rapſodias Homeri recitabant; ita qui Ennii, *Ennianiſtae*. Vide Suetonium de Claris Grammaticis cap. 2. & quae ibi Caſaubonus ſubnotavit. Pythagorica autem metempſychoſis nuſquam alibi profundiores egerat radices, quam in Calabria, ubi Pythagorici ſuas extrudebant

bant

Digitized by Google

bant merces . Cum porro Ennius ibi veluti redivivus Homerus reputaretur , facile fuit Pythagoricis perſuadere plebeculae, Homeri animam poſt tres alias migrationes in Ennium tranſmeaſſe, indeque hunc veluti *Quintum Homerum* eſſe judicandum . Quam vulgarem opinionem critico ſale perfricuit Perſius Sat. VI.

Cor jubet hoc Enni , poſtquam deſtertuit eſſe
QVINTVM MAEONIDEM . . . . . .

Inde repete ſignificationem praenominis *Quinti* , quod Ennio praefigitur ; non quidem certe ex latina conſuetudine, ſed utique ex Pythagoricae Scholae deliriis . Quo minus mirandum eſt, ſi poſteriores Calabri, veſtigiis majorum ſuorum , qui Ennium *Quintum Homerum* ſalutarunt, inſiſtentes, Poëtam incertum , qui carmine heroico *Paralipomena Homeri* abſolvit , potiore cum cauſa ΚΟΪΝΤΟΝ ΟΜΗΡΙΚΟΝ nuncuparint . Ceterum hujus poëmatis auctor, ut mihi videtur, Alcibiades fuit, ut paullo ante conjiciebam, patriâ Smyrnaeus, & fortaſſe etiam civitate (6) Romanus. Quo denique tempore is floruerit , incertum eſt ; plerique nullo certo indicio ducti, ejus aetatem ad Saeculum V. immo & VI. rejiciunt . At ſi quis erudito oculo marmora Philippi & Alcibiadis, quae hodie in aedicula Joviani Pontani proſtant, una ſimul contulerit, profecto nullus dubitarit, quin ſcriptio monumenti Alcibiadis (7) multis annorum decadibus aetatem Philippi antevertat.

Verum de utroque poëta Alcibiade ac Philippo jam ſatis; quapropter ad meum redeo inſtitutum, ac rurſus inculco, ex Graecis epigraphis, quae in hac urbe noſtra ſuperant, haud eruendum eſſe, quod Graeciſmus eo tempore Neapoli perennarit : pleraque enim hujuſmodi marmora non ſunt a primordiis Neapolitana, ſed extra-

(6) *Atalanta* (nomen Graecis auribus haud abſonum) quae monumentum Alcibiadi *patrono ſuo* poſuit , inſcribitur *Aurelia* . Ergo Alcibiades etiam praenominabatur *Aurelius* , pro more ſcilicet Romano, quo liberti nomen *patroni* manumittentis adoptabant. Cum ita ſe res habuerit, colligendum eſt, Alcibiadem patria Smyrnaeum, oviumque paſtorem, (ut ex Paralipom. Hom. XII. v. 306. non temere arguitur) ſerviiſſe ſervitutem cuidam generoſo viro e gente *Aurelia*, a quo poſtea manumiſſus , Civis Romanus factus eſt ; quemadmodum plures egregii Grammatici & Poëtae Graeci oris , virtutis ergo manumiſſi a patronis , ut eorum nomen , ita quoque civitatem Rom. conſequebantur . Conſule Sueton. *de Illuſtr. Grammat.*

(7) Delineatio characterum ſub Hadriano, & proxime ſecutis Auguſtis, omnium abſolutiſſima reputatur , ut ex nummis & marmoribus ejus aevi perſpici poteſt . Ad hanc nimirum ſpeciem litterarum accedit inſcriptio monumenti Alcibiadis, ſi ab elemento *Delta* abſceſſeris, quod hic triangulum potius rectangulum , quam aequilaterum, repraeſentat .

Digitized by Google

extranea, quae poſtea in hanc urbem ab antiquitatum amatoribus fuerunt deducta: quemadmodum contra multa antiquitatis monumenta manifeſto Neapolitana, vel clam, vel precàrio, ſparſa per Italiam hodie conſpiciuntur. Poſt renatas in Italia litteras incredibile dictu eſt, quantopere viri cultiores monumenta veterum, praeſertim litterata, perquirerent, ac ſibi compararent: quin immo ille praedicabatur fortunatiſſimus, cui contigerat, plures hujuſmodi gazas unde unde colligere, in unoque Muſeo ad ſui ſaeculi inſtitutionem proponere. Jovianus Pontanus, ut paullo ante monui, ſacellum ſibi ſuiſque pro monumento aedificavit; & quoniam ipſe poëticis maxime ſtudiis inclaruerat, praeter nonnullas alias epigraphas, in hanc aediculâm monumenta Philippi & Alcibiadis, ubicumque hi fato conceſſerint, comportavit; ut aliquando ipſe poëta cum veterum poëtarum manibus una ſimul requieſcere videretur. I nunc, & ex hiſce Graecis exoticis monumentis, ſed poſtea Neapolitanis hoſpitibus, argue ſis & contende, Helleniſmum ſequioribus ſaeculis viguiſſe Neapoli. Quamobrem in quaeſtione de Graeciſmi Neapolitani diuturnitate, non privatorum, ut praedixi, monumenta, ſed publica in conſilium adhibenda ſunt; haec etenim, utpote quae ad publicam eruditionem proponebantur ediſcenda, omnino neceſſe fuerat, ut eo perſcriberentur ſermone, quem vulgus illius aevi uſurpabat.

Nimirum hujus loci eſt inſcriptio columellae marmoreae commiſſa, quae pridem ſecus viam publicam, & in veſtibulo Paroecialis Eccleſiae Pagi ſuburbani cognomine S.Joannis *ad Theducium*, proſtabat, nunc vero, ne alicujus Marrucini Catulliani operâ alio aveheretur, intus aedem traducta, in pariete adverſus poſticum altaris majoris inaedificata eſt. In hac autem columella ſequens epigramma ineleganti charactere, & orthographia plane plebeja exaratum cernitur:

DDDNNNASSS
BALENTINIANO
TIVDOSIO ET
ARCADIO
BONOREIPVBCE
NATI..

h. e. *Dominis noſtris Auguſtis Valentiniano, Theodoſio & Arcadio, bono*

bono rei publicae natis. Scalpta fuit haec columella forte milliaria, nec ante annum Chriſti 383. quo Arcadius renuntiatus eſt *Auguſtus*, nec poſt annum 392. quo Valentinianus II. e vivis ſublatus eſt. Ex *Theodoſio*, barbare pronuntiato, pagus iſte nactus eſt *Teducci* nomenclationem (8), quae hodiedum perennat.

Ejuſdem loci eſt haec altera inſcriptio, quae anno 1747. reperta fuit in Aedis Cathedralis Capellà S. Aſpreni, primi Epiſcopi Neapol. cum Archiepiſcopus noſter Joſephus Cardinalis Spinellus, Chriſti gregis vigilantiſſimus paſtor, Eccleſiam Cathedralem in elegantiorem formam expoliret; qua occaſione fuit animadverſum, in marmoreo operculo urnae, ubi S. Aſpreni lipſana ſervantur, hanc epigraphen fuiſſe inſcriptam, ſed malo fato ferme dimidiatam, quae hujuſmodi eſt:

DN PLACIDIVS VALENTIN	ianus Augus
TISSIMVS OMNIVM RETR	o principum
SALVO ADQVE (ſic) CONCORDI	DN.FL.Theo
DOSIO INVICTISSIMO AV	g. ad decus no-
MINIS SVI NEAPOLITANA	m civitatem
AD OMNES TERRA MARI	que incurſus
EXPOSITAM ET NVLLA	ſecuritate
GAVDENTEM INGENTI	ſtudio atque
SVMPTV MVRIS TVRRIB	uſque munivit

Cum exemplaria hujus mutilae inſcriptionis vulgata fuere, quatuor

(8) *Theodoſius* aevo ſequiore modo *Theudoſius*, modo *Theudocius*, & *Tiudoſius*, ut hic, efferebatur. Hinc mihi ſuborta fuit ſuſpicio, vicum ſuburbanum, ubi haec inſcriptio ſecus viam publicam proſtabat, ex *Theodoſio* ibi memorato, nomenclationem *Teduccio* fuiſſe nactum. In ſinu meo geſtii, poſtquam animadverti, me nec opinantem in Joviani Pontani ſententiam incurriſſe, qui in Lepidinae Pompa IV. (ubi Nymphas urbanas & ſuburbanas feſtive colludentes inducit) hunc vicum ſuburbanum haud aliter compellavit:

Theodocie ſoror hanc feſtis nam ſaepe diebus
Ad choreas vocat, . . .

ad quae Pontani verba Petrus Summontius, Pontani ſtudioſiſſimus, ejuſque Academiae ſocius, haec illevit: *Crambane vicus eſt, in agro Neapolitano, in quo & hi alii vici ſunt, Theodocie, ſive Thuducium, Reſina, Porticia, Fragola, Caſulla, &c.*

quatuor litterati viri P. Sabbatinus de Amphora, poſtea Epiſcopus Aquilanus, Jacobus Martorellius, Franciſcus Pratillus & Scipio de Chriſtophoro, illam pro ſuo quiſque ingenio ſuppleverunt. Ego vero, ne longum facerem, ex proditis ſupplementis, quae mihi aptiora ſunt viſa adtexui: niſi quod, quum in hoc marmore Valentinianus neque *Caeſar*, neque *Auguſtus* manifeſto ſalutetur, equidem in ſupplenda primi exeuntis verſûs lacuna, habitâque ineuntis ſecundi verſûs ratione, lectionem *AVGVStiſſimus* ferruminavi. Placidius (9) Valentinianus III. renuntiatus fuit Auguſtus anno Chriſti 425. & Theodoſius II. vivere deſiit anno 449. hoc igitur annorum interſtitio (10) urbs Neapolis communita fuit. Ceterum quod ex hiſce duabus inſcriptionibus colligere in rem praeſentem licet, illud eſt, quod Saeculo IV. & V. monumenta publica Neapoli Latine, non Graece proponebantur. Attamen Martorellius, qui hanc epigraphen ſuis oculis luſtravit, ſupplevitque, poſtea in Th. Calam. a pag. 486. ad pag. 534. oppoſitam opinionem tuetur.

Ex his tamen, quae hactenus perſecutus ſum, nolo quis inde colligat, Helleniſmum, ex quo facta Neapolis fuit Colonia Auguſta, privatim ac publice conticuiſſe. Linguarum converſiones haud uno momento, ſed ſenſim ac ſine ſenſu ſolent accidere; & ne a Neapoli diſcedam, paullo ante pag. 197. oſtendi, plerosque Campanos, qui jam facti in patria ſua fuerant Cives Romani, porro in civitatem Neapolitanam fuiſſe conſcriptos. Haec prima, opinor, vena latini ſermonis Neapolitanum agrum irrigavit. Majus huic linguae acceſſit incrementum, ex quo Lucullus, Brutus,

(9) Valentinianus Gallae Placidiae filius praenominatur *Placidius*, ut in hoc marmore; tametſi Troilus Hiſtor. Neap. tom. 4. pag. 42. perperam ediderit *Placidus*. Ad hanc igitur orthographiam refingenda eſt inſcriptio, quae proſtat in Annal. Muratorii ad annum 433. edit. Neap. *Galla Placidia Auguſta cum filio ſuo Placido* (corr. *Placidio*).

(10) Si mihi divinandi arbitrium daretur, quoto preſſius anno Neapolis hiſce operibus munita fuerit, dicerem, inſcriptionem fuiſſe propoſitam poſt annum 429. quo nimirum anno Genſericus cum ſuis Vandalis Africam, provinciam Romani Imperii, occupavit: qua tempeſtate verendum ſane fuerat, ne hoſtis Romani nominis ex Mauretania ſolvens, hanc urbem invaderet; quocirca Valentinianus, ne urbem opulentam agi, ferrique pateretur, Neapolim muris & turribus praemunivit. Equidem hujuſmodi munitionum apparatui tribuo, quamobrem Vandali, qui anno 455. Capuam & Nolam populati fuere, porro ab oppugnanda Neapoli, proximâ & conterminâ, ſibi temperarint.

Digitized by Google

Pompejus, aliique viri principes Romani nominis, qui familiam, juſto exercitui ferme parem, ſecum ducebant, in haſce oras ſalubrioris aëris reſpirandi cauſa divertebant. Strabo palam affirmat, Romanos ſui aevi maxime hoc caelo fuiſſe delectatos. Ex Tacito & Suetonio diſcimus, Auguſtum, Claudium, Neronem praeſentia ſua illuſtraſſe Neapolim. Quid quod Titus Veſpaſianus renuntiari in hac urbe *Gymnaſiarcha*, & Hadrianus *Demarchus*, ſunt paſſi? Hiſce exemplis facem praeferentibus palam fit, Hellenismum paullatim in hac urbe defeciſſe; ac tandem ſub poſtremis Antoninis, Neapolim fuiſſe honorem Coloniae (11) *Baſilicae*, h.e. Auguſtae, conſecutam: quo factum eſt, ut monumenta publica haud amplius Graecanico ſermone, ſed Latino proponerentur: niſi quod in privatis monumentis adhuc parvae quaedam ſcintillae Helleniſmi ex inveterata conſuetudine ſuperarunt: ut *Phetrae* h. e. Phratriae in marmore Neapol. apud Gruterum p. 418. 6. ubi inter cetera haec verba exarantur. *C. Herbacio . . . . qui ob promiſſam venationem PHETRIS diviſit quina millia nummorum*. Stipes ſit oportet, qui non ſentiat, *Phetras* huius loci idem eſſe ac *Phratrias*, in quas civitas Neapolitana erat diſtributa.

Sed vox *Phratria* duplici praedita erat notione; notabat enim tum ſyſtema civium, ſive corpus populi congeneris, uti Phratria *Eumelidarum*, *Eunoſtidarum*, *Cumanorum* &c. tum etiam *aedem*, in quam Phratores vel de re communi cujuſque Phratriae deliberaturi, vel operaturi ſacris, conveniebant: ut in inſcriptione Eumelidarum pag. . . . ubi ſtatuae *Dioſcurorum* in Phratria dedicatae fidem faciunt, Phratriam ibi denotare certum locum, nempe illum, quo Phratores conveniebant. Romae quoque primis temporibus vox *Curia* utrumque ſignificabat, denotabatque tum partem urbis a ſingulis civium Curiis inſeſſam, ut Curia *Forenſis*, *Tifata*, *Velienſis*; tum etiam aedem publicam, ubi res ſacrae publicaeque adminiſtrabantur in communi: at poſtea urbis Romae ſpatia non amplius in *Curias*, ſed in *Regiones* diſtributa comperiuntur, tametſi integrum ſteterit *Curiae* vocabulum, quatenus ampliſſimum

(11) Petronius cap. 57. *Annis quadraginta ſervivi, nemo tamen ſcit, utrum ſervus eſſem an liber; & puer capillatus in HANC COLONIAM veni; adhuc BASILICA non erat facta*. Arbiter hic de urbe Neapoli loquitur, & *Colonia Baſilica* idem eſt ac *Colonia Auguſta*, uti in Palaeſtra Neap. pag. 200. oſtendi.

Digitized by Google

ſimum Senatûs conſeſſum deſignaret. Eamdem hujus vocabuli viciſſitudinem in urbe Neapoli, poſt acquiſitam Coloniae Rom. dignitatem, contemplari licet: ibi enim Civium ſyſtemata non *Phratriae*, ſed *Regiones* ſunt dicta, ut exemplo *Regionis Herculanenſium* paullo poſt demonſtrabitur; attamen aedes, ubi res publicae tractabantur, in priſtina *Curiarum* perſtiterunt denominatione: ut hodie dum latine ſcribentibus effertur Curia *Capuana*, Curia *Montaneae*, Curia *Nili*, *Portûs* &c.

Etſi Neapolitani Cives fundi jam facti fuerint in leges Romanas, ad quamdam tamen antiquae reipublicae tuendam imaginem, forſan cuique civi jus & facultas erat ferendi in ſua cujuſque regionis Curia ſuffragii, in iis praeſertim negotiis, quae ad interiorem Civitatis pertinebant adminiſtrationem. At poſtea *Opifices agreſteſque omnes* (ut hîc appoſite verba Salluſtii Jugurt. 76. uſurpem) *quorum res fideſque in manibus ſitae erant*, ne ob comitiorum frequentiam ſuo manupretio victuque fruſtrarentur, arbitrium reipubl. adminiſtrandae iis civibus permiſerunt, qui in unaquaque regione certis & opiparis inſtruebantur laribus. Hos opulentiores cives antiqua Neapolis, ni fallor, Ι'πποβάτας (*equitantes*) vocaſſe videtur; namque hodie dum qui ſunt hiſce Curiis adſcripti, vulgo *Equites Civitatis* appellantur; ſed alia prorſus acceptione, ac apud Athenienſes, & Romanos. Athenis quidem Ι'ππεῖς, *Equites*, qui equo merebant, e Solonis conſtitutione ſecundum e quatuor Attici populi ordinibus, Romae vero alterum poſt Patricios occupabant locum. At Neapolitani *Equites*, omnium prae ceteris locupletiores, primas in republ. occupabant, traducto nimirum exemplo a Cumanis, origine Chalcidenſibus. Herodotus V. 77. Οἱ δ' ΙΠΠΟΒΑΤΑΙ ἐκαλέοντο οἱ παχέες τῶν Χαλκιδέων, *Hippobatae* (q. d. *Inequitantes*) *apud Chalcidenſes vocantur Opulenti*. Cumanos autem e patria expulſos Palaepolitani in aequum Civitatis jus admiſerunt, uti pag. 194. pluribus expoſui. Itaque Palaeopolitanis triumphatis Cumani, quum primas in hac urbe agerent, Chalcidenſium majorum ſuorum inſtituta aemulantes, eos qui opibus ſupra ceteros eminerent, Ι'πποβάτας (*equites*) nuncuparunt. At poſtea abolito ibi Graeciſmo, iidem opulenti viri interpretando *Equites* cognominati ſunt; in qua *Equitum* denominatione perſeveratum eſt, ac praeterea hodie *equitare* etiam ii dicuntur, qui hujus ordinis, vice recurrente ſua, rem publicam ex officio adminiſtrant.

Anti-

Antiquis *Phratriis* Neapolitanis ſucceſſiſſe *Curias*, ſive Sedes publici conſilii, ſatis jam ſuperque demonſtratum eſt: reſtat nunc oſtendendum, hujus urbis τμήματα, ſive *diviſiones*, quae olim *Phratriae* etiam vocabantur, in *Regiones* (12) fuiſſe transnominatas. Qua in re haud diu diſtinebo lectorem. Quemadmodum enim Cumanis Neapolim receptis, idcirco corpus horum νεοπολιτῶν (*recentium civium*) *Phratria Cumanorum* vocata eſt, quia tunc Neapoli Graeciſmus quam maxime vigebat; ita poſtremis temporibus, tum cum Graeciſmus omnino defecerat, Herculano Veſuvii incendiis peſſumdato, municipes inde profugos humanitas Neapolitanorum in ſuam civitatem aequo jure recepit, iiſque certam ſtationem, ubi vitam agitarent, attribuit. Sed ea ſtatio, non, ut olim, *Phratria*, ſed *Regio* eſt appellata, ut eo tempore uſus latinae linguae poſcebat. Exſtat ea de *Regione Herculanenſium* vetus inſcriptio, quam etſi nihil mea intereſt illuſtrare; namque *Phratrias Neapolitanas* Graeci oris in me recepi expediendas; attamen ut meo propoſito veluti coronidem imponam, factoque ipſo confirmem *Phratrias* veterum Graecorum non habendas eſſe veluti *Corpora Sacrificulorum*, ſed potius ut locales urbis diviſiones, eaſque *regionibus* reſpondere Latinorum, hanc etiam *Herculanenſium Regionem* ceteris Graecanicis Phratriis adjicere non poenitebit.

CA

(12) Regiones urbis noſtrae variis vario tempore nominibus compellatae fuerunt, nempe, *Tribus*, *Tocci* ſive *Sedilia*, *Plateae*, *Porticus*, & quod mirandum eſt, *Fratriae*. *Tribus Montaneae* legitur in inſcriptione turris campanariae S. Laurentii. *Tocci*, ſed melius *Toci*, a Graeco Θῶκοι, *Sedilia*: Conſulatur Camillus Tutinus in *De Origine Sedilium* cap. V. edit. Neap. 1654. *Platea*, vox origine palliata, ſed uſu etiam togata. *De Porticibus* luculentiora proſtant teſtimonia. Pontanus in *De Magnificentia* Cap. II. *Ad urbis magnificentiam, & civium, ac etiam peregrinorum uſum, plurimum contulere tot Porticus:* & Jordanus in Hiſt. Neap. MSta. *Per ſingula fere quadrivia prioris urbis erant Porticus. Ubi vicatim omnis vicinia ad honeſtas voluptates convenirent, tempuſque urbanis, feſtiviſque confabulationibus tererent; vel de publicis rebus agerent, quae ad noſtra uſque tempora pervenere.*

Digitized by Google

CAPVT X. HERCVLANENSIVM

Regio Herculanenſium, *indicio* Demarchiae, *in urbe Neapoli*, *non in oppido Herculano*, *quaerenda*. *De Veſuvio ignes eructante diu ante Chriſti natale*, *Tertulliani teſtimonium*. Herculani *&* Pompejorum *etymologia ex ipſius natura loci arceſſita*. *De* Salinis *Herculani & Pompeiorum divinatio*. *Vulgari opinione perperam jactatum*, *oppida Herculanum & Pompeios Titiana Veſuvii tempeſtate fuiſſe peſſumdata*. *Ea de clade Papinii Statii exaggeratio ex ipſo Statio extenuatur*. *Titus Aug. ruinas horum oppidorum*, *&* *Neapolis*, *eodem anno reparavit*. *Ex collatis* Tabula Peutingeriana, *ubi Herculanum & Pompeji viſuntur*, *&* Itinerario Antonini, *ubi non comparent*, *arguitur*, *eo temporis interſtitio utrumque oppidum horrenda Veſuvii conflagratione anno Chriſti* 471. *vacuefactum*, *&* Pompejanos *quidem* Nolam, Herculanenſes *vero* Neapolim *confugiſſe*. *Obiter de antiquo pago* Retina, *quae olim ad mare*, *poſtea*, *ut in tuto ſe poneret a Saracenorum exſcenſionibus*, *lares ſuos in antiquis* Porticuum Herculanenſium *parietinis depoſuit*.

L · MVNATIO · CONCESSIANO · V · P · PATRONO
COLONIAE · PRO · MERITIS · EIVS · ERGA · CIVES
MVNIFICA · LARGITATE · OLIM · HONOREM · DEVITVM
PRAESTANTISSIMO · VIRO · PRAESENS · TEMPVS
EXEGIT · QVO · ETIAM · MVNATII · CONCESSIANI
FILII · SVI · DEMARCHIA · CVMVLATIORE · SVMPTV
ſic
LIBERALITATIS · ABVNDANTIA · VNIVERSIS
EXHIBVIT · CIVIBVS · OB · QVAE · TESTIMONIA
AMORIS · SINCERISSIMI · REG · PRIMARIA · SPLEN
DIDISSIMA · HERCVLANENSIVM · PATRONO
MIRABILI · STATVAM · PONENDAM · DECREVIT ·

Recitat hanc inſcriptionem Gruterus p. CCCCXXXIX. *6.* ibique ſubnotat: *In agro Neapolitano in villa Bernardi Martyrani,*

Digitized by Google

rani , *PETRA ALBA* (1) *dicta:* & in *Corrigendis* ad calcem corporis Inſcript. pag. CCC. haec ſuperadduntur : *Epigramma videtur e Graeco translatum in linguam Latinam : certe Neapolim Gnido translatum docuit me MS. codex Pighii* . Quae Codicis Pighiani animadverſio ne flocci quidem aeſtimanda eſt . Capacius Hiſt. Neap. II. 9. marmor in Herculani agro opinatur effoſſum , & poſtea Neapolim fuiſſe traductum : enimvero proſtat hodie dum haec inſcriptio in atrio (2) Eccleſiae Divi Antonii Abbatis extra Portam Campanam . A Capacio, quem ſequitur Martorellius, diſcordat Laſena *Gymnas.Neap.* pag.182. vir ſummae modeſtiae, qui Capacii conjecturam , ſuppreſſo hominis de Hiſtoria Neapolitana benemeriti nomine , explodit , atque ipſe recepit , de hac *Primaria ac Splendidiſſima Regione Herculanenſium* tunc differturum , cum de *Phratriis* Neapol. inſtituiſſet ſermonem . Quod Laſenae conſilium haud mediocri me affecit voluptate ; quandoquidem inde arguo , me in definienda *Phratriarum* acceptione cum Laſena necopinantem conſpiraſſe , nimirum *Phratrias* non fuiſſe corpora *Sacerdotalia* , ſed *Politica:* alio-

(1) *Petra Alba* eſt vicus in vicinia Herculani , ſic dictus , uti ſit veriſimile , a petra concolore , ibi ſecus viam publicam poſita , ut pagos conterminos limitaret . Id paucis abhinc annis comprobatum eſt , ibique ad laevam fundi Mazzarottae , & contra villam ſuburbicariam Bernardini Martyrani (quae hodie a Principe Torellae poſſidetur) detecta fuit marmorea columella albi coloris , cujus in ſuperficie deprehenſus eſt numericis notis , ſed ob vetuſtatem fugientibus , annus 1539. exaratus . Ceteroquin *Petrae Albae* mentio occurrit in decreto Hieronymi de Colle Regiae Cancellariae Regentis anno 1522. ſuper controverſiis inter Commune Turris Octavii , & Comitem Ruborum ventilatis . Vide Balzani *Herculanum Antiquum* pag. 45. Neap. Edit. anno 1088. Primus qui *Petram Albam* graeciſſando in Leucopetram tranſmutavit , Bernardinus Martyranus , vir geſtis muneribus , exquiſitaque eruditione praeclarus , fuiſſe videtur , qui , ut poſteritati traderet , Carolum V. Imperatorem ſuas aedes tridui hoſpitio decoraſſe , titulum marmoreum propoſuit , ibique uſus eſt *Leucopetrae* vocabulo . Martyrani exemplum ſecutus eſt JoannesStadius , qui eſſe deſiit anno 1579. Hic enim in commentariis ad Florum lib. I. cap. XVI. de Herculano haec habet : *Fuit haec urbs Veſuvio Monti vicina , ad Occaſum , non longe a Leucopetra promontorio* .

(2) Equidem nequeo ſatis commendare conſilium illius viri , qui recuperatorio judicio laudatam inſcriptionem, ubi *Demarchia* Munatii Conceſſiani praedicatur , reſtituit urbi Neapoli , & in porticu atrii Divi Antonii Abbatis veluti in propria ſede proponi curavit : eo enim in atrio aetate majorum noſtrorum comitia Populi creando *Electo Populi* habebantur . *Electo Populi* e regione reſpondet *Demarchus* , antiquiſſimus Neapolitanus Magiſtratus , iis fortaſſe agitandis muneribus occupatus, quibus hodie *Electus Populi* diſtinetur.

alioquin vir ſubacti judicii haud in unum faſciculum *Phratrias* ſimul & *Regiones* compingere decreviſſet. Mihi certe vitio minime vertetur, ſi de Phratriis ſcribere profeſſus, fortuito in Laſenae ſententiam incurrens, *Regiones* quoque Neapol. attigerim. Ajo igitur, *Regionem Herculanenſium* hujus inſcriptionis, quam illuſtrare aggredior, non Herculani in oppido Campaniae ad Veſuvii radices ſito, (ut Martorellio Th. Cal. p. 440. viſum) ſed omnino in ipſa urbe Neapoli eſſe quaerendam.

Namque, ut leviora quaedam alia argumenta inſuper habeam, nihil aeque manifeſto abjudicat hunc lapidem ab Herculano, atque uni Neapoli addicit, quam *Demarchiae* magiſtratus, a Munatii Conceſſiani Filio *cumulatiore ſumptu liberalitatis & abundantia* (3) geſtus. *Demarchia* vox plane Graeca, *populi praefecturam* denotat, nec alibi, ſi ab Graecis rebuspub. abſceſſeris, niſi Neapoli uſurpata reperitur; frequens enim hujuſmodi magiſtratus in noſtris vett. lapidibus occurrit. Adulto ſecundo ſaeculo Chriſti adhuc in urbe noſtra *Demarchus* eligebatur. Hadrianus Imp. ut nonnullorum populorum animos ſibi devinciret, quadam *συγκαταβάσει* (*indulgentia*) paſſus eſt gerere eos magiſtratus, qui ibi obtinebant. Spartianus in ejus vita cap. XIX. *Per latina oppida Dictator & Aedilis, & II. vir fuit. Apud Neapolim DEMARCHUS*. Compone nunc *Neapolim*, quae adhuc in Graeciſmo aliqua ex parte perſtabat, cum *Herculano*, oppido ſine ulla controverſia Latini nominis, ac tecum ipſe dijudica, Munatii Conceſſiani filius Herculani ne, an Neapoli geſſerit *Demarchiam*. In re manifeſta nolo plura differere; ac praeterea me pudet de eo triumphare, quod per ſe quiſque ſine ullo monitore contemnendum judicarit. Explorato jam hujus inſcriptionis natali ſolo, duo praecipue colligenda ſunt. I. *Coloniam*, cujus *patronus* ſalutatur in marmore *Munatius* pater, non aliam eſſe a *Neapoli* (4) Campaniae. II. *Re-*

gio-

(3) *Abundantia* nempe annonae per vilitatem ab eo procurata. Forte illo tempore *Abundantia* ſine ulla diſcriminante copula in hunc ſenſum accipiebatur, eaque poſtea infimo aevo *Graſſia* appellata eſt. Ex hoc autem loco colligitur, hujuſmodi procurationem fuiſſe Demarcho commendatam. Hinc ſane intelligitur, quamobrem Hadrianus Imp. potius *Demarchus* Neapoli geſſierit renuntiari, quam *Gymnaſiarcha*, uti praetulit Titus Imp. ſcilicet ut eo titulo opportunitatem haberet, non magis demerendi ſibi, quam remunerandi Neapolitanos, quos erga Antinoum ſuum, jam Deum factum, ſtudioſiſſimos comperetat. Vide a me dicta p.201. ſeq.

(4) De Colonia Neapoli plura diſſe-

rui

gionem Herculanenſium , utpote ejuſdem Coloniae participem , in ipſa urbe *Neapoli* eſſe quaerendam.

Vrbium *Regiones* , ut ſaepe admonui , plerumque nanciſcebantur cognomina vel a natura (5) loci , quem *regio* quaeque occupabat , vel a variis populis , qui olim κωμηδόν (*pagatim*) habitabant , uti priſcorum hominum conſuetudo ferebat (de qua pag.21.70. ſum locutus), ſed poſtea tuitionis utilitatiſque cauſſa in unam eamdemque urbem convenerunt , aut una ſimul , aut per temporum intervalla , in unam civitatem adſciti . Et ne a Neapoli diſcedam , *Eumelidae*, *Eunoſtidae* &c. totidem Phratrias olim componebant , mox *Cumanis* in civitatem receptis , nova veteribus addita eſt *Phratria Cumanorum* . Non dubito , quin novae ſubinde factae ſint civium acceſſiones ; *Campanos* certe Strabo V. p. 246. refert , *in urbem* (Neapolim) *civium loco receptos*. Profecto ſpatium urbis a Campanis occupatum , quin *Regio Campanorum* appellata fuerit , ſuperſtes hodie dum *Curia Capuana* dubitare non patitur. In epigraphe autem noſtra , de qua nunc tractatur , nova *Regio* comparet *Herculanenſium* : quae undenam ſuam deſumpſerit denominationem , inter noſtrates Scriptores omnino non convenit. Martorellius p. 440. in praeſentia ſibi cavens , pollicitus eſt ea de re alio tempore locuturum . Laſena p. 184. ab aliqua ibi aede Herculi dicata , & Pontanus vaniloquentiam poëtarum , & ipſe poëta , ſectatus , ab ipſo Hercule antiquo Neapolis hoſpite , *Herculanenſium* repetunt nomen . At *Herculanenſis* , vocabulum ſive ἐθνικόν (*gentilitium*) ſive κτητικόν (*poſſeſſivum*) ſit , per analogiae canones non ἀμέσως (*immediate*) ab *Hercule*, ſed ab *Herculano* , quod oppidum Campaniae eſt in vicinia Neapolis , deſcendit : ut in illa inſcriptione noſtris temporibus ibi eruta : *M. Nonio M. F. Balbo Pr. Procoſ. Herculanenſes*. Sed quandonam , quave premente cauſa Herculanenſes in urbem

rui in Pal. Neapol. a pag. 181. ad pag. 209. ubi demonſtravi Epocham hujus Coloniae aequo paſſu cum aetate Petronii Arbitri procedere , & utramque ad poſtrema Antoninorum tempora eſſe rejiciendam. Ibique etiam p. 197. aliquot *Coloniae Neap. Patronos* enumeravi.

(5) Ex. gr. Neapoli *Regio Thermenſium* , cujus mentio fit in inſcriptione Gruteri p. CCCCXXX, 6. ſic cognominata , uti vero ſimile paret , a calidis aquis ea in regione ſalientibus , de queis Strabo V. p.246. *Habet Neapolis etiam* (θερμῶν ὑδάτων ἐκβολάς) *calidarum aquarum ſcaturigines , & balneorum apparatus Bajanis non deteriores* &c.

bem Neapolim migrarint, res eſt plena indaginis, nec paucis poterit expediri.

Vulgaris opinio eſt, neque hactenus a quoquam in dubium revocata, Pompejos una ſimul cum Herculano ad internecionem fuiſſe redactos tempeſtate illa Veſuvii, quae Tito Auguſto detonuit. At ea montis conflagratio non prima omnium fuit, neque uſque eo deſaeviit, ut utraque urbs e favillis, prope dixerim, ſuis reſurgere nequierit. Enimvero haec oppida fuere reſtituta tum providentia ac liberalitate Titi, tum peculiari ſtudio miſerorum civium, qui nihil antiquius habuiſſe videntur, quam ut lares fundoſque ſuos a cineribus lapilliſque obrutos denudarent. Vrbes paullatim atque intervallo temporum ut augeſcunt, ita decreſcunt. Aliae ſubinde atque aliae iteratae calamitates in cauſa ſunt, ut urbes in pagos villaſque abeant, donec ſenſim, ut ita dicam, ac ſine ſenſu penitus evaneſcant. Quamobrem nulla mihi, puto, inferetur criminatio, ſi paulliſper a propoſito digrediens, in Veſuvii, cui urbes Pompeii & Herculanum fuerunt obnoxiae, incendia Tito antiquiora, tum poſtea in ea, quae ſubſecuta ſunt, paullo curioſius inquiram.

Veſuvium a primis uſque temporibus arſiſſe, tum ex ipſa vocis in primaeva lingua *ignem* ſignificantis, etymologiâ (6) arguitur; tum etiam ex antiquis traditionibus & lapidum ejus montis indole, ſeduli naturae indagatores (7) ſunt argumentati. Verum de hiſce antiquis conflagrationibus nulla deſcriptio, temporum circumſtantiis definita, ad noſtram pervenit eruditionem. Attamen Tertullianus, quem ſi veterum librorum dixeris helluonem, rectiſſime hominem definieris, obiter tetigit *Pompejorum* incendium: ſed quoto id acciderit anno, ipſe quidem dicere ſuperſedit, ex argumento tamen quod tractat (8), facile eruitur, Pompejos

(6) Mazochius in additamentis ad Etymol. Voſſii feliciſſime *Veſuvium* ab אש *Es*, i. e. *ignis*, arceſſit, quod praepoſito digamma *VES* (ac fortaſſe ab Aeolenſibus) pronuntiatum eſt. Ab eadem radice, Chaldaice tamen inflexa, deduxerat *Aetnam* Bochartus in *Phaleg.* p. 585. Cujus originationis indicio haud temere quis conjecerit, utrumque montem ab ea uſque aetate arſiſſe, qua Japeti nepotes ex Oriente profecti, in Italiam & Siciliam ſuas deduxere colonias, & locis a ſe occupatis Orientalia vocabula, quae ſoli ſignificabant naturam, impoſuerunt.

(7) Diodorus Sic. IV. p. 159. Vitruvius II. cap. 6. Strabo V. p. 247.

(8) Tertullianus Apolog. cap. 40. ut calumnias Ethnicorum elevaret, qui omnes publicas calamitates in odium Chri-

pejos ante Chriſti Redemptoris natalem *igne ſui montis fuiſſe perfuſos* . Quid quod ipſa vocabula *Pompejorum* , & *Herculani* , loca quondam arſiſſe produnt ? Loca, quorum memini , a Tyrrhenis ,& Pelaſgis primitus occupata , poſtea a Samnitibus , Strabo retulit : itaque horum locorum ſignificationes omnino a patriâ Conditorum linguâ ſunt repetendae . Grammatici veteres *Pompejos* & *Herculanum* ab HERCVLE repetiverunt , quia is POMPAM ſui triumphi illic exhibuerit . Fabulae . Propius vero exſtiterit , ſi quid ea ſuper re a Pelaſgico fonte dabitur haurire . Veſuvius non ſolum ignibus damnoſus eſt , ſed etiam incommodus , mugitu , ac ſtrepitu *tonitruum* (9) formidandus : qui mugitus interdum reboant , etiam cum nulla externi incendii ſpecies appareat . Quemadmodum autem locus is, ubi Nilus maximo aquarum fragore cadit , *Catadupa* , & accolae populi , *Catadupi* , ἀπὸ τοῦ Δούπου , *a ſtrepitu* , vocantur ; ita mihi , niſi amabili illudor inſania , videtur ,

Chriſtiani nominis rejiciebant , haec reponit : *Sed nec Tuſcia , atque Campania de Chriſtianis* (qui nulli tunc erant) *querebatur , quod Volſinios de Coelo* , & *POMPEIOS DE SVO MONTE* (Veſuvio) *perfudit IGNIS* . Incendium Volſinium , teſte Julio Obſeq. de Prodigiis , Valerio & Herennio Coſs. accidit , h. e. anno ante Chriſtum natum tertio ac nonageſimo . Ad ea tempora , & fortaſſe multo remotiora , retrahendum eſt incendium Pompejorum : alioquin Tertullianus ſi de Neroniana , aut Titiana poſt Chriſtum natum conflagratione fuiſſet locutus , contra ſua commoda laboraſſet , ſuaque , ut dici ſolet , cecidiſſet vineta: namque eo tempore jam Evangelicae tubae Romae & paſſim in Orbe Romano inſonuerat clangor . Igitur Apologiſta Chriſtianus proditur de alio incendio vetuſtiore fuiſſe locutus , quod Volſinios aeque ac Pompejos ante Chriſti adventum , corruperit . Atque ita ſe res habuit : compertum namque eſt , urbem Pompejos , quam nunc magna ex parte eruderatam conſpicimus , fuiſſe vetuſtiſſimis lapideſcentium torrentium ſtratis ſuperimpoſitam . Cum paucis abhinc annis puteus in agro Pompejano effoderetur , fabri tria ſtrata lapideorum torrentium offenderunt , ſuis terreis interſtitiis diſtincta , quorum ultimum ad ducentos palmos Neapol. infra humum deprimitur . Hodiernum horizontale ſolum Pompejorum ferme eâdem ac Romanis temporibus , libra ſternitur : hinc concludere licet , Veſuvium ab ultimis temporibus & forte cum in hac ora Pelaſgi dominabantur, arſiſſe , incendiſſeque vetera Pompejorum mapalia , ad quae digitum intendit Tertullianus ; ac praeterea urbem ſuper antiquis ruderibus rurſus fuiſſe aedificatam , ubi nunc ſtat , veteribus templis theatroque ad hanc diem ſuperſtitibus , occupatam .

(9) Dio LXVI. §. 22. ubi de Veſuvio : Ἠχαί τε , αἱ μὲν ὑπόγειοι , βρονταῖς ἐοικυῖαι , αἱ δὲ ἐπίγειοι , μυκηθμοῖς ὅμοιαι , συνέβαινον , *Sonitus cum ſubterranei , tonitribus , tum ſuper terram , mugitibus ſimiles exſtiterunt* , & lib.LXXVI. §.2. teſtatur , ſe, Capuae cum eſſet , Veſuvii μυκήματα i. e. *mugitus* audiviſſe .

tur, antiquus pagus montis accola, a Veſuvii *βόμβοις* (*mugitibus*) fuiſſe BOMBHEIΣ appellatus: quod poſtea vocabulum Latini, vel potius Samnites, expulſis Pelaſgis, levi flexu in POMPEIOS ad genium ſuae linguae expolierunt. *Catadupa* certe *Nili* haud mediocrem ſignificationi *Pompejorum Veſuvii* conciliant fidem.

Iiſdem Pelaſgis tribue *Herculani* noſtri nomenclationem. Vſus obtinuerat, ut portentoſa quae forent, & admiranda, ea per excellentiam *Herculea* & *Herculanea* dicerentur, & maxime ea loca, unde vel ignes, vel aquae thermales erumperent. Ἡράκλεια λουτρά, *Herculana lavacra*, non ſunt balneae ſtructiles, ſed aquarum & quidem calidarum ſcaturigines. Ariſtoph. Nebulis v. 1047.

Ποῦ ψυχρὰ δῆτα πώποτ' εἶδες Ἡράκλεια λουτρά;

Vbi tu frigidas umquam vidiſti Herculanas balneas?

quia *Frigida* & *Herculana* directo opponuntur. Enim vero via, quae a lacu Lucrino Puteolos ducit, a Graecis Latiniſque Scriptoribus Ἡράκλεια & *Herculana* dicebatur: ſed haec via in ea ſternebatur regione, quam *Phlegram* i. e. aduſtam, vocabant; *ibique Gigantum occiſorum fulminibus inflicta vulnera ignem iſtum aquaſque ebullire*, ex vulgi opinione Strabo refert V. p. 245. Namque perſuaſum vulgo, maxime poëtarum operâ, fuit, ubi ubi ignes vel aquae calidae olim exſilierint, ibi gigantes fulminibus a diis proſtratos jacere. Vid. Strabo XIII. p. *626*. Scholiaſt. Lycophronis ad v. *688*. Eadem omnino fabella de gigantibus in *Veſuvio* profligatis, narratur a Diodoro IV. p. 159. Immo Dio LXVI. §.23. ubi de Titiana Veſuvii conflagratione, narrat, in ea trepidatione nonnullis viſos fuiſſe *Gigantes reſurgere*, quaſi bellum cum diis redintegraturos. Et quoniam in eo proelio Hercules ſtrenuam operam navavit, magnamque edidit terrigenarum ſtragem Diod. l. c. p. 155. hinc mihi fit veriſimile, loca ſponte igneſcentia, fuiſſe dicta ab Hercule gigantum extinctore *Herculana*. Quae cum ita ſint, facile quiſque divinarit, quamobrem oppidum noſtrae Campaniae, montique ignivomo adhaerens, Pelaſgi Ἡράκλειον, ut hoc oppidum a Strabone effertur, vocitarint (10).

Quoniam in Herculani verſor originibus, haud abs re eſſe duco, ſi quid de ejus oppidi *Salinis* adjecerim. Columella X. v. 135.

(10) Ἡράκλειον Latini pro more ſuo in *Herculanum*, vel ut aliis placet, in *Herculaneum* detornarunt. Contra Dio Caſſius, uſurpans Ἡρκουλάνειον, latinis auribus quam Graecis, obſequi maluit.

135. ubi cvmata Pompejana laudat, haec inquit:

Quae dulcis Pompeja palus vicina Salinis
Herculeis . . . .

Eaſdem *Salinas Herculanenſes* memorat Plutarchus in vita M. Craſſi: ubi narrat, Spartacum, qui verticem montis (11) Veſuvii occuparat, ex improviſo adortum fuiſſe ac diripuiſſe Caſtra Craſſi Praetoris; ac poſtea ſubmiſſo in ejus locum P. Varino, parum abfuiſſe, quin ejus collegam Coſſinium λουόμενον περὶ Σαλίνας (*lavantem ad Salinas*) Spartacus idem oppreſſerit. Sed quaenam fuerint *Salinae?* Profecto ſi ea voce deſignarentur officinae, ubi *Sal* praeparatur, Graecus homo pro dignitate ſui eloquii ab uſurpando latino vocabulo temperaſſet, adhibuiſſetque ἁλοπήγια, aut tale hujuſmodi, quod Graece tantundem valeret. Cum autem his integre *Salinas* retinuerit, facile datur conjicere, notionem hujus vocabuli non e vulgari ſignificatu, ſed utique ex eo, qui Herculani obtinebat, eſſe hauriendam. Strabo autem memoriae prodit, Tyrrhenos in hac ora dominatos. Et ſane orientalem *Veſuvii* nomenclationem a Tyrrhenis accepimus: quidni *Salinas* etiam *Veſuvianas* ab iiſdem acceptas referamus? Exploratum eſt, Orientales uno eodemque vocabulo *Melahh* denotaſſe tum *Salem* tum *bitumen*. Celeberrimus in Judaea lacus, a Graecis *Aſphaltites* dictus, eo quod *nihil praeter bitumen gignit*, teſte Plinio, vertitur in Sacris Bibliis Latinis Geneſ. XIV. 3. Mare *Salis*, et Num. XXXIV. 3. Mare *Salinarum*, ut Hieronymo placuit in *Loc. Bib. Vallis Salinarum*. Paralipom. I. cap. 18. v. 12. Ad calcem Pſalmi LVIII. *in valle Salinarum*. Sic pariter uxor Lot, quippe quae bituminoſo igne correpta, eoque ferme dixerim, τεταριχευμένη (*condita*), verſa dicitur Geneſ. XIX. 26. in ſtatuam *Salis*. Latinis interpretibus Graeci praeiverunt, qui vel ἅλα, vel ἁλυκὴν hiſce locis uſurparunt. Quamobrem ſic ſtatuo; ignitos Veſuvii torrentes, reipſa ſulphure, ſale, ac bitumine praegnantes, principio a Tyrrhenis eo fuiſſe vocabulo deſignatos, quod aeque *ſalem* ac *bitumen* ſignificabat: mox a Pelaſgis per interpretationem in ἅλα vel ἁλυκὴν, ac denique a Latinis in *Salinas* tranſnominatos.

(11) In Plutarchi loco citato *Mons* quidem legitur, ſed de nomine minime compellatus. At belli Spartacii, ut ita dicam, tirocinium in *Veſuvio* poſitum fuit. *Prima velut ara* (inquit Florus III. 20.) *viris*, *mons Veſuvius fuit*. Idem ceteri, qui de eo bello ſervili meminerunt, affirmant.

Digitized by Google

natos. Verumtamen per me non ſtabit, ſi quis tot advenas populos conſulere faſtidiens, compendii cauſa praetulerit, ignitos Veſuvii torrentes ideo *Salinas* a Latinis vocitatos, quia revera *ſalibus* marinis, atque ammoniacis abundarent. Vt ut ſe res habuerit; hoc extra dubitationem eſſe videtur, fluentes Veſuvii eructationes, quas hodie vulgus *Lave* appellat, Latine quondam *Salinas* fuiſſe vocatas. Et quoniam Columella tradidit *Pompejam paludem* vicinam eſſe *Salinis Herculeis*, ponendum eſt, extitiſſe eo tempore, & quidem in utriuſque urbis, *Pompejorum* & *Herculani* confinio, torrentem hujuſmodi lapideſcentem, quem Plutarchus, aeque ac Columella, Σαλήνας appellavit.

Jamvero quemadmodum veteres Scriptores ab natura & indole torrentium, *Salinas*, ita poſteriores ab eorumdem effectu *Chalaſtras* ſive *Vaſtationes*, appellarunt. Deus, ut populum ſuum a legis violatione deterreret, haſce minas ex Hebr. Deuteronomii XXIX. 23. intentat: *Sulphur & ſal combuſtionis* (erit) *omnis terra ejus; non feretur, neque germinabit, neque ulla herba aſcendet in ea*. Si quis hoc excidium, quod fuerat Sodomorum, cum Veſuvinis Salinis componat, paria utrobique omnia deprehendat: namque hic quoque ſeri nequit, neque ulla herba pullulabit, niſi prius peruſta & ſcabra torrentium h. e. Salinarum ſuperficies, vel cinere ab ipſo monte ſuperinjecto, vel aggeſta humo, cooperiatur. Hodiedum in pago Herculanei, & non longe a pago Retinae juxta mare locus eſt, qui torrente ignito olim ſuperfuſus, veteris conflagrationis veſtigia oſtentat: is autem locus nunc vulgari ſermone vocatur *Calaſtro*. Neſcio cui venerat in mentem, hanc denominationem ab aede, quae ibi ſteterit, Divo *Calliſto* dicata, repetere. Sed quanto ſatius eſt, hodiernum *Calaſtro* arceſſere a voce ΧΑΛΑΣΤΡΑ, quae aevo medio *excidium* deſignabat? Vide Cangium in ea voce. Forte locus hic ita vocabatur a Monachis Baſilianis, qui eo tempore frequentes in Campania degebant.

Quae huc uſque de *Pompejis*, de *Herculano*, ejuſque *Salinis* diſſerui, eo conſilio ſum perſecutus, ut ipſis etymologiis locorum Veſuvio adjacentium confirmarem, montem a primis temporibus arſiſſe: id quod Vitruvius ac Strabo nonniſi e natura hujus montis lapidum ſpongiarumque collegerant. Ad hujuſmodi nimirum indicia, ubi characteres hiſtorici deficiunt, ſine reprehenſione confugimus. Prima igitur Veſuvii conflagratio, quae nobis per accurationem hiſtoricam innotuit, illa eſt, quae incidit in annum primum imperii Titi, & LXXIX. poſt Chriſtum natum

Digitized by Google

tum, quae Campaniam evaſtavit (*). Hanc autem cladem Plinius Junior, incendii teſtis oculatus, duabus litteris decima ſexta, ac vigeſima lib. IV. graviter modeſteque deſcripſit: contra ac Statius, aequalis etiam Scriptor, qui per amplificationem a poëtis affectatam, oſtentat, ea incendii ruina populos una ſimul cum urbibus fuiſſe ſepultos lib. IV. Sylv. 4. ad Marcellum:

Mira fides! credetne virûm ventura propago,
Cum ſegetes iterum, cum haec deſerta virebunt,
Infra VRBES POPVLOSQVE premi?

Qua exaggerata Statii declamatione perſuaſum vulgo eſt, urbes Pompejos & Herculanum, ea tempeſtate jactatas, penitus interiiſſe. Equidem non diffiteor haſce urbes, utpote Veſuvio propiores, horrendis terrae motibus quaſſatas, oppletaſque ignitis ſaxis, pumicibus, cineribuſque, quodammodo incenſas & ſolo aequatas, procul intuentibus apparuiſſe. Scilicet in eo παροράματι (*hallucinatione*) verſabatur Statius, cum illa, quae nunc ex ipſo protuli, exararet: ſcribebat autem ad Marcellum, adhuc exaeſtuante Veſuvio; namque ibi dicere pergit: *Necdum letale minari—Ceſſat apex.* Quid ergo mirum, ſi Poëta in re trepida, quando pericula, ac damna vero majora apparere ſolent, ex urbe Neapoli proſpectans incendium, oppida Veſuvio proxima, arſiſſe ac deſediſſe conjecerit? At ubi ceſſatum a conflagratione fuit, praeterita clades tanti non eſt viſa, ut de reſtituendis urbium ruinis deſperaretur; maxime ubi animadverſum eſt, Veſuvium non liquentis igneae materiae torrentes evomuiſſe, (quae ſane calamitas fuiſſet irreparabilis) ſed praeter lapides (*igne fractos*, ut Plinius loquitur, non *fuſos*) & pumices, offudiſſe ἀμύθητον τέφραν, ut inquit Dio l. c. *ineffabilem cinerem . . . qui duas integras urbes Pompejos & Herculaneum, populo* (12) *ſedente in theatro*, (καθήμενον) *obruit* (13). Haec

(*) Huic conflagrationi praeiverat paucis ante annis ingens terrae motus, quo *Pompejos deſediſſe* narrat Seneca Natur. Quaeſt. VI. 1. *vexatis, quaecumque adjacebant, regionibus . . . nam & Herculanenſis oppidi pars ruit* &c.

(12) Scilicet dum quiſque populus in ſuo patrio theatro ſederet. Coepit incendium *Kalendis Novembris*, ut ex Plinio, *hora ſeptima*, h. e. prima poſt meridiem, qua nempe diei tempeſtate tunc mos erat vacare ſpectaculis. Laſena noſter *Gymn. Neap.* cap. IV. poſt Camillum Peregrinum, negat Pompejis atque Herculanei patuiſſe theatra, ac proinde opinatur, ea quae Dion de hiſce duobus populis in theatro ſedentibus narrat, nonniſi de theatro Neapolitano eſſe intelligenda: Verum ſplendide fallitur; namque aetate noſtra theatrum utrobique detectum fuit, Pompejis nim. & Herculani.

(13) *Obruere* non eſt dejicere aut proſternere, ſed aggeſta humo, lapidibus,

Haec autem immenſa cineris copia, ſi tantummodo ventorum arbitrio, aut largis imbribus permiſſa fuiſſet everrenda, perbrevi tempore ab urbium tectis, plateiſque vertiſſet ſolum. Hiſce fortuitis caſibus adde nunc privata civium ſtudia recuperandi ſuas res, induſtriam humanam, &, quod palmarium fuit, Titi Auguſti praeſentiam (14) & liberalitatem. Sane clementiſſimus Titus, ut e Suetonio cap. 8. diſcimus, *Curatores reſtituendae* (15) *Campaniae e Con-*

bus, vel qua alia ſuperincidente materia, contegere & operire. Plinius cit. Epiſt. 16. *Area ea, qua adibatur diaeta* (quo cubitum ierat ſuus avunculus Plinius) *ita jam cinere, mixtiſque pumicibus oppleta ſurrexerat .... ut exitus negaretur:* & hoc Stabiis; quo minus mirabimur, ſi urbes monti propiores, Pompejos inquam & Herculanum, eadem copia cinerum ac pumicum, prope dixerim, tumularit. Plinius lib. IV. Epiſt. 16. de avunculo ſuo, qui quadriremibus eo pervenire feſtinabat: *Jam navibus cinis inciderat; quo propius accederet, calidior, & denſior; jam pumices etiam nigrique & ambuſti, & fracti igne lapides. Vadum ſubitum, ruináque montis littora obſtantia.* Lapides erant, non liquefacti, & torrentis inſtar ambulantes, ſed e viſceribus montis *igne fracti*, & in altum ſublati. Sed quid per *vadum ſubitum, ruináque montis obſtantia littora* ſignificatur? Ipſe Plinius Epiſt. 20. exponit; ubi narrat, *mare in ſe reſorberi, & tremore terrae quaſi repelli videbatur; certe proceſſerat littus; multaque animalia maris ſiccis arenis detinebantur.* Quae verba Plinii nobis ab oculos ponunt ἄμπωτιν, h. e. curſum maris a littore refluum, ſive potius Σύρτιν, quum *limum arenamque & ſaxa ingentia fluctus trahunt;* uti *Syrtis* deſcribitur a Salluſtio Jugur. 80. Quocirca verendum erat, ne quadriremes ſi ad littus applicuiſſent, in vado, quod ob refluum mare opinione citius occurrerat, haeſiſſent. Sequitur apud Plinium: *ruinaque montis.* Vt *ruina caeli*, quicquid e caelo, ita *ruina montis*, omne quod e monte decidit, ſignificat, ut in re praeſenti, cineres, pumices, ſaxa a Veſuvio projecta. *Littora* porro dicuntur *obſtantia*, non quia torrentes igniti per littora tunc decurrerent in mare (qui ſane ſtabiles ὄχθας ἁλιέρκεας, Pind. Pyth. I. v. 34. *littora mare-coercentia* effeciſſent) ſed illa littora ſunt intelligenda, quae utpote ejaculanti Veſuvio expoſita, *obſtabant*, erantque impedimento, quominus ibi praeſentiſſimo cum periculo ſubpraefectus Claſſis Miſenenſis exponeretur; quamobrem is continuo navigavit Stabias.

(14) Veſuvinae conflagrationi paucis poſt menſibus ſucceſſit Romae vaſtum incendium, *dum Titus* (inquit Dio LXVI. §. 24.) *ad viſendam Campaniae calamitatem profectus abeſſet.* Hinc collige, Auguſtum huc properaſſe, ut praeſentia ſua erigeret dejectos Campanorum animos, & reſtituendarum urbium opus urgeret.

(15) Inter ceteras Campaniae urbes Neapolis etiam Auguſti Titi ſenſit munificentiam. Id collige ex inſcriptione Graeco-Latina, quae adhuc in hac urbe ſupereſt, & refertur a Grutero pag. CLXXIII. 8. quam in inſcriptionem illuſtrandam ipſe poſt nonnullos Scriptores noſtrates meam contuli ſymbolam in Palaeſtra Neap. pag. 109. ſeqq. etſi neque mihi, neque cuivis in mentem venit, ruſpari, quanam occaſione ex tempore oblata motus Imp. Titus, ruinas urbis noſtrae repararit. Ergo ex hac epigraphe docemur, *Titum Tribun.*

Conſularium numero ſorte duxit. Bona oppreſſorum in Veſevo, quorum heredes non exſtabant, reſtitutioni adflictarum civitatum attribuit. Inde patet, plures in ea ſubita conflagratione oppreſſos interiiſſe; queis adnumera *Druſillam* (conjugem Antonii Felicis, Judaeae Procuratoris) ejuſque filium *Agrippam*. *Sed quemadmodum* (inquit Joſephus Antiquit. Judaic. XX. 7.) *is juvenis cum muliere iſta perierit* (κατὰ τὴν ἐκπύρωσιν τοῦ Βεσβίου ὄρους) *cum inflammaretur mons Veſuvius, tempore Titi Caeſaris, poſtea declarabo*. Sed redeo ad Titum.

Res e ſententia Auguſti ſucceſſit: namque cives, qui alio aufugerant, tum confirmati auctoritate Conſularium, tum privato quiſque ſtudio reviſendi deſertos lares inflammati, confeſtim urbes e cinerum ſpongiarumque repurgarunt impedimentis, & quoad ejus facere poterant, reſtituerunt. Res enimvero ita ſe habuit; namque ille Statius, qui ad Marcellum ſcribens, *infra urbes populoſque premi*, tragoedias excitarat, mox palinodiam cecinit, animoſque pariter fecit uxori *Claudiae*, ut Româ rediret Neapolim Sylv. III. verſ. 76. ſeqq.

Non adeo Veſvinus apex, & flammea diri
Montis hyems trepidas exhauſit civibus VRBES:
STANT POPVLISQVE VIGENT . . . .

quaſi diceret: non eo uſque Veſuvius deſaeviit, ut oppida vacuefecerit: imo contra his in tuto jam poſitis, fugitivi cives confidenter ad lares ſuos remearint. Itaque Statius ſecundis litteris retractans ea, quae primis praeter verum exaggerarat, certiores nos facit, Pompejos & Herculanum vel poſt Veſuvii conflagrationem floruiſſe. Quamdiu porro hae urbes ſteterint, in obſcuro latet;

bun. Poteſt. $\overline{X}$. *Coſ.* $\overline{VIII}$. Neapoli terrae *motibus conlapſa reſtituiſſe*. Hi temporum characteres nos veluti manu ducunt ad annum V. C. 833. Chriſti 80. Veſuvius Kalendis Novembris anni ſuperioris h. e. exeunte anno Chriſti 79. conflagravit: mox Auguſtus, ac facile ineunte anno Chriſti 80. *Curatores reſtituendae Campaniae* delegavit. Cum autem e noſtra epigraphe conſtet, *Titum*, *dum Conſul* $\overline{VIII}$. procedebat, Neapoli *conlapſa reſtituiſſe*; plane liquet, inter ceteras urbes Campaniae afflictas Neapolim etiam eſſe numerandam, eamdemque terrae motibus quaſſatam a Tito reſtitutam. Quam graves ea tempeſtate ingruerint terrae motus, horret animus meminiſſe. Lege ſis utramque Plinii epiſtolam 16. & 20. ubi de hiſce tremoribus, qui ſurſum deorſum Stabias & Miſenum jactarunt. Neapolis vero, quo propior Veſuvio, eo hiſce caſibus obnoxior.

latet; attamen ſi quis *Tabulam Peutingerianam*, ubi *Herculanum* & *Pompeji* pinguntur, contulerit cum *Itinerario Antonini*, ubi neutra urbs adnotatur; non omni prorſus veriſimilitudine deſtitutus conjecerit, excidium urbis utriuſque conſignandum eſſe eo interſtitio, quod inter utrumque geographicum monumentum intercedit. Id autem mihi in anteceſſum ſumo, (quod ceteroquin in dubium nemo revocarit) utrumque monumentum poſt Conſtantini Magni aetatem prodiiſſe in lucem; namque cardo diſſenſionis nonniſi in finiendo citeriore termino verſatur.

Hoc ſtabilito principio conſequitur, urbes Pompejos & Herculanum, utpote depictas in Tabula Peutingeriana, cum ſuis juſtis, ſed antiquis (16), ab urbe Neapoli milliaribus, adhuc poſt Conſtantini aevum perduraſſe. Vrbes cum dico, non ſolum moenia urbis complector, verum etiam *univerſitatem agrorum intra fines cujuſque civitatis*, uti a Pomponio L. 239. de verb. ſignif. definitur *Territorium*; ut territorium *Pompejanum*, *Herculanenſe*. Hactenus utramque urbem, toties Veſuvii metu defunctam, ſtetiſſe, hoc argumento ductus comprobavi: nunc quandonam eſſe deſierint, inveſtigandum. Theodorico Oſtrogothorum rege, qui ab anno Chriſti 493. ad 526. in Italia regnavit, gravis Veſuvina calamitas Campaniam afflixit, qua premente Campani Theodorico ſupplicarunt, *ut agrorum fructibus denudati, ſubleventur onere tributariae functionis*. Rex, ut quiſque pro modulo accepti damni eo onere allevaretur, Fauſto Praepoſito praecepit, *ut ad Nolanum ſive* (17) *Neapolitanum territorium probatae fidei virum deſtinaret, ubi neceſſitas ipſa, domeſtica quadam laeſione, graſſatur, ut agris ibidem diligenter inſpectis* &c. Caſſiod. lib. IV. ep. 50. At, ſodes, cur damnorum aeſtimator non potius *ad Pompejanum*, *& ad Herculanenſe territorium* delegatur? Enimvero pernicies Veſuvina Pompejis quidem

& Her-

(16) Herculanum in ea tabula diſtat Neapoli milliaribus XI. Sed ibi pro XI. omnino emendandum eſt VI. Et ſane tot haud amplius milliaria deſignantur in Menaeis Graecis, ubi S. Patricius ſic loquens inducitur: *Neapoli vidi egomet montem ſex millibus ab urbe diſtantem, baratbro biantem, qui divinum illum ignem (qui undae inſtar, ad trecentas ſuper montis cacumen ulnas exſiliens) terram concremavit, & ſaxa eructabat*. Vide Mazochium Kal. Neap. pag. 397. Quam porro rationem antiqua milliaria cum hodiernis Italicis habeant, vide eumdem Mazoch. Ibid. p. 619. adnot. 353.

(17) H. e. *Et*: namque ea aetate *τὸ ſive*, citius habebatur pro particula copulativa, quam pro disjunctiva. Vide Cangium.

& Herculano, monti proximis & obnoxiis, non vero Nolae ac Neapoli, quae inde longius aberant, *domeſtica quaedam laeſio* haberi poterat. Hujus autem localium vocabulorum immutationis cauſa ea mihi magis idonea fuiſſe videtur, quod ob aliquam teterrimam Veſuvii conflagrationem, quae ante Theodorici aetatem ſaeviit, ſubverſis aut deſertis urbibus Pompejis & Herculano, earumque colonis in proximas urbes hinc Nolam, & hinc Neapolim receptis, territorium Pompejanum *Nolano*, & Herculanenſe *Neapolitano* accrevit. Inde facile ratio perſpicitur, quamobrem in diplomate Theodorici nulla fiat mentio de Pompejano aut Herculanenſi territorio; ſcilicet quia veteribus oppidis abolitis profugi cives jura ſua cum civitate, in quam ſuos contulerant lares, communicarunt; iidemque viciſſim in nomen & jura ſimul adſcitae civitatis conceſſerunt.

Sed quaenam fuerit conflagratio, quae poſt Conſtantinum M. & ante Theodoricum excitata, tantam calamitatem Pompejis & Herculano importarit? Illa profecto, quae anno Chriſti 471. exarſit, quamque Marcellinus Comes in Chronico paucis quidem, ſed gravibus verbis perſtrinxit: *Veſuvius mons Campaniae torridus inteſtinis ignibus aeſtuans exuſta vomuit viſcera, nocturniſque in die tenebris omnem Europae faciem minuto contexit pulvere. Hujus metuendi memoriam cineris Byzantii annue celebrant VIII. Idus Novembris*. Equidem reor, hanc anni 471. conflagrationem ob deperditam veterem montis deformationem omnium accidiſſe pernicioſiſſimam. Veſuvius olim arduus in unum aſſurgebat cacumen, & ex una tantum parte aſper patebat aſcenſus. Plutarchus *in M. Craſſo*. Praeterea cacuminis ſuperficies *magna ex parte* (ἐπίπεδος) *plana & aequabilis* erat. Strabo p. 247. Denique e Dione diſcimus, Veſuvium e medio verticis ignes eructaſſe, ejuſque montis ſupercilia, ſive crepidines, vaſti *amphitheatri imaginem* repraeſentaſſe (18). Nunc illius rotundae figurae nonniſi breve ſupereſt ſegmen-

(18) Si quis Veſuvii faciem a Dione deſcriptam ob oculos ſibi proponi velit, contempletur oportet ſchema apud Hyginum de Limit. Conſtit. pag. 161. edit. Amſtelredami anno 1674. Ibi depingitur colonia Minturnae, Liri amne diviſa, & non procul inde mons ignes eructans, procul dubio *Veſuvius*; niſi quod pro *Veſuvio* exaratur *Aetna*. Fortaſſe ſcriba librarius pro ſolita idearum connexione montem ignivomum pro altero pariter ignivomo, peregrinante animo ſuppoſuit. Verum quia *Veſuvius* & *Aetna*, voces origine ſunt & ſignificatu germanae, nec niſi dialecto differunt (vide ſupra adnot. 6.): hinc Scri-

ſegmentum adverſus Boream, & penitus a montis vertice, unde hodie ignes erumpunt, ſeparatum. Quocirca conjiciendum eſt, qua parte priſtini montis margines auſtralem plagam ſpectabant, magno vaſtoque ob incredibilem ignium, cinerum, ſaxorumque eructatorum copiam, eam ſuperciliorum circumferentiam deſediſſe, & in apertam *voraginem* ruiſſe praecipitem: quo novo ſubterraneis ignibus ſuppetente pabulo, ebullierunt torrentes igneae liquidaeque (19) materiae, qui *terram*, ut Menaea referunt, *concremarunt*. Atque haec horrenda ruina, ſecutaque ignium alluvio, miſeros montis accolas, ea tempeſtate, opinor, ſollicitavit, ut confeſtim ſibi conſulerent, ac patriae laribuſque valedicerent ſuis.

Barathrum, quod in monte Veſuvio patefactum conjeci, maximopere firmatur e libro II. Conſtantini Porphyrogennetae de Thematibus Occidentis Cap. XI. Ibi, commemoratur Νεάπολις ἡ μητρόπολις, καὶ τὸ Οὐίσβιον ὄρος, καὶ ἐν αὐτῷ Πύρχανος, *Neapolis metropolis*, *& Veſuvius mons*, *& in ipſo Pyrchanus*. Obiter animadverte, nullam hîc fieri mentionem de *Herculano* & *Pompejis*, quae olim in monte ſteterant Veſuvio: quo ex ſilentio arguitur,

Scriba, opinor, liberum ſibi eſſe judicavit, alterutrum indifferenter uſurpare. Idem ſibi licere credidit Lucretius in illis verſibus e lib. VI.

Qualis apud Cumas locus eſt montemque Veſevum,
Oppleti calidis ubi fumant fontibus auctus.

Vbi *Veſevus* intelligi nequit ille mons Pompejis & Herculaneo infenſus, ſed quivis alius in regione Puteolana, & fortaſſe is, qui olim *Forum Vulcani*; hodie *Sulphurataria* dicitur, unde ebulliunt aquae calidiſſimae, *igne* intus agente, eaque de cauſa *Veſevus* appellativo nomine vocatur a Lucretio: de quo Poetae loco vide omnino, quae Franciſcus Seraus in ſua de Veſuvio diſſertatione pag. 23. iteratae editionis Neap. anni 1778. commentatus eſt: ille, inquam, Seraus, qui Profeſſor Medicinae Primarius, Protomedicus Regis noſtri, totiuſque Regni Neapolit. fuit: Vir ingenio ſubacto, honeſtate, humanitate, liberalitate, amicitia florentiſſimus, & merito cum Attico ac Laelio aequiparatus. Condonet mihi lector, ſi equidem meo indulgens genio, memoriae viri egregii deque me amantiſſimi hîc obiter parentarim.

(19) Natura hujuſmodi ignitorum torrentium haud latuit veterum Scriptorum diligentiam. Strabo lib. I. p. 58. *Neque deſiit inſula* (Euboea terrae motibus) *concuti* (πρὶν ἢ χάσμα γῆς ἀνοιχθὲν πηλοῦ διαπύρου ποταμὸν ἐξέμεσεν) *priuſquam hiatus terrae in Lelanto campo apertus fluvium luti igniti vomuit*. Hunc Strabonis locum ob oculos videtur habuiſſe Caſſiodorus, cum Veſuvinos torrentes, in hunc modum deſcribens: *Videas* (inquit l. c.) *Illic quaſi quoſdam fluvios ire pulvereos, & arenam ſterilem impetu fervente, velut liquida fluenta, decurrere*.

utrumque oppidum aetate Conſtantini ad ſolitudinem redactum. In definiendo *Pyrcbano*, aqua haeſit Morello, qui plures locorum conjecturas affert, ſed in nulla earum acquievit, tametſi animadvertiſſet, Πύρχανος eſſe compoſitum ex Πῦρ & Χάνος, & *ignis voraginem* denotare. *Pyrcbanus* ergo nihil praeterea denotat, niſi χάσμα γῆς, *voraginem terrae*, unde *ignes* erumpunt, illud nimirum quod Strabo in inſula Euboea deſcribit: vide ſupra adnotata (19). Olim Veſuvius, quemadmodum e Dione didicimus, e medio verticis ignes eructabat: at poſtea latere ſuperciliorum montis a plaga auſtrali ſubſidente, novum ſibi emiſſarium paravit, quod Conſtantinus non primus omnium Graece extulit *Pyrcbanum*, ſed uſu vulgari tritum, ſervavit incolume: id quod e ſuperſtite adhuc vici haud procul a monte Veſuvio *Purclani* (20) nomenclatione colligo. Quemadmodum hodie pietas Chriſtianorum haud procul ab hodierno Veſuvii camino aediculam Chriſto *Salvatori* excitavit, ita quoque mihi fit veriſimile, patuiſſe in vicinia *voraginis*, de qua loquitur Conſtantinus, aedem in honorem B. Virginis excitatam, traditamque monachis Baſilianis (21), ut eam ſartam tectam tuerentur. Ea aedes tamdiu ſteterit, quamdiu nihil a voragine timendum fuit: ſed poſtquam lapides, pumiceſque & cineres inde erumpentes viciniam obruerint, optimum factu viſum eſt, titulum ejuſdem aedis in alium tutiorem locum pro more transferre. Conſuetudo enim olim, hodieque obtinet, ut ſacrarum aedium *tituli*, caeli inclementia, vel maris aeſtu, vel quo alio incommodo caſu premente, ad ſolitudinem redactarum, transferantur in locum commodiorem ac tutiorem. Abſtineo exemplis, quae ſunt obvia. Cum autem a Conſtantino didicerimus, *Pyrcbanum* ſtetiſſe
in

(20) Is vicus, vulgo *Purchiano* dictus, applicitus pago *Ponticello* medio ferme intervallo inter Neapolim & Veſuvium ſitus, ſuum nactus eſt nomen *ab aede* ibi conſtructa in honorem *Deiparae Mariae*, cui titulus *ad Pyrchanum*, qui poſtea a Scriptoribus infimi aevi in *Porclanum* depravatus eſt. Is vicus ſat antiquus eſt, quippe qui memoratur in ſyngrapha Indictione IV. anni X. regni Rogerii, *De integra petia, quam ipſe Gregorius detinebat intus campum ipſius Monaſterii poſitum in loco, qui nominatur PORCLANVM*. Vide Clariti Commentarium in Conſtitutionem Federici II. Imp. de Inſtrumentis conficiendis per Curiales, editum Neap. 1772.

(21) Monachi hujus inſtituti plures eo tempore vigebant Neapoli, praeſertim ubi Beliſarius auſpiciis Juſtiniani Imp. hac urbe potitus eſt. Hiſce nimirum auctoribus, inſtituto Graecis, tribuebis Graecanicam *Pyrchani* nomenclationem, quamvis ea tempeſtate Graeciſmus ab agro Neapolitano exſulaverat.

in monte *Veſuvio*, pariterque deprehenderimus vicum eidem monti proximum ac plane cognominem; pronum eſt colligere, *titulum S. Mariae ad Porclanum*, qui a ſeptingentis ferme ab hinc annis hodiedum vico adhaeret, non eſſe ejus loci indigenam, ſed advenam, nempe a *Pyrchano*, ſeu voragine Veſuvii, traductum.

Sed quorſum, inquies, iſthaec adeo curioſa & minuta diſquiſitiò? Scilicet ut ex collata vetuſtioris *Pyrchani* epocha cum recentioris *Polcrani* ſyngrapha, mihi copia fiat divinandi, quonam tempore illa *ignis vorago* Conſtantini non ſolum complanata, ſed etiam per intervalla temporum paullatim aſſurgens, alterum quod nunc viſitur, Veſuvio pepererit jugum. Conſtantinus e vivis exceſſit anno Chriſti *959*. Characteres laudatae ſyngraphae anni X. regni Rogerii pertinent ad annum Chriſti 1140. Hoc autem medio temporis intervallo, uti a noſtratibus intellexi Scriptoribus, qui accurate partiteque incendia Veſuvii enumerarunt, tribus vicibus mons conflagravit, nempe annis *993*. 10*36*. 1138. Hiſce repetitis eructationibus, opinor, tribuenda eſt *Pyrchani* h. e. *voraginis* in *collem* metamorphoſis. Exinde Veſuvius, qui olim, ut ante expoſui, in unum aſſurgebat verticem, in duo, montis Parnaſſi inſtar, diviſus eſt juga; quorum unum hodie *mons Summae*, alterum *mons Veſuvius*, unde exſiliunt ignes, appellatur. Mons autem *Summae* ſegmentum eſt, ut ante monui, coronae ſuperciliorum, quae in amphitheatri ſpeciem antiquum ignis emiſſarium ambiebant. Hodiernus vero *Veſuvius* a ſaxis, ſpongiis ac cineribus, quae *Pyrchanus* Conſtantini ſubinde eructavit, coagmentatus eſt in conum; ac proinde is collis novitii eſt operis, Bocharti procul dubio Geograph. Sac. I. *33*. pag. 582. opinione recentioris.

Sed jam ſatis de variis Veſuvii eructationibus diſſerui, nunc a meo penſo flagitor, ut ad Herculanum, unde digreſſus fui, redeam. Summa autem eorum, quae in hanc ſententiam expoſui, huc redit, Herculanum quidem ſtetiſſe adhuc poſt Tabulae Peutingerianae aetatem; quandoquidem ibi hoc oppidum ſimul cum Pompejis comparet; utramque vero urbem evanuiſſe, antequam Antonini Itinerarium, ubi neutrius urbis habetur ratio, ederetur. Quamquam aetas Tabulae Peutingerianae & Itinerarii Antonini poſt tot tantaſque eruditiſſimorum hominum concertationes, adhuc incerta pendeat; tamen quia anno Chriſti praeter propter quingenteſimo, agri Veſuvio monti ſubſtrati, non amplius *Herculanenſis* & *Pom-*

Digitized by Google

Pompejanus, uti facto opus fuiſſet, ſi urbes eo tempore ſtetiſſent, ſed *Neapolitanus* & *Nolanus*, ut ex Epiſtola Theodorici patet; hinc mihi facultas conjiciendi praebetur, Itinerarium Antonini, a quo abſunt *Herculanum* & *Pompeji*, poſt Veſuvii conflagrationem anni 471. fuiſſe exaratum. Jamvero quia in confeſſo eſt, Tabulam Peutingerianam poſt Conſtantini M. tempora prodiiſſe in lucem; ac rurſus quia nulla alia conflagratio *Pompejis* & *Herculano* exitialis poſt Conſtantinum & ante Theodericum, memoriae prodita ſit, niſi ea quae a Marcellino Comite ad annum Chriſti 471. refertur; idcirco non temere neque inconſulto affirmare quis poſſet, Tabulam Peutingerianam ſaltem ante hunc annum fuiſſe delineatam, eo quod ibi Herculanum & Pompeji ſuo loco ſiſtuntur. Quod ſi in ea Tabula loca aliquot notae recentioris hodie legenda proponantur, memor ſit lector, Pinaces geographicos ferme habendos eſſe tamquam gloſſaria locorum, quae per regiones diſtincta, apte & ſuo quaeque loco, habita nempe intervallorum ratione, digeruntur. Quemadmodum autem gloſſaria geographica non uno tempore, unoque, ut ita dicam ſpiritu, ad integritatem ſunt redacta; ſed curae poſteriores addendo plura vocabula, vel a primo conditore omiſſa, vel ea quae uſus recentior adoptaverat, illa locupletarunt; ſic pariter ea loca, quae in Tabula Peutingeriana citerioris tempòris eſſe produntur, non ſunt primo auctori, qui ante annum 471. vixit, ſed poſteriori locupletatori tribuenda.

Vidimus urbes Herculanum & Pompejos conflagratione Veſuviana anni 471. crematas ac plane deletas: conjiciamus nunc oculos in illos miſeros cives, quos conſternatos terrae motibus, atque improviſa montis ruina oppreſſos, veroſimillimum eſt, alios alio, ut in re trepida fieri ſolet, confugiſſe; & illuc maturaſſe fugam, ubi tutioris pariter ac propioris ſtationis offerretur opportunitas. Vbi vicinitas, ibi mutua agitantur commercia, & beneficia ultro citroque dantur & accipiuntur. Quam ob rem conjectare licet, ne dicam aſſerere, Pompejanos Nolam, & Herculanenſes Neapolim (quae urbes aequo ferme intervallo a Veſuvio diſtant, illa ad Orientem montis, haec ad Occidentem ſitae) properaſſe. Ceterum quod ita ſe res habuerit; facile ex eo argui poteſt, quod agri, quos olim poſſederant *Herculanenſes* & *Pompejani*, poſt conflagrationem anni 471. comperiuntur vocati *Neapolitani* & *Nolani*. Vtrum hodie ſuperſit Nolae aliquod Pompejanorum

norum in eam urbem μετοικησίας (*migrationis*) indicium, eruditi Nolani explorent : Herculanenſes quidem certe laribus boniſque omnibus exutos a Neapolitanis humaniter, ac liberaliter habitos, in ſuamque civitatem receptos, illud eſt argumento, quod illorum in hac urbe ſtatio *Regionem* e ſuo nomine compellatam, nempe *Herculanenſium*, conflarit. Et quoniam par aequumque eſt, ut novis hoſpitibus, iiſque fortuita & graviſſima calamitate jactatis prolixior, quam domeſticis, honor deferatur; idcirco nova in urbe Neapoli *Regio Herculanenſium*, fuerat, opinor, *Primaria* & *Splendidiſſima* nuncupata. Itaque quemadmodum Neapolitani ſuperioribus temporibus *Cumanos* e patria extorres, in civium jus receperant, ex iiſque novam *Phratriam Cumanorum* inſtituerunt (vide p.193.ſeq) ac poſtea *Campanos*, e queis *Regio Campana* coaluit: ita poſtea *Herculanenſibus* in civium formulam receptis, *Regionem Herculanenſium* appellarunt. Supereſt adhuc ea denominatio, ſed vulgi vitio prodigialiter deturpata (22).

Atque haec de urbis Neapolis *Regione primaria ſplendidiſſima Herculanenſium*. Novi hoſpites, civeſque facti Neapolitani antiquum originis nomen retinuerunt; *Herculanenſes* enim dicti ſunt, quia ex urbe *Herculano* huc profugerant. Interea ubinam olim *Herculanum* ſteterit, hodiedum ignoraretur, niſi auſpiciis ingentique ſumptu Optimi Principis CAROLI BORBONII Siciliarum, deinde Hiſpaniae Regis, Theatrum Herculanenſe fuiſſet eruderatum. Namque aetate patrum noſtrorum diſputabatur, metandum ne foret *Herculanum* in hodierna Villa Regia (vulgo *Portici*) an potius

(22) Ethnicum vocabulum *Herculanenſis* paullatim ac per quoſdam gradus, in hodiernum *Forcella* degeneravit. Gregorius PP. hanc urbis regionem contractius vocat *Herculenſem*. Porro ſecutis temporibus vulgus, ne aſpirata littera in pronuntiatione deperiret, gravius eam intendens, veluti digamma Aeolicum, ſive F Latinorum, pronuntiavit; ceteroqui non praeter ſolitum, ut ab αἶλος *Feles*, a ναϝὸς, *Fanum*; & apud latinos promiſcue uſurpatum fuit, *Hedus* & *Fedus*: vide Feſtum in *Fedum*; & ne longum faciam, ſatis ſit Plinii locus III. cap. V. *Oppidum Formiae, Hormiae prius olim dictum*. Quo minus mirandum eſt, ſi *Herculenſem* aevi Gregorii PP. plebecula in *Furcillenſem* corruperit, quemadmodum ea regio in chartis infimi aevi deſignatur. Ac tandem eo deventum eſt, ut haec regio hodie efferatur *Forcella*: quo bruto ſono decepti nonnulli Scriptores noſtri *Furcillae* vocabulum a littera Pythagorica *bifurca* repetiverunt, eamque litteram in ea regione, atque eo conſilio ſcalptam, palamque expoſitam commenti ſunt, ut decantatum Herculis bivium ob adoleſcentum oculos obverſaretur. Gerrae germanae.

potius in pago contiguo, qui cognomine *Turris* (23) *Octavii* (vulgo *Torre del Greco*) deſignatur. At ubi palam compertum fuit, Theatrum Herculanenſium vix uno ſtadio Occidentem verſus a Praetorio Regio diſtare, perſuaſum omnibus fuit, antiquum Herculanum propius ad *Porticus*, quam ad *Turrim Octavii* accedere: namque ubi *Theatrum*, ibi majorem circumſtitiſſe civium frequentiam judicandum eſt.

Quid quod & ipſa hodierna *Porticuum* denominatio tantum non exſerta voce clamitat, ſuo ſe nomine *Theatri* deperditi memoriam ſine ulla intermiſſione ad haec uſque tempora conſervaſſe? In Palaeſtra Neapol. p. 188. pluribus jam demonſtravi, quas *Porticus Herculis* Petronius Arbiter memorat in ſuo Satyrico, non alibi eſſe locandas, niſi eo in pago, qui etiam hodie *Portici* vocatur. Nunc mihi libido inceſſit divinandi, undenam ipſi Pago id nominis adhaeſerit. Paucis memet expediam. Incendio Titiano *Theatrum Herculanenſium* cinere & lapidibus oppletum fuiſſe, auctoritate Dionis fit manifeſtum: vide dicta pag. 230. ibique pariter ſuaſi, urbem ipſam, auctoritate, munificentia, ac praeſentia Titi Auguſti fuiſſe reparatam; ſed non eo uſque reſtitutam arbitror, ut Cives e fuga reduces boniſque ſpoliati, operam etiam & fortunas ſuas ad eruderandam interiorem Theatri aream contulerint: profecto *non hoc iſta ſibi tempus ſpectacula* poſcebat; ſatis ſuperque miſeris civibus fuit, ſi privatos quiſque ſuos lares defoedatos, & a montis Veſuvii concuſſionibus ſatiſcentes, repurgaret fulciretque. Exinde opinor, *Theatrum* omnino conticuiſſe; etſi aedificii moles pro firmitate ſua diu poſtea a parte extima ſteterit incolume; namque interior area, ubi cunei ſpectatorum, & proſcenium aperto caelo patebant, cinere ſaxiſque obruebatur.

Externae Theatri & Amphitheatri facies, ſecundum veteris architecturae normam multiplicibus *Porticuum* ordinibus, per quas aditus ad occupanda ſedilia dabatur confluenti populo, erant inſtructae. Cum autem *Theatri Herculanenſis* cavea profundo cinere ſaxiſque obcoecata haud amplius ſpectaculorum adiretur causâ,

(23) Vulgo *Turris Octava*. Sed unde *Turrium maritimarum* repetetur initium, ut haec, de qua loquor, octavo loco numeretur? Mihi placet magis *Turris Octavii*. Ab hoc pago haud longe abeſt latifundium *Octavianum*, a poſſeſſore *Octavio* cognominatum, quod olim latius patuerit, ut amplecteretur hanc *Turrim*, antiquam, uti paullo poſt ſuadebo, *Retinenſium* ſtationem.

Digitized by Google

ſâ , & ſola *Porticuum* ſpecies , non ſine quadam artis admiratione , appareret ; facile eſt conjicere , locum circumcirca , ubi ea *Porticuum* moles ſe dabat conſpiciendam , conciſe *Ad Porticus Herculis* fuiſſe tranſnominatum , nulla ſuperſtite antiqui *Theatri* mentione , quia jampridem , ut paullo ante monui , *Theatrum* eſſe deſierat . Qua acceptione intelligendus eſt Petronius , ubi *Porticuum Herculis* , tamquam viatorum ſtationis , meminit . At *Porticuum* , de quibus loquor , moles , diuturnitate temporis , & frequentibus terrae motibus labefactata , paullatim agere coepit rimas , donec collapſa & aequata ſolo diſparuit . Verumtamen a vulgo obtineri nequiit , ut antiquum *Porticuum* nomen , loco ipſi olim non ſine cauſa impoſitum , dediſceret ; namque is pagus , qui *Herculis Porticus* contingebat , hodie dum quamquam nulla vola Porticuum ſuperſit , vulgari tamen ſermone *Portici* enuntiatur . Etſi hoc tempore , uti modo dicebam , nulla antiquarum Porticuum veſtigia appareant ; earum tamen rudera trecentis ferme abhinc annis non omnino evanuiſſe judico ; namque Sannazarius noſter e Mergellina in Craterem proſpectans , ita Ecloga V. cecinit :

Rupe ſub hac mecum ſedit Galatea : videbam
Et Capreas , & quae Sirenum nomina ſervant ,
Rura procul : veteres *alia de parte* ruinas
Herculis *ambuſta ſignabat ab arce Veſevus .*

mihi videtur Poëta , per *veteres ruinas Herculis* deſignare voluiſſe *Porticus* theatri *Herculanenſis* , jam aevo ſuo humi ſtratas , ſed adhuc ex parte conſpicuas .

Hodie locus , ubi detectum fuit Theatrum Herculanenſe , quoquo verſus incolitur a populo Pagi , qui vocatur *Reſina* , niſi quod a latere Theatri , quod adverſus Neapolim ſpectat , & paucis inde paſſibus , pone ſequitur Villa Regia , quae in antiqua *Porticuum* denominatione perduravit . Sed unde factum arbitrabimur , ut *Herculanum* in hodiernum *Reſinae* nomen abierit ? Nemo , opinor , dubitaverit , quin hodierna *Reſina* , eadem omnino ſit , ac vetus *Retina* Plinio memorata Epiſt. 16. lib. VI. *Miſeni erat* (Plinius claſſis Miſenenſis ſubpraefectus) . . . *jubet liburnicam aptari* (ut propius Veſuvii eruptionem intueretur) . . . *Egrediebatur domo , accepit codicillos . RETINAE claſſiarii imminenti periculo exterriti ; nam villa ea* (monti exaeſtuanti) *ſubjacebat ; nec ulla niſi navibus fuga ; ut ſe tanto diſcrimine eriperet , orabant . . . . Deducit quadriremes : aſcendit ipſe non Retinae modo ,*

Digitized by Google

ſed multis . . . laturus auxilium : properat illuc (Retinam) . Sed haec *Retina*, ut ex Plinii verbis colligi facile poteſt, ultra Herculanum, & ad maris litus tendebat. Enimvero Titiana Veſuvii conflagratione Claſſiarii Miſenenſes in littore hyemabant *Retinae*. Itaque *Retina*, quae monti ignivomo ſubjacebat, ultra Herculanum locanda eſt Orientem verſus : alioquin ſi cis Herculanum ad Occidentem ſtetiſſet, evadendi facultas dabatur Claſſiariis. Haec olim : ſed poſtea quam Herculanum repetitis ſubinde conflagrationibus plane fuiſſet peſſumdatum, & reliquiae infelicium civium Neapolim & Nolam, ut ante dictum eſt, commigrarunt ; tunc *Retina*, utpote ab ignea immunis alluvione, immota ſuo conſtitit loco : ſed poſtea ſibi ſola relicta, excurſionibus Africanorum piratarum patuit. At *Retinae* populus, in littore ſolitarius, cum piratarum exſcenſionibus impar eſſet reſiſtendo, a littore receſſit, & ut in tuto ſe poneret, in montem Veſuvium, veluti in quamdam arcem, ſe ſe recepit ; ac nactus opportunitatem deſertarum Herculanenſium parietinarum, ibi ſe cum ſuis laribus condidit firmavitque. Recens autem hujus transfugae populi domicilium, quonam alio nomine nuncuparetur, niſi quo ipſe populus antea deſignabatur ? *Retinae* ſcilicet, quemadmodum ejus natale ſolum, unde defugerant, antiquitus appellabatur. Inde factum eſſe reor, ut antiquum ac deſertum Herculanum in *Retinae*, ſive ut hodie vocatur *Reſinae*, conceſſerit nomenclationem.

Hanc populi Plinianae *Retinae* *μετοικησίαν* (*tranſmigrationem*), de qua ſum locutus, ingenue fateor, mihi a Joviano Pontano fuiſſe praemonſtratam ; qui poëtica quidem expolitione, ſed ad veritatem hiſtoricam accommodata, ita feſtive rem expoſuit in Lepidinae Pompa II.

Ecce venit Reſina aviae junctiſſima noſtrae,
Triſtior illa quidem patris de clade Veſevi.
Nam teneo, ſic lenis anus referebat, amaſſe
Hanc numquam, ſpreviſſe procos, at littore ſola
Moerentem caſus, exuſtaque regna parentis,
Tritonis cupidam vix effugiſſe rapinam.
. . . .
Ex illo infidum littus, fontemque relinquens ;
Rura colit, dumiſque ſuas ſtudioſa capellas
Paſcit, & errantes ſervat cum matribus hoedos ;
Quadruplici inſignes hirſuta ad tempora cornu.

Jo-

Jovianus poëticis hiſce pigmentis depingit Retinam I. *moerentem* ob exuſta regna patris Veſevi, & *ſolitariam* in littore relictam, nimirum, quia Herculano habitatoribus vacuefacto, nullus alius populus in propinquo erat, qui ſibi periclitanti opitularetur: namque *Pompejani* & *Herculanenſes*, qui ad litus *Retinam* Plinianam utrimque contingebant, jampridem illi quidem *Nolam*, hi vero *Neapolim* ſe ſe receperant. Hinc Retinae *littus ſolum*, h. e. deſertum, a Pontano deſcribitur. II. expoſitam *rapinis Tritonis* h.e. *piratis Libycis* (Triton enim in Africa) qui ea tempeſtate in hac ora Campaniae graſſabantur. III. ac proinde deſeruiſſe *littus* & *fontem*. Inde collige antiquum *Retinae* ſitum in hodierno pago *Turris Octavii* (hodie *Torre del Greco*) eſſe metandum: namque hic pagus Veſuvio ſubjectus, ad oram eſt *maris*, ibique adhuc *ſcatebra erumpentis aquae* perennat. IV. poſtremo factam ferme mediterraneam, ad *agri cultionem* & ad *caprarum foeturam* ſua ſtudia convertiſſe. In hanc igitur Pontani ſententiam ſtatuendum eſt, veteris Retinae oppidanos, ſibi a piratarum populationibus conſulentes, lares ſuos in proximam tutioremque ſedem, hoc eſt, in deſertum oppidum Herculanum aliquantulum a mari reductum, tranſtuliſſe; unde factum eſt, ut *Herculanum* quaquaverſum a profugis *Retinenſibus* inſeſſum, in *Reſinae* nomen abierit: quemadmodum antea *Herculanenſes*, ab ignitis Veſuvii torrentibus fugati, & humaniter a Neapolitanis in civitatem recepti, de nomine ſuo *Regionem Herculanenſium* in hac urbe conflarunt.

Si quis a me porro quaeſierit, qua tempeſtate priſci Retinenſes, ut in tuto ſe ponerent, Herculanum confugerint; equidem autumarem, id accidiſſe medio ferme Saeculo X. uti colligi poteſt ex libello *Miraculorum B. Agrippini* Epiſcopi Neapol. apud Mazochium *De SS. Epiſcopis Neap.* pag. 350. *Gens nefanda Agarenorum ex Africae partibus adveniens, hanc praefatam Parthenopenſem urbem navali proelio diverſiſque machinis & expugnationibus eam comprehendere conabatur*. Quo tempore difficillimo, opinor, vetus Retina h. e. hodierna Turris Octavii, haud longe diſtans ab urbe Neapoli, a Saracenis oppugnatâ, in oppidum Herculanum jampridem deſtitutum habitatoribus, ut antea demonſtravi, ſarcinulas tranſtulerit ſuas: quo referas oportet illud Pontani, *Tritonis cupidam vix effugiſſe rapinam*. Obiter hic animadverte hallucinationem Antonii Panhormitae, viri magni nominis, qui hodiernam *Reſinam* nimis confidenter *Plinianum* tranſnominarit. Hic

autem Joviano Pontano ſcribens lib. IV. Milit. Epiſt. (Edit. Vici Aequenſis apud Joſephum Cacchium anno 1586.) ſic inquit: *Proximis Chriſtianalibus PLINIANVM cum veniſſem, ſic enim appellare rus placet, in quo Plinium occubuiſſe conſtat ſatis, venit ad me* &c. & proxime ſequens Epiſtola ſic orditur: *In Plinianum heri cum veniſſem, repperi Philepanum noſtrum* &c. Auctoritas tanti viri effecit, ut ſui aequales adoptarint *Plinianum*, atque hodie vulgari ſermone *Pugliano* uſurpetur. At Panhormita ſplendide falſus eſt; namque Plinius Senior non in hoc rure, ad montis Veſuvii radices poſito, ſed Stabiis, uti colligitur a Plinio Juniore, exanimatus occubuit.

Plura jam de Herculano ſparſim diſſerui, quae paucis complecti, non valde pigebit. Oppida Herculanum & Pompeji ingenti terraemotu, a Seneca Natur. Quaeſt. VI. 1. deſcripto, quaſſata fuerunt, Memmio Regulo, & Virginio Rufo Coſs. h. e. anno Chriſti LXIII. E parietinis Pompejorum eruta fuit inſcriptio (quae hodie proſtat in atrio Muſei Herculanenſis) ex qua docemur, Fl. Veſpaſianum Trib. Pot. VII. Coſ. VII. (h. e. anno Chriſti LXXVI.) *Templum Matris Deûm terraemotu conlapſum reſtituiſſe*. Denique anno primo imperii Titi Aug. (anno Ch. 79.) oppida Pompeji, & Herculanum ſaxis & ineffabili cinerum copia obruta deſcribuntur a Dione. Vid. p. 230. Vtinam Joſephus Hebraeus obligatam exſolviſſet fidem; ſpoponderat enim, ſe eo de incendio alias locuturum (vid. p.232.); qui accuratiſſimus hiſtoricus, ut erat Tito Aug. acceptus, quid hic in ea calamitate praeſtiterit, planius edocuiſſet. Num, roget quis, ea Veſuvii calamitate peſſumdata fuerint, haec oppida, an adhuc eſſe perſeverarint. In hanc alteram ſententiam mihi animus inclinat, & multis quidem perſuaſus indiciis. Ac I. Plinius Junior teſtis oculatus incendii, de peſſumdatis oppidis nullum verbum fecit. II. Suetonius Tito recentior, teſtatur, *Bona oppreſſorum in Veſevo... RESTITVTIONI adflictarum civitatum* (Titus) *attribuit*: unde liquet, haſce urbes non omnino peſſumdatas, uti vulgaris fert opinio, ſed terraemotibus fatiſcentes, & cinere obrutas clementiâ Titi fuiſſe *reſtitutas*. III. Quamquam Statius, aeſtuante adhuc Veſuvio ſcribens ad Marcellum Sylv.IV. *Infra urbes, populoſque premi*, paratragoediet; tamen extincto Montis incendio veritati litavit, epiſtolâ ad Claudiam uxorem miſſa Sylv. III. ubi: *Vrbes, ſtant, populiſque vigent*. Vid. pag.232. Sed quas *urbes*, quoſve *po-*

pulos

Digitized by Google

pulos peſſumdatos opinabatur Papinius? Procul dubio *Pompejos* & *Herculanum*. Etſi alia quoque oppida ad dexteram laevamque Veſuvii, terrae motibus concuſſa fuerint; horum tamen pernicies tanti ponderis non fuit, ut cum Pompejana & Herculanenſi comparari potuerit: namque utraque haec oppida ad oſtium prope dixerim Veſuvinae fornacis poſita, praeter frequentes terraemotus & ſaxorum ejaculationes, tanta fumi cinerumque copia obruebantur, ut igne conſumpta deſediſſe, procul intuentibus viderentur. Qua hallucinatione deceptus Statius, forte ex urbe Neapoli proſpectans incendium, cataſtrophen utriuſque urbis, ut in re trepida fieri ſolet, ad Marcellum ſcribens, exaggeravit; *Infra urbes populoſque premi*. Sed poſtea quieſcente Veſuvio Poëta de re ipſa certior factus, fidem fecit uxori Claudiae, *ſtare urbes & populis vigere*. Fortaſſe qui aliter ſentiunt, decepti ſunt ex eo, quod epiſtola, qua Statius tragoedias excitarat, *libro IV. Sylvarum* proſtet; at illa, qua is cecinit palinodiam, in vulgatis editionibus *libro III. Sylvarum* conſignetur: nempe ὕστερον πρότερον. Sed cuinam incompertum eſt, Epiſtolas quoque Ciceronis *Familiares*, & quae *ad Atticum*, non ad exactam temporum notationem fuiſſe digeſtas.

IV. Porticibus (hodie *Portici*) in Praetorio Regio, viſitur Statua equeſtris, eruta ex effoſſionibus Herculanenſibus, in cujus baſi legitur haec inſcriptio, eleganti charactere, qualis aevo Hadriani, & proxime ſecutis Auguſtis uſurpabatur, exarata, M. NONIO M. F. BALBO. PR. PROCOS. HERCVLANENSES. Liberâ Repub. Rom. *Proconſules* nuncupabantur ii, quibus poſt geſtum *Conſulatum* aliqua provincia tradebatur adminiſtranda; hinc in veteribus titulis uterque magiſtratus pariter apponebatur, *Conſul Proconſul*, & Graece Ὕπατος Ἀνθύπατος, ut in noſtra Phratriaca inſcriptione Artemiſiorum, pag. 150. Sed poſtea Hadrianus, uti refert Lampridius in ejus vita §. 22. *Quatuor Conſulares per omnem Italiam judices conſtituit*. Vide omnino, quae Salmaſius ad hunc locum admonuit, oſtenditque, hos judices vocatos fuiſſe *Proconſules*. Inter hoſce quatuor Conſulares adnumera *Proconſulem Campaniae*. Ac ſane Anicius Baſſus in graeca epigraphe Cretenſi apud Gruterum p. MXC. 20. Ὁ Λαμπρότατος Ἀνθύπατος Καμπανίας, *Illuſtriſſimus Proconſul Campaniae* enunciatur. Ex *Illuſtriſſimi* titulo cape de ſequiore hujus epigraphes aetate conjecturam. Parem magiſtratum *Proconſulatûs Campaniae* nactus mihi eſſe videtur *Nonius Balbus*, cujus in honorem Herculanenſes

emen-

Digitized by Google

emendatiſſimam ſtatuam equeſtrem erexerunt ; neque refert , quod locus , ubi is geſſerit Proconſulatum , ſilentio praetereatur , *Campania* ſcilicet ; non ſine tamen judicio : comperta enim eſt vetuſtorum titulorum breviloquentia , incolumi tamen perſpicuitate . Statua poſita fuerat in conſpicuo loco oppidi *Herculani* , quod oppidum in *Campaniae* territorio cenſebatur : quocirca facile cuique erat colligere , Nonium a *Praetura* geſta , *Proconſulem* egiſſe *Campaniae* . Haec autem eo ſpectant, ut Herculanum poſt Hadrianum non ſolum ſtetiſſe , ſed bonis etiam artibus floruiſſe perſuadeatur . V. Plerique omnes viri litterati conſentiunt , Tabulam Peutingerianam poſt Conſtantini Magni tempora prodiiſſe in vulgus . In ea autem Tabula ſe dant conſpicienda *Herculanum* & *Pompeji* , uti pluribus inculcavi pag. 233. quae oppida ſi Titiano incendio fuiſſent oblitterata ; ſane Auctor hujus Tabulae , larvas , ut ita dicam , ſuis ingredi pedibus , ſomniaſſet . VI. Extra dubitationis aleam ponendum eſt , *Herculanenſes* in civitatem Neapolitanam fuiſſe receptos . Locupletiſſimam epigraphen produxi pag. 221. unde docemur , *Regionem Herculanenſium L. Munatio Conceſſiano V. P. patrono Coloniae* (cujus filius *Demarchiam* geſſerat Neapoli), ſtatuam ponendam decreviſſe . Queis ex verbis facilis conjectura ducitur , Herculanenſes ob aliquam teterrimam Veſuvii conflagrationem e patrio ſolo fugatos , a Neapolitanis fuiſſe humaniter acceptos , in ſuamque civitatem tranſcriptos . Nonnulli , uti mihi relatum fuit , opinantur , Herculanenſium tranſmigrationem ad aetatem Titi eſſe referendam ; ſed praeterquam quod ea opinio paullo ante a me profligata fuit , profecto tersos aures eloquium hujus inſcriptionis ab aetate argentea latinitatis abjudicant . Mitto quod ibi *Abundantia* pro *Abundantiam* , humanitus exciderit ; ſed *Abundantia* abſolute poſita nuſquam olim pro *copia commeatuum* , ut hic accipitur , uſurpata deprehenditur : praeterea τὸ *Honorem DEVITVM* pro *DEBITVM* , genium ferreae aetatis demonſtrat . Sed jugulum cauſſae petamus . Inſcriptio haec poſita Neapoli fuit *Munatio Conceſſiano V. P. patrono Coloniae . . . , praeſtantiſſimo viro* : at Neapolis aetate Titi Auguſti nondum evaſerat *Colonia* , quae poſtea ſub Antoninis facta fuit , uti pluribus demonſtravi in *Palaeſtra Neapolitana* p. 196. ſeqq. Praeterea ſigla hujus marmoris *V. P.* quid denotare hariolabimur ? Si *Viro Praeſtantiſſimo* interpreteris , in ſtomachoſam repetitionem incideris ; namque mox in marmore integris litteris legitur *Praeſtantiſſimo Viro* . Aliud quid ſignificantius in illis ſiglis latere arbi-

bitror, nempe *Viro Perfectiſſimo*. Exſtat in Codicis Theodoſiani libro VI. titulus 37. *De Perfectiſſimatus Dignitate*: quae dignitas excogitata fuit a Conſtantino, ut haberet in promptu, quod adminiſtris benemeritis, ſine aerarii ſui diſpendio, largiretur: iſque honorificus titulus ut plurimum per compendium litterarum ſignificabatur. Adi ſis Valeſium ad Ammiani lib. XXI. 16. ubi: *Haec dignitas in priſcis inſcriptionibus bis fere notis deſignatur V. P. ut apud Gruterum* &c. Vnde fit manifeſtum, tranſmigrationem Herculanenſium in urbem Neapolim aetate Conſtantini habendam eſſe recentiorem. Quid porro me impulerit, ut eam tranſmigrationem poſt Conſtantinum Porphyrogennetam, & ante Theodoricum Oſtrogothorum regem conſignarim, ne e crambe repetita conficiar, ad pag. 233. ſeqq. amando lectorem.

Penſum, quod mihi patriarum amor antiquitatum commendavit, tandem aliquando confeci. Inſcriptiones Phratriacas Neapolitanas, hactenus in lucem editas, expoſui, & quoad ejus facere potui, commentario quamque ſuo locupletavi. Vtinam res e mea ſententia ſucceſſerit; nihil quidem certe, quod in rem praeſentem faceret, praetermiſi. Nunc fractus viribus, & ſalebroſo itinere fatigatus, domuitionem, ut ita dicam, quieſcendi cauſâ, cogitabam. At vero pag. 132. pollicitus fueram oſtendere, *Pauſilypum* apud veteres alternaſſe cum *Sepulcro*: qua de re hactenus ne mutivi quidem. Quamobrem ne vadimonium deſeruiſſe videar, neve quis mihi Terentianum illud occentet: *Tute hoc intriſti; tibi omne exedendum eſt*; hanc alteram commentationem ex promiſſo teneor adjicere.

DISSER-

DISSERTATIO

promiſſa pag. 132.

De *Pauſilypo* notante *Sepulcrum*.

Pauſilypon *in duabus vett. epigraphis*, *nonniſi* ſepulcrum *denotat*. *Sub apologo* lapidis Pauſilypi *apud Plutarchum*, tumulum *deliteſcere*, *ſuadetur*. *Vnde captata ſit comparatio*, *ut* dies *vitam*, nox *obitum deſignaret*. *Quo* lucernae, nummi, *&* vaſa, *paſſim obvia in vett. ſepulcris*, *collineant*, *divinatio*. *De ineffabili ſorte alterius vitae locus Empedoclis cum doctrina Divi Pauli plane concordat*.

INter plurimas ſententias ſapienter a veteribus appoſiteque pronuntiatas, illa non poſtremum ſibi locum vindicare videtur, qua ii, qui vitam cum morte commutarent, *dormire*, & ſepulcra, queis cadavera ad communis naturae verecundiam obteguntur, coemeteria h. e. *dormitoria*, appellarentur. Ad quam phraſeologiam uſurpandam opus quidem non fuerat, ut ad philoſophorum cathedras, ubi de miſera humanae vitae conditione diſputabatur, accederent homines & informarentur: quiſque enim per ſe cum aliorum, qui deceſſerant exemplo, tum ſua edoctus experientia, ſatis erat ſuperque perſuaſus, ut quodcumque hîc in terris degitur vitae, nonniſi pro continentium curarum laborumque ſerie ſic haberetur, ut tum demum reſpirare aegris mortalibus ac requieſcere daretur, quum naturae debitum jam eſſet perſolutum. Quocirca mirandum haud eſt, ſi Ethnici, quibus nulla de reditu in vitam ſpes affulſerat, ſepulcra ut perpetuae dormitionis cubicula reputarent. Enimvero ad hanc fovendam intelligentiam admodum convenienter apteque fuit excogitatum *Pauſilypi*, quo tumulus ſignificaretur, vocabulum. *Pauſilypon* id omne Graece notat, quod ad abſtergendum moerorem valet. Sane quaecumque vel naturâ vel arte ita ſint inſtructa, ut exhilarent animos recreentque, quin ea *Pauſilypa* vocentur, nulla Tribunitia Grammaticorum licentia vetare potuerit. At in eo quod funeſti tumuli, a quibus vel oculos avertere mos erat, ſint aliquando appellata *Pauſilypa*, eſt quod cieat admirationem. Attamen ita ſe res habuit; atque

ipſe

Digitized by Google

ipſe id affirmare non auderem, niſi duos ea ſuper re teſtes, unum Graece, alterum Latine loquentes, in promptu haberem. Ordior a Graeco titulo, quem apud Fabricium Bibl. Gr. Tom. XIII. pag. *600.* deprehendi:

Ο ΠΑΤΣΙΛΤΠΟΣ
ΟΙΚΟΣ ΟΤΤΟΣ ΕΣΤΙΝ
ΑΣΦΑΛΩΣ ΕΣΤΙ ΔΕ
ΚΑΙ ΣΙΓΑΝ ΑΚΙΝΔΤ
ΝΟΝ ΓΕΡΑΣ

Poſtea animadverti eamdem epigraphen editam fuiſſe a Gorio Inſcript. Florent. Tom. I. p. *90.* hac addita verſione: *Aegritudinum ſedatrix domus baec eſt ſecure: eſt vero ſilentium, praemium ſine periculo*. Equidem maluiſſem, ut Gorius in verſione latina *Pauſilypum* (1) integre retinuiſſet; namque mihi videtur, vocabulum Pauſilypi hujus loci non adjectivum eſſe, ſed appellativum; indiciumque capio ex articulo, qui per emphaſin praefigitur, & certum locum deſignat, qui a *moeroris ceſſatione* id nominis fuerit nactus i. e. *Pauſilypus*; quaſi diceretur: *Ille* (decantatus) *Pauſilypus baec domus eſt ſecuritate firmata; ac datur etiam requieſcere, quod eſt tutiſſimum ſolamen*. Vocabula ferme omnia hujus inſcriptionis ad funebrem commeatum comparata ſunt: Οἶκος *domus* eſt, & in vet. inſcript. *Domus aeterna* nonniſi ſepulcrum deſignat. Σιγᾶν ſic *obmuteſcere* ſignificat, ut etiam *quietem agere* notet: atque ut uno verbo dicam, σιγᾶν & ἡσυχάζειν ſunt plane ſynonyma. Exod.XIV. 14. Κύριος πολεμήσει περὶ ὑμῶν, καὶ ὑμεῖς σιγήσετε, *Dominus pro vobis pugnabit, & vos ſilebitis* h. e. quieſcetis. Quid plura? Ipſum *ſilere* vitâ functis aptatur; hinc Virgilio *Silentes*, ſunt

I i

(1) Ita villa Vedii Pollionis ad oram Crateris Neapolitani ſita, *Pauſilypon* vocabatur; quam villam Pollio teſtamento legavit Auguſto. Dion. Caſs. LIV. 23. ſtetetatque haec villa in aere privato Caeſarum, ſaltem uſque ad Vlpii Trajani Imp. aetatem, uti conſtat ex epigraphe apud Fabrettum Inſcript. cap. III. 486. ubi: *Vlpius Eupbrates procuravit Pauſilypo*. Praeterea amoeniſſimus collis ex adverſo Neapolis ad occidentem, aeque nuncupatus eſt *Pauſilypus*, nomenclatore, ni fallor, Actio Sincero Sannazario, qui ſaepe *Pauſilypum* carminibus ſuis nobilitavit.

ſunt nimirum vitâ functi. Itaque hic *σιγᾶν* vertas licet *requieſcere*. Denique Γέρας quin ſit etiam emortuale vocabulum, dubitare vetat illud Homericum hemiſtichium Τὸ *γὰρ γέρας ἐςὶ θανόντων*, Iliad. II. 457. & 675. unde explorate eruitur, Γέρας univerſim denotare quaecumque ad aeternandam memoriam vitâ defunctorum perſolvuntur, ut ſunt *tumuli*, *columnae* &c. Quum itaque omnia vocabula hujus epigraphes eâ inſtruuntur ſignificatione, quae vivis aeque ac denatis aptantur; mirandum haud eſt, ſi Παυσίλυπος h. e. *moerorem abſtergens*, ille locus Graece Latineque ſit acceptus, qui ad apricandum pariter atque in tumulo quieſcendum, ſit comparatus.

Namque Latini etiam, haud raro graeciſſantes, ſepulcrum vocaſſe *Pauſilypon* comperiuntur: ut in hac epigraphe, quam debemus diligentiſſimo ac doctiſſimo viro Fabretto Inſcrip. Cap. X. pag. 750. num. 573.

PAVSILYPON

METTIAI · T · L · HEDONEI

Hic autem lapis brevitate ſua commendandus ejuſmodi eſt, ut plus in receſſu, quam in fronte ſpondeat. Hic ego, ſi memor eorum, quae de *Pauſilypi* notione ſepulcrali paullo ante adnotavi, hanc vocum bigam verterim *Requietorium Hedone* poſitum; fortaſſe aliis ſatisfecerim, mihi tamen ipſe non ſatisfacio: namque tantum inter utramque vocem affinitatis & congruentiae intercedere videtur, ut plane ſtipes ſit, qui non advertat, pulcherrimam hic ad ſignificantiam nominum ineſſe alluſionem. Et *Hedone* quidem hujus loci Graecum feminae eſt nomen; & latine *Voluptatem* deſignat; quemadmodum & alia plurima ſunt nomina ejuſdem genii, uti *Tyche*, Fortuna; *Elpis*, Spes &c. Ἡδονὴ Graecum dixi vocabulum, ſed recta ab Orientali deſcendit radice עדן *Eden*, id eſt, *voluptas*, & גן־עדן *Gan-Eden* Genes. II. 8. 9. *hortus voluptatis*. Ex eadem radice jure repetuntur decantatiſſimi *Horti Adonidis*, ab *Eden* nimirum dicti, non ab Adonide, quem amaſium Veneris poëtae fabulati ſunt. Porro Ἡδονῇ (*voluptati*) opponitur Λύπη (*moleſtia*, *dolor*); namque voluptas ſita eſt in privatione moleſtiae. *Pauſilypon* autem, ſi adjunctum locale ſit, illum plane locum deſignat, qui ita ſit inſtructus, ut amoenitate, apricitate, & pulcritudine ſua animum a moerore erigat ac recreet;

crect; cujuſmodi viridaria exſtitere ad voluptatem comparata, quae Graeci Παραδείσους appellarunt. Quae omnia loca ad voluptatem inſtructa, quocumque olim nomine venerint, unum *Pauſilypi* nomen continet, & complectitur. Hinc anſam arripuit auctor hujus epigraphes, ut in facili vocum *Pauſilypi* & *Hedones* congruentia ſignificationum, luderet ſcriberetque, PAVSILYPON HEDONEI. Qui titulus non magis eſt elogium ſepulcrale, quam conciſa adprecandi formula. Certe tertius caſus, quo nomen extinctae feminae effertur, huc potius nos veluti manu ducit, quaſi diceretur: *Pauſilypon ſit Hedone;* atque ut Graecis vocibus Latinas aeque pollentes ſubſtituam: *Hortus voluptatis ſit Voluptati:* nimirum ne deſit extinctae *feminae voluptas, quam viva ſuo nomine praetulerat.*

Sepulcra varie appellata fuerunt a veteribus; plerumque Σοροὶ vel Σωροὶ, qui ſunt aggeres e terra vel lapidibus congeſti, quibus obruebantur cadavera. Hinc Λᾶας (2) & Λίθος (*lapis*) ſaepiſſime *ſepulcrum* deſignat. Exſtat apud Plutarchum in *De Fluminibus* Λίθος Παυσίλυπος, *lapis ſedans moerorem*, ſed alioſum acceptus. Narratur ibi, lapidem *Pauſilypum* inveniri in fluvio Strymone, cujus lapidis vis ea fuerit, ut ſi quis in eum inciderit, protinus a moeſtitia liberetur. Fabula anilis. Fortaſſe quis vitae pertaeſus, animoque reputans, uſitatam jam lapidis *Pauſilypi*, quatenus *ſepulcrum* denotabat, notionem, ut involucro aliquo tegeret id, quod verum eſt, nimirum labores hujus exercitatiſſimae vitae nonniſi morte ceſſare, falſe acuteque confinxerit, inveniri in eo fluvio, nempe Strymone, (ut apologo fides hiſtorica ex circumſtantia loci incautis (3) adſtrueretur) *lapidem Pauſilypum*, utique praeſentiſſimum moeroris alexipharmacum. Quod aenigmatice ab eo dictum, id facile arripiens auctor libelli *de Fluminibus* lapidem

(2) Hector apud Homerum Iliad. III. v. 57. quum praeoptaſſet, ut Trojani adulterum Paridem pro merito obruiſſent lapidibus, & ſepeliiſſent, hujuſmodi *tumulum* amarulente Λάϊνον χιτῶνα (*lapideam tunicam*) appellat.

(3) Incautis, inquam; namque homines acutae naris, hoc ipſo, quod hujuſmodi portentoſi lapides apud Strymona inveniri ferebantur, protinus fabulam olfeciſſent. Notum enim erat, accolas illius fluminis raro litaſſe veritati. Berga oppidum ſupra Amphipolim ſitum erat ad ipſum Strymona. Cujus furfuris fuerint Bergaei, ex proverbio inde profecto patet: nam Βεργαΐζειν, idem erat, ac *nihil vere dicere*. Bergaeus quoque fuit ille Scriptor Ἀπίστων (*Incredibilium*) ſcilicet Antiphanes. Vid. Steph. Ethnic. in Βέργη.

Pauſilypum ad verbum, non ad ſenſum accepit, & hujuſmodi fabellam commentario ſuo inſeruit. Itaque ut ἄμπελος (*vitis*) ab Euripide Παυσίλυπος ex vero dicitur, quia vim inebriandi, efficaciamque *ſedandi doloris* habeat; ſic ipſe *lapidem* idcirco dictum *Pauſilypum* jocatus eſt, quod eadem virtute polleret: quod certe in obvio lapide falſum eſt, ſed non aeque falſum, ſi *lapidem* pro *tumulo*, ubi revera hujus aevi labores, aerumnaeque conduntur, accipias. Antequam ultra progrediar, praeſtat hic aliquanto curioſius inquirere, ecquid ſecuti ſint veteres, ut rem teterrimam ſuaviſſimo vocabulo lenirent, & mitigarent. Nolo autem quis opinetur, Graecos ea in re fuiſſe Thracas imitatos, qui Thraces, ut Herodotus refert, lugubria ſumebant, cum quis in lucem ederetur: contra vero laetitia geſtiebant, cum decederet: quorum ad ſingularem conſuetudinem ſepulcra appellarentur *Pauſilypa*, quaſi vità functi in amoeniſſimos hortos deducerentur. Verum id nimis e longinquo petitum fuerit, & ad vulgi captum minus accommodatum. Quam ob rem, ſi veriſimile ſaltem aſſequi velimus, conjiciendum eſt, aliquam rem in oculos incurrentem, objectam & propoſitam fuiſſe veteribus; qua animadverſa, & cum vitae humanae vicibus comparatâ, ratio congruentiae expreſſit, ut mortui *dormire*, eorumque ſepulcra *Pauſilypa*, ſeu *Requietoria*, dicerentur.

Prae ceteris humanae vitae comparationibus illa magis accepta videtur, qua vitae cujuſque ſpatia cum praeſentia Solis ſupra horizontem, ſive cum die naturali, confertur. Quo fit, ut quemadmodum dies in antiquo horologio in duodecim partes aequales dividebatur, ſic vita humana pariter diſtributa comperiatur. Rex Dejotarus objectat Craſſo (ut in hujus vita traditur a Plutarcho) quod *hora decima* ſuſcepiſſet contra Parthos expeditionem, aetate nempe ad ſenium vergente. Chriſtus in Evang. Matth. XX. 2. ſeq. dum alios *hora tertia*, *ſexta*, *nona*, *undecima*, vocatos docet, ad hanc aetatis notationem reſpexit. Poſtrema vitae periodus paſſim *ultima hora* a Scriptoribus proſae & verſae orationis appellatur. Mitto quod *Ortus* & *Occaſus* Soli atque homini indiſcriminatim tribuitur. Sed ne longum faciam, *dies* pro vità tritum ſermone vulgari vocabulum evaſit; ut *nox*, apud poëtas praeſertim, *mors* intelligitur. Itaque in Sole nobis conſpicuo vivam atque expreſſam vitae humanae imaginem animadvertimus: quocirca mirandum haud eſt, ſi puella ἀνώνυμος in vetere lapide ſe

ἀγαλ-

ἄγαλμα ἡλίου, *imaginem Solis*, praeferre jactat, & quidem ex vero; quia quo ipſa die Solis nata fuit, eodem eſſe deſiit. De hoc lapide nonnulla dixi in Palaeſ. Neapol. p.178.

Quemadmodum autem *Nox* quietem ſuadet, ita *Dies* labores denuntiat mortalibus. Ad id urget Aurora, quae propterea a Virgilio XII. v. 182. *opera & labores* referre deſcribitur. Eodem recidunt epitheta *ἐγερσίμοθος* (*ad labores excitans*) *ἔργων ἡγήτειρα*, (*laborum praeambula*), quae a poëtis dantur Aurorae. Huc etiam reſpicit perpetuum illud epitheton Homericum praenuntiae lucis datum, *Ῥοδοδάκτυλος*, *roſeis digitis inſtructa*: nam digiti, qui ſunt rerum ab homine conditarum opifices, mihi videntur ſymbolum apud veteres exſtitiſſe laboris. Eodem mihi collineare videntur procerae illae haſtae inter ſigna militaria Romanorum, in antiquis anaglyptis & numiſmatis conſpicuae, quarum in cacuminibus manus erecta atque expanſa viſitur impoſita. Nam ſicuti dexterae junctae ſymbolum erant concordiae fideique ultro citroque datae, ſic manus expanſa praefixa perticis, & praeambula militibus, haud dubia admonitio ipſis & incitamento erat, rem ſibi cum hoſte nonniſi ſtrenuitate manuum eſſe gerendam. Appoſite igitur poëtae veteres iidemque philoſophi, digitos Aurorae attribuerunt, quia ipſa admonebat homines, ut e ſtrato ſurgerent, & manuum incumberent labori.

Quae autem opera, quive fuerint veterum labores, homini a natura ipſa commendati, facile poteſt intelligi ex vocabulis *ἀμολγὸς* & *βούλυτον*, quae ſupremam diei tempeſtatem denotant, ſic Euſtathio interprete dicta, quod eo tempore *mulgentur pecora*, & *boves* aratores *ſolvuntur a jugo*. Tota igitur veterum hominum occupatio in armentorum cura, atque agricolatione verſabarur; unde homines cultum ſibi victumque parabant, non ſine tamen indeſinente labore, & ſudore. Eam enim laborandi neceſſitatem, quam preſſius humanam calamitatem dixeris, loco poenae fuiſſe cuicumque homini, ſtatim ac in lucem prodiret, a Deo denuntiatam, cum e Sacris Litteris nobis eſt manifeſtum, tum etiam ex vetuſtiſſimo Graecorum Scriptore, Homero inquam, apud quem Iliad. X. 70. Rex Agamemnon, ubi Menelaum fratrem, quid ipſe laboris erat aliis imperaturus, monuiſſet, protinus addit:

Ἀλλὰ καὶ αὐτοί περ πονεώμεθα· ὧδέ που ἄμμι
Ζεὺς ἐπιγεινομένοισιν ἵει κακότητα βαρεῖαν.

Et

Et ipſi laboremus: ſic utique Jupiter nobis naſcentibus immittit gravem calamitatem.

Ergo mortales, ubi agro colendo paſcendove gregi per totum diem inſudaſſent, omnino neceſſarium fuit, ut ad crepuſculum inſtrumenta laborum deponerent, deficientem ſtomachum reficerent alimento, ac demum per nocturni ſomni quietem diſpendia virium repararent. Itaque quemadmodum dies totus quantus eſt, natura duce ac magiſtra laborioſis exercitationibus impendebatur, ſic nox, ipſa natura alliciente ac ſuadente, corpori curando ac requieti dabatur; & ut paucis rem abſolvam, matutinum tempus, ut laboris, ſic veſpertinum, ut quietis initium, a Deo indicatum reputabant. Τὴν γὰρ ἑσπέραν (inquit Plutarchus Sympoſ. III. quaeſt. 6.) ὦ ἑταῖρε, τῶν πόνων ἀνάπαυσιν, τὸν δὲ ὄρθρον, ἀρχήν. *Veſperam enim, mi ſodalis, laborum requiem, diluculum vero initium* novimus. Quemadmodum porro antiquitati placuit, aſſimilare hominis vitam horis diurnis; conſentaneum plane fuit, ut ejus mortem ad nocturnas tenebras rejicerent, obitumque ipſum compellarent *Noctem*, quae per epexegeſin κελαινὴ (*atra*) Homero, *aeterna* Virgilio, *perpetua* Catullo dicitur. In hac autem noctis cum obitu comparatione mirum quantum ſibi priſci homines indulſerunt, ut in re funebri non ſolum verba, ſed facta quoque nocti reſponderent. Nam quaeſo, quo faces, quo funalia (quae in tenebris dumtaxat ſunt vicaria diurnae lucis ſubſidia) in exſequiis interdiu peractis adhibuiſſent, niſi ut inſtitutam noctis cum morte comparationem adumbrare viderentur. Neque id ſolum; ſed *abire* quoque veteres pro *vitâ decedere*, & *abitionem* pro *morte* uſurparunt, quaſi vitâ functis per tenebroſa loca vagandum foret. Ad ſummam totum funeris choragium ad verae *noctis* & *abitionis* ſimilitudinem apparabatur.

Inde quoque, niſi fallor, repetenda eſt ſolita tumulorum ſupellex, quae plerumque, praeter ornatum jacentis, conſiſtit in *lucernis*, *nummis*, & *vaſis*. Paucis abhinc annis eruderatum fuit in agro Teani Sidicini ſepulcrum, ubi e collo ſceleti muliebris deſcendebat in thoracem torquis ex auro puriſſimo, quem torquem nunc videre licet in Regis noſtri muſeo, antiquitatum omne genus locupletiſſimo. *Lucernae* in tumulis obviae ſunt, ac triviales, quas olim nonnulli patientiâ lectorum abuſi, *lumina aeterna* fuiſſe jactarunt: at lucernae idcirco addebantur ſepulcris, ut hoc ſymbolo irremeabilis abitio per ὑπόγαια (*ſubterranea loca*) adumbrare-

re-

retur. Porro ne illac itinerantibus deeſſet commeatus, apponebantur *Nummi*, queis ad refocillandas vires compararentur ſubſidia. Vnus plerumque *nummus* in vett. tumulis reperiri ſolet; at unus hic nummus apponebatur, non ut naulum Charonti ſolveretur, ſed ut eo qualecumque erogandum impendium quadam juris fictione redimeretur: quemadmodum in emancipatione filii Pater, poſt imaginariam venditionem per *aes* & libram, totum venditi filii pretium ſe recepiſſe fingebatur. Id latine dicitur *Nummo addicere*, qua formula, quoddam ſimulatae emptionis genus ſignificabatur, *ut dato quis nummo, quod emere videbatur, donatum acciperet*. Caſaubon. ad Sueton. Caeſarem cap. 50. Sed quo *Vaſa* figlina, ſepulcris incluſa, collineare conjiciam? Nolo multiplices aliorum opiniones excutere, perſuaſus, unumquemque ſuis abundare ratiociniis. Sepulcralium ergo vaſorum ſignificatio ex codice, ut ita dicam, militari repetenda eſt, ut nonnulla alia ſagatorum vocabula togati in rem traduxerunt ſuam. *Conclamare*, & *colligere vaſa* denotat *Caſtra movere*, alioque transferre ſarcinulas; quo claſſico perſonante quiſque miles ſe ad *abitionem* parabat. Appoſite igitur ad hanc militarem acceptionem *Vaſa* ipſa, vel picta vel nudata figuris, quaecumque in manus venerant, in tumulis abdebantur, queis profectio ad alteram vitam exprimebatur ad vivum. Enimvero huc reſpexiſſe videtur Seneca Epiſt. 19. ubi inquit: *Subduc te iſtis occupationibus; ſatis multum temporis ſparſimus: Incipiamus in ſenectute Vaſa colligere:* quaſi diceret, deficiente virium commilitio, oportet, ut curas noſtras ad alterius vitae profectionem convertamus. Profecto non ſolum Philoſophi, quorum *tota vita* (ut inquit Tullius I. Tuſcul. cap. 30.) *commentatio mortis eſt*; verum etiam alii non pauci hac obverſante meditatione vivi videnteſque ſibi tumulos apparaſſe comperiuntur; unde frequens in vett. lapidibus formula occurrit: ὁ δεῖνα (4) SE VIVO FECIT. Ad ſummam *Lucernae*, *Nummi* & *Vaſa* incluſa ſepulcris, non ſigna erant muta, ſed plane loquacia; more ſcilicet ab Orienta-

ta-

(4) Vir doctus, dum inſcriptionem Gruterianam p. 418. 6. Herbacio poſitam exponeret, hujuſmodi ſyntaxin *SE VIVO FECIT* fortaſſe ſtomachatus, probam lectionem in hunc modum audacter deformavit, *SEVIRO EQVITum*. At locupletes latinitatis auctores haud aliter locuti ſunt, ut Plautus Muſtell. Act. I. Sc. III. verſ. 72. ſeq. *Pater vaenibit multo potius, quam te ME VIVO umquam SINAM egere, aut mendicare.*

Digitized by Google

talibus mutuato, apud quos ii qui praedivinabant, non ſolum verbis, ſed ſignis etiam ſenſibilibus, futura denotabant.

Ex hiſce autem quae hactenus diſſerui, colligere licet, univerſum ſepulcrorum apparatum ad imaginariam extinctorum profectionem per tenebroſa loca eſſe referendum: quocirca ſicuti peregrinantibus neceſſaria ſunt diverſoria, ubi deponant impedimenta, atque a laſſitudine adquieſcant, ita in argumento funebri diverſoria ſunt tumuli, ubi *remiſſa vita humana corpus requieſceret a malis*, quae verba ſunt Ennii, a Tullio Tuſcul.I. 44. recitata. Hinc vitâ functis augurandi mos erat *Pauſilypon*, uti ſupra pag. 348. ubi de ſepulcro *Hedones* ſermo fit, animadverti: quo uno vocabulo non ſolum jactationes hujus aevi, per obitum extinctae, verum etiam ſecuturae comprehendebantur felicitates.

Etſi ſolatia, & ſupplicia, quae extinctis, pro cujuſque merito, contingunt, vulgo ferebantur ſimilia eſſe terrenis; Empedocles tamen apud Plutarchum *de Audiendis Poëtis*, haec ſenſibus humanis comprehendi poſſe negavit:

. . . Οὔτ' ἐπιδερκτὰ τάδ' ἀνδράσιν, οὔτ' ἐπακουστά,
Οὔτι νόῳ περιληπτά . . .
Non oculis *poſſunt homines*, *non* auribus *iſta*,
Non comprendere mente.

cui Agrigentini Philoſophi ſententiae affinia plane ſunt verba Divi Pauli I. ad Corinth. II. 9. *Sicut ſcriptum eſt: Quod* oculus *non vidit*, *nec* auris *audivit*, *nec in* cor *hominis aſcendit*, *quae praeparavit Deus iis*, *qui diligunt illum*. Vtinam relictis hiſce humilibus terris, in auguſtam vereque felicem Dei amatorum coloniam tranſcribamur! At ſortes noſtrae in manu Dei ſunt, *juſti* & *miſerentis*. Ego quidem minaci gladio *Juſtitiae* perterritus, ad aram *Miſericordiae* confugio. Quamobrem CHRISTE REDEMPTOR, ſi me agentem animam miſeratus, in tuum perfoſſum latus receperis, tum enimvero me genuinum *Pauſilypum* nacturum eſſe ſpero, ac bonitate tua confido.

F I N I S.

MONITVM.

Cum Cap. X. pag. 55. in eo eſſem, ut oſtenderem, vocabula Φρατρίαν & Φράτορα ab optimis latinitatis auctoribus fuiſſe reddita, Curiam *&* Curialem; *ſpem feci, me alio ire confirmatum, Cl. Virum Praetextatum, qui in antiquo lapide* Curialis *inſcribitur, egiſſe Neapoli* Phretriacum. *Sed poſtea a Mnemoſyne deſtitutus, nolens vadimonium deſerui. Quamobrem ne cui videar, bonam copiam, ut ita dicam, ejuraſſe; hic etſi loco non ſuo, quod fueram pollicitus, integra fide repraeſento.*

VEttius Agorius *Praetextatus*, vir egregius, & cui Imperatores & Populi, quantum erat auctoritatis, & dignitatis, plena manu contulerant, mihi videtur geſſiſſe Neapoli *Phretriacum* Sacerdotium, eaque de cauſſa in hoc marmore Gruteriano pag. MCII. 2.

A G O R I I

VETTIO · AGORIO ·	PRAETEXTATO V · C ·
PONTIFICI · VESTAE	QVAESTORI
PONTIFICI · SOLI	CANDIDATO
QVINDECIM VIRO	PRAETORI VRBANO
AVGVRI	CORRECTORI TVS
TAVROBOLIATO	CIAE ET VMBRIAE
CVRIALI	CONSVLARI
NEOCORO	LVSITANIAE
HIEROPHANTAE	PROCONSVLI
PATRI SACRORVM	ACHAIAE
	PRAEFECTO VRBI
	PRAEF. PRAET. II
	ITALIAE ET ILLYRICI
	CONSVLI DESIGNATO

enuntiatur *Curialis*. In hoc autem lapide duplex dignitatum exhi-

betur laterculum, nempe Sacerdotiorum, & Magiſtratuum, a Praetextato geſtorum; in eorumque primo deſcribitur is *Curialis*. Hic autem quid ſibi velit *Curialis*, nemo hactenus pro dignitate extricavit: alii enim Flaminem *Curialem*, alii *Decurionem* acceperunt; ſed uterque gradus humilior erat, quam ut Praetextatum deceret. Praeterea e Sacerdotiorum ab Agorio geſtorum ſerie, manifeſto arguitur, *Curialis* dignitas ubivis potius, quam Romae ab eo fuiſſe geſta, hanc maxime ob cauſam, quia in hoc marmore praecedunt tituli Sacerdotiorum Romanorum, nempe *Pontifex Veſtae*, *Solis*, *XV. Vir*, *Augur*; at qui ſuccedunt, ad Sacra exotica pertinent, nimirum *Tauroboliatus*, *CVRIALIS*, *Neocorus*, *Hierophanta* &c. de quibus peregrinis Sacrorum titulis adeatur Salmaſius ad Lampridii Heliogabalum 7. Cum autem *Curialis* inter peregrina ſacerdotia locetur, liquido fluit, hic non agi de Flamine *Curiae* Romanae, ſed veroſimilius de Flamine *Curiae*, ſive *Phratriae Neapolitanae*; quam dignitatem ab aliis etiam Romanis, & quidem equeſtris ordinis, affectatam novimus: ut *P. Suſenas Severus . . . Fretriacus Neapoli Eunoſtidon* (vide pag. 115.) & *P. Suſenas Myro . . . Fretriacus Neapoli Antinoiton & Eunoſtidon* (v. pag. 198.). Porro de maxima affinitate inter *Phratriam* & *Curiam* plurima ſum locutus pag. 52. ſeqq. Quam ob rem his veluti manu ductus indiciis eo deveni, ut conjicerem, *Praetextatum* egiſſe Neapoli *Phretriacum*, quemadmodum *Myro* & *Severus* Cives Romani, eamdem antea obtinuerunt dignitatem; tum quidem certe cum adhuc Helleniſmus Neapoli vigebat. At ex quo Neapolis facta eſt *Colonia Auguſta*, Helleniſmus plane defecit; & Graecanicae magiſtratuum nomenclationes, depoſito, ut ita dicam, pallio, togam Romanorum induerunt; ut qui pridem Γραμματίζων & Ἀντιγραφεύς (v. p. 179.), poſtea dictus eſt *Scriba* (v. p. 210.); & quod caput eſt, monumenta publica nonniſi latio ſermone proponebantur: ut illa eſt columella marmorea latine-loquens, adhuc in ſuburbio urbis Neapolis ſuperſtes, quam protuli pag. 215. ubi ex *Theodoſio & Arcadio Auguſtis* ibi memoratis collegi, eam columellam nec ante annum Chriſti 383. nec poſt annum 392. fuiſſe ſcalptam. Nimirum in hanc annorum intercapedinem incidit Praetextati obitus, qui Conſul deſignatus anno Chriſti 384. eſſe deſiit. Quamobrem mirum videri nequit, ſi tunc temporis vetuſto *Fretriaco* recens latina *Curialis* interpretatio fuerit ſubrogata. Nihil porro refert, quod in marmore Praetextati deſit deſignatio loci,

loci, ubi is egerit *Curialem*; quandoquidem ubi *Tauroboliatus*, *Neocorus*, & *Hierophanta* fuerit, pariter ſupprimitnr: Vrbes enim, ubi tunc ea ſacerdotia maximo in honore erant, erudito lectori ſubaudienda relinquebantur.

His adde quod Praetextatus *levandi animi cauſa Bajas conceſſerit*, uti Symmachus, aequalis aevo, ac religione ſocius I. Epiſt. 42. teſtatur, & epiſtolam praecedentem ad eumdem datam ſic orditur: *Silentii noſtri ratio diverſa eſt, ſed unus effectus. Me impedit Pontificalis officii cura, te Bajani otii tenuit negligentia*. Prope autem miraculum fuerit, ni Praetextatus, qui Bajis diu fuerat ruſticatus, vicinam Neapolim inviſerit: quam forſan opportunitatem nacti Neapolitani, Viro ampliſſimo ac praeſenti, tunc quod erat munus in urbe ſua ex antiqui inſtituti Graecanici reliquiis valde honorificum, detulerint, eumque *Fretriacum*, ſeu quod idem eſt per interpretationem, *Curialem* renuntiarint. Neque huic a me propoſitae conjecturae illud officit, quod Saeculo IV. religione Chriſtiana proſpere in urbe Neapoli vernante, abſonum videatur, Praetextatum religione paganum, ibi publicum geſſiſſe Sacerdotium. Equidem in ea ſum opinione, Neapolitanos illius aevi in varias fuiſſe ſectas diſtractos, quorum alii in Chriſti paſcebantur ovili, alii aliis freti principiis de religione philoſophabantur. Horum temporum aequales erant *Praetextatus*, *Symmachus* (uterque acerrimi hoſtes Chriſtiani nominis) & *Severus*, Eccleſiae Neapolitanae Epiſcopus: hunc autem Severum Symmachus magni faciebat, commendavitque Decio Campaniae Correctori egregiâ illa Epiſtola, qua Severum *OMNIVM SECTARVM ſuffragio* probatum teſtatur; veroſimiliter Stoicorum, Cynicorum, & maxime Epicureorum, uti colligi poteſt ex cultiſſimo epigrammate quod recitavi pag. 118. adnot. 3. quibus ſanctiſſimus Praeſul noſter Severus, Divi Pauli I. ad Corinth. IX. 22. exemplo inſtitutus, *Omnibus omnia factus, ut omnes faceret ſalvos*, conſecutus eſt, ut ab omnibus pariter ſectis obſervaretur & coleretur. Atque haec de Praetextato *Curiali*, videlicet *Fretriaco* Neapolitano, habui quae dicerem.

Digitized by Google

INDEX I. AVCTORVM

Qui laudantur , notantur , explicantur.

ACron p. 75.
Aelianus p. 119. 122. 181.
Aelius Dionyſius p. 24. *& ſeq.*
Aeſchines p. 17. 21. 27. 38. 44.
Albertus , Joan. *laud.* p. 109.
Ammianus Marcellinus p. 122. 164.
Amphora , Sabatinus, *laud.* p. 217.
Anthologia Gr. p. 212.
Appianus p. 76.
Ariſtophanes *il.* p. 227.
Ariſtoteles p. 8. *& ſeq.* p. 12. 15. 19. 23. 57. *& ſeq.*
Athenaeus p. 23. 30. 46. 157. *& ſeq.* p. 60. 62. 85. 110. 163. 178. 186. *& ſeq.*
Auguſtinus (S.) *cit.* p. 17.

BAlzanus *laud.* p. 222.
Berkelius *laud.* p. 80. 88.
Beſſarion Cardinal. *laud.* p. 213.
Bochartus *laud.* p. 103. 105. 225.
Borgia Steph. Card. *laud.* p. 157.
Briſſonius *laud.* p. 148.
Budaeus *laud.* p. 15.

CAeſar *il.* p. 21. 175.
Calà Vincentius , *laud.* p. 206.
Cangius *cit.* p. 170. 176. 189.
Capacius *not.* p. 101. 120. 150. *cit.* p. 132. *laud.* p. 171. 173. 176. 205. 222.
Capitolinus *il.* p. 200. 206.
Caſaubonus *not.* p. 61. *laud.* p. 73. 119. 152. 189. 191. 200. 213.
Celanus *laud.* p. 132. 201.
Chioccarellius *laud.* p. 203.
Chiſullus *not.* p. 181.
Chriſtophorus , Scipio , *cit.* p. 217.
Cicero , M. Tul. , *il.* p. 7. 15. 17. 34. *emaculatur ibid. cit.* p. 47. 53. *& ſeq.* p. 102. 131. 142. 164. *& ſeq.* p. 194.
Columella *il.* p. 7. 228.
Columnae Farneſianae *cit.* p. 162. *& ſeq.*
Corſinus *laud.* p. 26. 107. *& ſeq.* p. 122. 145. 175. *defenditur* p. 111. *& ſeq.* p. 155. *notatur* p. 17. 19. 37. 183. 187. 190.
Cuperus *not.* p. 180. 200.

DAlecampius *not.* p. 60. *& ſeq.*
Daniel , Franciſcus , *laud.* p. 153.
Demoſthenes *expl.* p. 26. 30. 36. 47. 50. 57. *& ſeq.* p. 163. 193.
Deuteronomii locus *il.* p. 59. 161.
Dicaearchus p. 8.
Dion Caſſius p. 226.
Diodorus Siculus p. 45. 69. *& ſeq.* p. 87. *& ſeq.* p. 89. 103. 225.
Dionyſius p. 29. *& ſeq.* p. 31. 33. 36. 52. 55. *& ſeq.* p. 71. 77. 73. 81. *& ſeq.* p. 85 *& ſeq.* p. 94. 162. 172. 192. *& ſeq.* p. 196.
Dodwellus *laud.* p. 122.

ECcleſiaſtic. *loc. ill.* p. 78.
Euſebius *laud.* p. 73. 91. 174.
Euſtathius *il.* p. 7. 12. 37. 42. 46. *& ſeq.* p. 74. 86. 89. 147. 169. 174. 186.
Ezechielis *loc. il.* p. 69. 122.

FAbrettus *cit.* p. 3. *laud.* p. 65. 115. *& ſeq.* p. 161. *not.* p. 118. *laud.* p. 188. 210.
Fabricius *laud.* p. 53. 212. *& ſeq.*

Feſtus p. 5. 9. 30. 32. 37. 175.
Freinshemius *laud.* p. 180.

GEllius p. 97.
Geneſis *locus illuſtr.* p.228.
Gruterus *cit.* p. 134. *not.* p. 177. 200.
Gualterius, Franc. *laud.* p. 153.
Guarnaccius *not.* p. 79.

HArpocration p.17. *& ſeq.* p.27. 29. *& ſeq.* p. 41. *& ſeq.* p. 51.
Haym. *cit.* p. 23.
Herodotus p. 12. 21. *& ſeq.* p. 43. 66. 71. 79. 81. 83. 103. *& ſeq.* 174. *& ſeq* 177. 212.
Heſiodus p. 103. 123. 164.
Heſychius p. 3. 6. 10. 30. 61. *& ſeq.* p. 109. *emend.* p. 123. 137. 143. 160. 170. 188.
Hieronymus, S. *laud.* p. 228.
Holſtenius, Lucas, *laud.* p. 191.
Homerus p. 8. 11. 18. 22. 27. 38. *& ſeq.* p. 47. 56. 66. 68. 79. 83. 87. 99. *& ſeq.* p. 102. 105. 119. 159. 161. 172. 177. 187. 200.
Horatius *il.* p. 29. 97. 102. 139. 141. 145. *& ſeq.*

JAnſonii Faſti *cit.* p. 151.
Jordanus *laud.* p. 177. 201. 220.
Joſephus Fl. p. 10. 62. 232.
Joſue *locus illuſtr.* p. 10. 164.
Julianus Caeſ. p. 112.
Julii Capitolini *locus reſtit.* p.152.
Julius Obſequens p. 226.
Juvenalis p. 197
Inſcriptiones illuſtratae
Campana bilinguis p. 200.
Canuſina p. 180.
Columnae Theodoſianae p. 215.
Fabrettianae p. 116. 136. *& ſeq.* 144. 179. 180. 185. *& ſeq.*
Gruterianae p. 55. 63. 94. *& ſeq.* p.107. 108. 112. 139. 146. 154. *& ſeq.* p.170. *& ſeq.* p.180. *& ſeq.* p.185. 200. 209. 211. 221. 224. *& ſeq.*
Muſei Herculanenſis p. 160.
Muratorii p. 217.
Neapolitanae p.121. 130. 146. 185. 205. 209.216. ineditae ſex 130.
Puteolanae p.112. 142.170. 200.
Sigea p. 147.
Sponiana p. 136.

KUſterus *caſtig.* p. 25.

LAertius p. 22. 70.
Lampridius p. 168. 202.
Lapis Capitolinus *illuſtr.* p. 195.
Laſena *laud.* 65. 177. 201. 222.
Leges *quae illuſtrantur.* Lex IV. D. de Colleg. & corpor. p. 136. Lex IV. de V. S. p. 139.
Lamina aenea Muſei Borgiani *exponitur* & *illuſtratur*, p.151. 157. *& ſeq.*
Lamina Muſei Herculanenſis *il.* p. 160.
Livius, T, p. 9. 15. 29. 38. 56. 102. 116. 118. 159. 162. 176. 193. 195. *& ſeq.*
Lipſius *not.* p. 180. *laud.* p. 189.
Lucae *locus illuſtr.* p. 181.
Lycophron p. 80.

MAcrobius p. 56. 202.
Maffeius, Scip. *laud.* p 168. *& ſeq.* p. 183. *not.* p. 187. *laud.* p. 188.
Manutius *laud.* p. 34.
Marshamus *laud.* p. 89.
Martorellius, Jacob. *laud.* p. 5. *& ſeq.* p. 9. 94. 107. *& ſeq.* p. 153. 184. *Laudatur*, *& notatur* p.109. 110.

110. *& ſeq.* p. 167. 204. *Notatur* p. 26. 46. 50. *& ſeq.* 53. 65. *& ſeq.* p. 80. 98. *& ſeq.* p. 109. 116. 119. 134. 137. 139. 142. *& ſeq.* p. 144. *& ſeq.* p. 146. *& ſeq.* p. 148. *& ſeq.* p. 150. 153. 155. 168. 173. 179. *& ſeq.* p. 181. *& ſeq.* p. 183. 187. 150. 192. 223. 204. *& ſeq.* p. 206. *cit.* p. 210. *& ſeq.* p. 217. 224.
Martyranus, Bernardin. *laud.* p. 222.
Mauſſacus *cor.* p. 25.
Mazochius, Alex. Sym. *laud.* p. 65. 84. 85. 88. 104. 110. 118. 137. 150. *& ſeq.* p. 170. 186. 193. 203. 225.
Maittaire *laud.* p. 161.
Moeris Atticiſta p. 23.

NVmmi Poſidoniae *cit.* p. 162.

ORionis marmor Neapolitanum *illuſtratur* p. 118. 120. *& ſeq.*
Ovidius *ill.* p. 100. 159.
Cornelius Nepos *ill.* p. 165. 179.

PAralipomenon *locus ill.* p. 228.
Pauſanias p. 189. 201.
Peregrinius, Camil., *laud. & not.* p. 101. *laud.* p. 193. 230. *not.* p. 196. 200.
Perſius *il.* p. 214.
Petitus *laud.* p. 47.
Petronius p. 153. 218.
Philocorus p. 9. 23. 27. 30.
Philoſtratus p. 132.
Pighius *laud.* p. 193. 195.
Pindarus p. 231.
Plato p. 158. 163.
Plautus p. 51. 53. *& ſeq.* p. 136. 144.
Plinius p. 7. 101. *& ſeq.* p. 150. 187. 230. *& ſeq.*
Plutarchus p. 31. 33. 35. *& ſeq.* p. 37. 40. 53. 56. 71. 106. 108. 127. 132. 154. 193. 228.
Pollux p. 3. 12. 18. 22. 24. 27. 30. 41. *& ſeq.* p. 45. 47. *& ſeq.* p. 49. 160. 170. 188.
Polybius p. 170. 195.
Pontanus *laud.* p. 201. 203. 216. 220.
Poſidoniae nummi. V. Nummi.
Pratillus, Franc. *cit.* p. 217.
Prideauxius *laud.* p. 122.
Priſcianus p. 6. 182.
Pſalmi XLVIII. *loc. expl.* p. 32.
Potterus *laud.* p. 49. 155.

QVinctilianus p. 85. 169.

REgum *locus illuſtr.* p. 189.
Reimarus *laud.* p. 202.
Reineſius *cit.* p. 3. 193. *laud.* p. 65. 99. 150. *not.* p. 94. p. 204. 210.
Relandi Faſti *cit.* p. 151.
Rupertus *laud.* p. 20.

SAlluſtius p. 141. 219. 231.
Salmaſius *laud.* p. 3. 65. 88. 117. 134. *& ſeq.* p. 140. *& ſeq.* 142. 148. 188. 200. *not.*
Scaliger *laud.* p. 20. 65. 113. *& ſeq.* p. 134. *& ſeq.* p. 140. 145. 178. 191.
Scholiaſtes Thucydidis p. 37. 158.
Lycophr. p. 76. 138. 227.
Theocriti *il.* p. 161.
Seldenus *laud.* p. 122. 189.
Seneca *cit.* p. 230.
Servius p. 5. 41. 105. 186.
Sigonius *laud.* p. 26. 45. 175.
Silius Italicus p. 77. 95. 100. *reſtituit. & expl.* p. 101. *& ſeq.* p. 132. 192.
Spanhemius *laud.* p. 21. 75. 105. 158. 160. 179.
Solinus p. 77.

Spar.

Spartianus p. 117. 179. 189. 200. *&* *ſeq.* p. 206. 223.
Stadius, Carol. *laud.* p. 222.
Statius p. 73. 100. 103. 105. 138. 159. 178. 230. 232.
Stephanus *laud.* p. 18. 23. 37. 59. 41. 48. 63. 66. 67. 80. *&* *ſeq.* p. 84. 106. 143. 146. 160. *&* *ſeq.* p. 178. 181. 189. 192.
Strabo p. 1. 17. 19. 33. 37. 41. 43. 59. 72. 74. 76. 78. *&* *ſeq.* p. 81. *&* *ſeq.* p. 84. 89. 96. *&* *ſeq.* p. 100. 103. *&* *ſeq.* p. 108. 138. 147. 156. 170. 172. 174. 181. 190. 192. 194. *&* *ſeq.* p. 208. 217. 224. *&* *ſeq.* p. 227.
Suetonius p. 34. 49. 113. *&* *ſeq.* p. 137. 181. 184. 192. 213. 218.
Suidas p. 3. 6. 17. 24. *&* *ſeq.* p. 27. 41. 109. 163. 175.
Summontius *laud.* p. 150. 177. 216.
Symmachus p. 151. 156.

TAbula Canuſina p. 180.
Tacitus p. 40. 175. 180. 184. 208. 218.
Tutinus, Camil. *laud.* p. 220.
Terentianus Maurus p. 85.
Terentius p. 6.
Tertullianus *il.* p. 189. 225.
Thucydides *il.* p. 18. *&* *ſeq.* p. 20. 35. 37. 41. 73. 77. *&* *ſeq.* p. 80. 110. 176.
Trebellius Pollio p. 153.
Troylus *notat.* p. 217.
Turnebus p. 1.

VAillantius *laud.* p. 179. 202.
Valerius Max. p. 111.
Valla *not.* p. 21.
Varro p. 1. 68. 88. 143. 7.
Virgilius p. 86. 148. 164. 200.
Vitruvius p. 88. 169. 225.
Voſſius *laud.* p. 5. 32. *not.* p.
Wandalus *cit.* p. 3. *not.* p. 143. 147. 181. 204.
Weſſelingius *laud.* p. 160. 171.
Wolfius *laud.* p. 165.

ZArrillus Matthias *laud.* p. 187.

I N D E X II.

RERVM, ET VERBORVM.

A

ABa urbs in Phocica regione. p. 103. Ex Apollinis Delubro, & Oraculo commendata. *ib.* Urbs direpta, & incenſa a Perſis. *ib.* Qua aetate ab Hellenibus occupata. p. 105. qui nomen *Aban* in *Euboeam* tornarunt. *ib.*
Abantes qui. p. 103. Nominis etymon ex Oriente. *ib.* Ex Thracibus oriundi. p. 104.
Abantia claſſis Eumelidas Neapolim devexit p. 104.
Adonia Feſta, an Neapoli celebrata. p. 122. n. 9.
Ἀδελφοὶ (*fratres*) populi foederati. p. 21.
Aeginetae maris imperium aliquando obtinuerunt. p. 76. Eorum Colonia Neapolim deducta. *ib.*
Aeoles Aſiatici an olim Pelaſgi adpellati p. 83. Eorum natio vaga & errabunda. *ib.*

Aeolia

Aeolia ex vi nominis *Conflagrationem* denotat. p.86. Aeolia duplex Aſiatica, & Italica. p. 83. Italica antiquior inſinuatur. *ib.* & *ſeq.*

Aeolia regio Aſiae inter Troadem, & Joniam exporrecta, cur ſic adpellata. p. 79.

Aeoliae Inſulae. p. 84. An a Pelaſgicis erronibus ita dictae. p.85. Nominis origo ex Oriente. *ib.* Cur dictae Ἡφαιστιάδες *Vulcanicae*. *ib.*

Aeolica Dialectus ex oris Italicis in Graeciam tranſmarinam traducta. p. 84.

Aeolica migratio in Aſiam Iliaca clade poſterior. p. 84. Eadem ex Inſulis Aeolicis Tyrrheni maris quo anno conſignanda. p. 89.

Aeolum cognomen unde terrarum Pelaſgis adhaeſerit. p. 83.

Aeruſcare quid. p. 157.

Agarrheenſium Phratria prorſus commentitia. p. 143. & 204. & *ſeq.*

Ἀγαρρὶς quid in Phratriaca Inſcrip. Neap. p. 143. & *ſeq.*

Ἀγέννητοι h. e. nullis orti majoribus p. 29.

Agnus Curio cur ita dictus a Plauto. p. 54.

Ἀγορευταίβιον quid in Inſcrip. Neap. p. 170. & *ſeq.*

Ἀιανὸς οἶκος (*domus lamentabilis*) ubi matronae *Adonia* celebrabant, p. 122. n. 9.

Alcibiades Poëta, patria Smyrnaeus. p. 214. Qua aetate floruerit. *ib.* Ejus epitaphium. *ib.* Paralipomena Homeri abſolviſſe ſuadetur. *ib.* ideoque *Quintus Homericus* ſalutatur. *ib.*

Alexander Magnus quanti fecerit Homerum. p. 75. n. 8.

Antinous in varias numinum ſpecies figurabatur. p. 202. Ejus Templum Neapoli. 201. Ubinam poſitum. *ib.*

Aonia quandonam dicta *Boeotia* p.18.

Ἀφρήτωρ quid. p.22. idem ac ἄπολις. *ib.*

Aphydna pagus Atticus. p. 20.

Ἀρίστῃ, Athenis pro Ἀρτέμιδι, Diana. p. 138.

Ariſtaei Phratores unde ſibi nomen adſciverint. p. 137. & *ſeq.* ſcilicet ex *Ariſta*, quae *Diana* Athenis *ib.*

Ariſtides diſcrimen inter Patricios, & Plebejos Athenienſes ſuſtulit. p. 36.

Artemis, ſive Diana Neapoli culta. p. 139. Ejus habitus duplex in Nummis Neapolit. *ib.*

Artemiſia Feſta in honorem Dianae. p. 155. n. 6.

Ἀρτεμίσιοι Phratores, unde nomen arceſſiverint. p. 155. ab *Artemide*, an ab *Artemiſio* promontorio. *ib.*

Aſphaltites, lacus in Judaea unde dictus. p. 228. Cur *mare ſalis* in latinis Bibliis vertatur. *ib.*

Athenienſes omnes ſimul Tribules, Phratores, & Demotae. p. 46. Athenienſium civium claſſes Polluci *Ingenuorum*, *Agricolarum*, *Opificum*. p. 24.

Atae, in marmore Campano quid. p. 200. n. 4. *Erinnyas* deſignari oſtenditur. *ib.*

Attica regio olim pagatim habitata p. 16. a Cecrope I. in IV. Tribus diſtributa. *ib.* & ſingulae Tribus in tres *Civitates*, ut a Strabone vocantur p. 17. at a Polluce *Phratriae*. *ib.* n. 1.

Atticae regionis pagi a Cecrope in Tribus, & Phratrias diviſi. p.16. & *ſeq.*

Attici in quot Phratrias diſtributi. p. 25.

Augu-

Digitized by Google

Auguſtus ſtipem quotannis emendicare ſolebat. p. 137.
Aula, vox Graecanica p. 7. Ejus etymon unde. *ib.* n. 3.

B

Bibere *aquam in menſura* quid apud Ezechielem p. 69. n. 5.
Bruttia gens olim a Graecorum inſtitutis, linguaque diſcrepuit p. 159. n. 3. poſtea Helleniſmum adoptavit, & nummos Graece loquentes cudit. *ib.* & quidem poſt tempora Hannibalica. *ib.* Graeci Bruttiorum nummi qua aetate conſignandi. *ib.*
Butadae, gens *nobilis* inter Athenienſes, quibus concreditum fuit ſacerdotium Minervae Poliadis p. 26. n. 7. dicti quoque *Eteobutadae* ad diſcrimen *Butadarum* popularium. *ib.*

C

Campani primi Graeciſmum Neapolitanum corruperunt. p. 197. Eorum regio Neapoli. p. 224.
Carneorum Feſtum apud Lacedaemonios. p. 61. Proxime accedebat ad *Scenopegiam* Hebraeorum. *ib.*
Caſtor, & Pollux cultus Neapoli. p. 107. n. 2.
Catacly ſmus Arcadiam devaſtavit. p. 81.
Catadupa locus ubi Nilus cadit ἀπὸ τοῦ Δούπου a *ſtrepitu*. p. 226.
Cauloniae etymon unde. p. 104. n. 6. In ejus nummis exhibetur Jupiter *fulmina* jaculans. *ib.*
Cecrops I. Rex Atticam regionem quam ob cauſam, & in quot *Tribus*, & *Civitates* ſive *Phratrias* diſtribuerit. p. 16. & *ſeq.* vagas Veneres coërcuit. p. 23. n. 1.
Celes vox Graeca *equum*, & *cymbam* ex aequo ſignificat. p. 178.
Celetum certamina Neapoli. *ib.* quibus praeerat *Lancelarcha*. *ib.*
Centuria quomodo a tachygraphis latinis exprimebatur. p. 189. n. 5.
Ceres *Ariſtae* nomine culta Athenis, & Neapoli. p. 138. Graeca Sacerdos e Sicilia, vel Neapoli Romam arceſſebatur in Sacris Cereris procurandis. p. 122. n. 8.
Certamina quinquennalia Neapolitana dicta *Italica*, *Romana*, *Auguſta*, & *Olympiorum aemula*. p. 108.
Χαλάστρα aevo medio *excidium* deſignabat. p. 220. *ib.*
Chalcidici dicti Δίγλωσσοι *bilingues*. p. 77. Promiſcue aliquando habitarunt cum Pelaſgis, & Tyrrhenis. *ib.* Eorum affinitas. p. 78.
Chalcologi quid in Inſcript. Neap. p. 136. & *ſeq.*
Civitates ex pluribus populis conſpirantibus conflatae. p. 15. 19. 20. n. 1. Tulliana *Civitatis* definitio. p. 15. n. 2. eodemque ſenſu, ac *Civitas Allobrogum*, *Civitates Helvetiorum*. p. 20. n. 2.
Civitatis notio primaria quae. p. 15.
Commigratio, & *Demigratio* quid. p. 37.
Conſulares dicebantur, qui conſulatu jam functi erant. p. 199. quinam Conſulares Campaniae. *ib.*
Conſulum creatio pro Oriente, & Occidente. p. 212.
Convivia popularia non unius nominis. p. 57. Civitatibus utilia. *ib.* Conviviorum conſuetudinem Graeci tranſmarini a Pelaſgis Italicis in patrias derivarunt ſuas. p. 57. & *ſeq.*
Corporata ſodalitia commune habebant

bant ſepulcretum. p. 129.
Cotyla an reſpondeat Heminae Romanae. p. 186.
Cume Aeolica diu poſt Aeolenſium in Aſiam tranſmigrationem condita. p. 82. prope Neapolim. Inde deducta colonia ad oram maris Tyrrheni *Cumas* condidit. p. 81. omnium Hellenicarum antiquiſſima. *ib.* ſed coloniâ Pelaſgicâ *Phalero*, ſive Neapolis poſterior. p. 82. 191.
Cumae in nummis antiquis KVME LITERNVM urbs ſic dicta a propinquitate fluvii ſtagnoſi *Literni*, ideoque ranae exſculptae in ejus urbis nummis viſuntur. p. 192.
Cumani ſuis deſertis laribus Parthenopen commigrarunt. p. 193. Parthenopen recepti, ſuam *Phretriam* compoſuerunt. p. 193. n. 13.
Cumanorum Colonia Neapolim deducta. p. 76. qua aetate. *ib.*
Curia cur *Phetrion* dicta. p. 55. Curia vox Graecanica. p. 7. n. 3. Ejus etymon unde. *ib.* Curiae vox tum Civitatis partem, tum locum, quo Curiales conveniebant denotat. p. 94. n. 2. Curiae vel a locis unde devenerunt, vel a ſuis ducibus ſuas adripuerunt nomenclationes. p. 94. n. 1.
Cyclopes quo ſenſu dicuntur *exleges*, cum quiſque pater *leges* ſuis dictabant familiis. p. 11. *ſeq.*
Cymaei Aeoles cur in Campaniae oram maritimam curſum direxerint. p. 79.
Cumae in Campania a Chalcidenſibus, & Cymaeis conditae. p. 78. A Cymaeis Aeolicis ſic dictae. p. 79. Hippocles Cymaeus eo Coloniam deduxit. p. 79. & 82.
Cyme Aeolica a Pelaſgis Theſſaliae condita. p. 79.
Cynaeorum Phratria ſuppoſititia. p. 190.
Kalendarium Neapolitanum quo anno ſcalptum. p. 203. n. 6.
Καλλίςη Athenis eadem ac Ἄρτεμις h. e. *Diana*. p. 138.
Κτίζειν *condere* non raro pro *reficere* & *inſtaurare* uſurpatur. p. 74. n. 5.
Κώτιλλον cujus formae poculum. p. 186.
Κώμη vox origine orientalis. p. 9. n. 6. alternat cum Δῆμος, & *Pagus*. *ib.*

D

Demarchia ſupremus Neapoli Magiſtratus. p. 175. Ab Hadriano Aug. geſtus. p. 176.
Demarchus, Magiſtratus Neap. *Electo populi* nunc reſpondet. p. 222.
Demi antiqui iidem ac *Phratriae*. p. 176.
Demoe Feſto ſunt *Demi*, ſive *Pagi*. p. 9. n. 5.
Deus loci, quis. p. 92. & *ſeq.*
Δήμαρχοι Athenis qui ſingulis δήμοις praeerant. p. 175. An iidem apud Graecos ac *Magiſtri pagorum* apud Latinos. *ib.*
Δῆμος quid. p. 9. n. 6. Graecum vocabulum, ſed ab oriente traductum. *ib.*
Δῆμος, φρατρία, & συγγένεια an ſynonima. p. 10.
Δῆμος patriam naturae deſignabat. p. 35.
Δήμους Atticos Latini reddunt *pagos*. p. 193. n. 13.
Δίαυλος quid ſit. p. 109. n. 2. Ejus delineatio apud Pauſaniam. *ib.*
Dii *Patrii* a Diis *Phratriis* diverſi. p. 92.
Dioſcuri *Patrii* *Penates* Neap. p. 178.

Dona-

Digitized by Google

Donariis, quae in templis dedicabantur, cur ponderis notatio apponeretur. p. 188.

E

EI pro I in Inſcriptionibus ſequioris aevi. p. 172. n. 6.
Ἔθνος quid Polluci. p. 17. n. 1.
Eumelidae Phratores unde dicti. p. 67. quamobrem *Pheretiadae* vocentur a Silio Italico. p. 195.
Eumelis ſic dicta Neapolis ab Eumelo, a quo habitatores Neapolis dicti *Eumelidae*. p. 79.
Eumelus Deus Patrius urbis Phaleri, quae poſtea *Neapolis*. p. 96. Ab eo dicta Eumelidarum Phratria. *ib.* Idem Deus Patrius Neapolitanorum. p. 93. & 98. Is Admeti filius ex Homero. p. 99. *Pheretiades* nuncupatus. *ib.* In Pelaſgiotide regnavit. *ib.* A praeſtantia equarum ab Homero commendatur. *ib.* & p. 100. Primus huc coloniam deduxit. p. 101. Qua aetate. p. 82. & p. 103. Quaque claſſe. *ib.* Unde primum urbis nomen *Eumelis*. *ib.* & Cives *Eumelidae*. p. 98. & p. 102.
Eumidarum Phratria ex cenſu Neapolit. Phratriarum expungenda. p. 206.
Eunoſtidae qui. p. 106. *& ſeq.* & p. 119. Ab eorum ſacris abſterrebantur feminae. p. 118. non idcirco ἄγαμοι coelibes. p. 116. *& ſeq.* *Eunoſtidae* Phratores unde dicti. p. 67.
Eunoſtus, a quo Eunoſtidarum Phratria, qui fuerit. p. 115. Tanagrae Beoticae cultus. *ib.* Ejus cultum Pelaſgi ex Graia Beotiae oriundi, in urbem noſtram intulerunt. p. 119.
Exſors Phratriae, Exlex, ſine lare imprecationes apud veteres poetas. p. 22.

F

FAlernus ager inter Calenum, & Sinveſſam, an ita a Pelaſgis denominatus. p. 81.
Familiae Patriae quaſnam ob cauſas in ſyſtema phratriarum convenerint. p. 11. *& ſeq.*
Faſces in marmore Proculi ſculpti quid deſignent. p. 155.
Fauſtinae Aug. divini honores decreti. p. 206.
Fecialis vox origine Graeca. p. 7. n. 3.
Felix Eumelis cur a Statio ſic dicta. p. 101. An idem ac Εὐδαίμων Νεάπολις, *Felix Neapolis*. ib.
Flavia gens frequenter in Neapol. inſcriptionibus occurrit. p. 97.
Flavii Fratres quinquennalia vicerunt Neapoli. p. 107.
Foederati populi dicti Ἀδελφοί, & *Fratres*, & *conſanguinei*, & Foedus ὁμαιμία, politica conſanguinitas. p. 21. & ipſi populi ὅμαιμοι. p. 22. n. 5.
Frater a Graeco Φρήτηρ recta deducitur. p. 6. n. 1. 2.
Fretriacus dicebatur qui munus Phratoris jam geſſerat. p. 199. n. 3.

G

GEnnetae qui proprie dicebantur. p. 29.
Gennetae Athenienſium qui fuerint. p. 26. Iidem dicti *Homogalactes*, & *Orgeones*. p. 24.
Gennetarum, & Patriciorum proprietates comparantur. p. 29. *& ſeq.*

Digitized by Google

Γένος, & *οἰκία* in quo differant. p. 25. n. 4.

Γραμματεὺς Scriba haud ignobilis in Graecis Rebus publicis Magiſtratus. p. 179. ut Neapoli. *ib.* poſtea *Scriba* cognominatus. p. 210.

Graeca ſtudia Neapoli jamdiu ab aevo Antoninorum plane refrixerant. p. 167.

Graeca vocabula latinis elementis exarata in veteribus, monumentis. p. 200. n. 4.

Graeciſmus IV. Chriſti ſæculo Neapoli plane deperierat. p. 151.

H

HAdrianus Aug. Neapoli Demarchus. p. 199. & 218. In aedificandis Pantheis Antinoi cultum occulebat. p. 202.

Helleniſmus paullatim Neapoli defecit. p. 218. donec Antoninorum aetate plane deſueverit. p. 208.

Heminae duodecim conficiebant *Congium*. p. 186.

Hera dicitur *Juno* in marm. antiq. p. 200.

Herculanenſes urbe Veſevi torrentibus ſepulta Neapolim habitatum conceſſerunt. p. 76. Quandonam, & qua de cauſa in urbem Neapolim migrarint. p. 225. ubi eorum ſtatio dicta *Regio Herculanenſium* p. 224. 244. *ſeq.*.

Herculaneum a Pelaſgis conditum. p. 77. hujus oppidi etymologia, vices, & everſio. *ib.* & p.

Herculea, & *Herculanea* paſſim dicta quae portentoſa erant, & admiranda, & maxime loca, unde ignes, & aquae thermales erumperent. p. 227.

Heſychius plurimum ex LXX. Senioribus profecit. p. 62.

Homerus a Pelaſgis Aeolicis edoctus plura de natura genioque noſtrorum locorum didicit. p. 82. Ejus carmina Lycurgi, & Piſiſtratidarum opera Graecis innotuerunt. p. 75. n. 8. Ejusdem ſententiae veluti Oracula Delphica reputatae. *ib.* Erga hunc Poëtam Neapolitanorum ſtudia. p. 153. Ejus tumuli epigraphe. p. 212. quo conſilio hujuſmodi epitaphium Alcibiadi, ſive *Quinto Calabro* poëtae fuerit accommodatum. *ib.* & p. 213.

I

ILii excidium quo anno conſignandum. p. 82.

Incendium Volſinium quo anno acciderit. p. 226. n. 8.

Ἱπποβάται Inequitantes ſic apud Chalcidenſes viri opulentiores dicti, qui Rempub. adminiſtrabant. p. 219.

Itali ingenuas artes, in primis Muſicen a Pelaſgis Arcadibus didicerunt. p. 86.

Juno Lacinia quae. p. 159. *& ſeq.*

Jupiter *Δωδωναῖος Πελασγικὸς* cur ita appellatus. p. 83.

L

LAgena menſurae nomen. p. 183. duodecim Cotylarum Atticarum capax. *ib.*

Λαμπαδηδρομία certamen apud Athenienſes, & Neapolitanos. p. 138.

Lariſſa in Campana a Pelaſgis condita. p. 77.

Lariſſae Pelaſgicae undecim numeratae. p. 81. n. 5.

Latini ab Aeolibus eruditi ſuae linguae rubiginem deterſerunt. p. 88.

A Pe-

Digitized by Google

A Pelaſgis in rebus ſacris & profanis edocti. p. 86. Scribendi formam ex Pelaſgis adripuerunt. p. 81.
Latinitatis Neapolitanorum indicia ex publicis antiquis cippis. p. 209.
Λαυκελαρχήσας in tribus Neapolitanis Inſcriptionibus quid deſignet. p. 176. *& ſeq.*
Laucelarchia magiſtratus, qui equorum, vel cymbarum praeerat certaminibus. p. 177. *& ſeq.*
Leges foederis inter Latinos populos aerea columna inciſae. p. 86.
Lenaeon menſis Kalendarii Neapolit. p. 121. an Antheſterioni Attico reſpondeat. p. 122. n. 11. *& ſeqq.*
Lenaeum feſtum Bacchi, qui *Lenaeus* dicebatur. p. 122.
Leucoſia inſula a Pelaſgis habitata. p. 75. n. 8. An Siren *Leucoſia* ab Ulyſſe ſpreta, exanimataque huc devenerit. *ib.* Ejus imago anaglypta Paeſti in arcu portae Orientem verſus. *ib.*
Librae nomen unde Romani deſumpſerint. p. 188.
Lingua Latina cur ad Aeolicam dialectum accedat. p. 85. *ib.*
Λίτρα a Siculis vocabatur ὄβολος. p. 186.
Litterae veterum Latinorum ad normam veteris Graecanicae calligraphiae exactae. p. 86. An a Pelaſgis eam ſcribendi ſpeciem Latini adripuerint. *ib.*
Λόχος militare vocabulum. p. 56.
Lothi uxor cur in ſtatuam ſalis verſa dicatur. p. 228.
Ludorum Neapolit. celebritas quo anni tempore inciderit. p. 113.
Lycophron poëta qua aetate vixerit. p. 75.

M

MAgnae Graeciae fines anguſtiores, quam ut urbem quoque Neapolim complecterentur. p. 110.
Medimnus aquae quid in Diodoro Siculo. p. 69.
M. Γ elementa in Phratriaca Inſcriptione Neapolitana quid indicent. p. 111.
Μεῖον Μῆον quid in ſacrificio Phratorum. p. 44.
Metapontum urbs a Phalegicis erronibus Μέταβον dicta. p. 88. Quando Μεταπόντιον audierit. *ib.*
Meoniae regio cur dicta Κατακεκαυμένη *cremata*. p. 88.
Moenia urbis Neapolis aevo medio contra Africanorum excurſiones munita. p. 217.

N

NEapolis, urbs Campaniae, antiquiſſimis temporibus *Eumelis* appellata, & cives *Eumelidae*. p. 76. in quot *Phratrias*, ſive urbis regiones diſtributa. p. 1. olim dicta *Phalerum*. p. 80. & *Turris Phaleri* apud Lycophronem. *ib.* Ejus nominis origo Pelaſgica. *ib. & ſeq.* poſtea *Parthenope*. p. 111. ac tandem receptis in ſuam civitatem *Cumanis*, veterum civium ſtatio *Palaepolis*, quemadmodum novorum advenarum, dicta *Neapolis*. p. 111. *Palaeopolitanis* triumphatis *Neapolitani* foedus cum Romanis icerunt p. 111. temporibus recentioribus Neapolis Colonia *Auguſta*, & *Baſilica* evaſit p. 95. p. 151. quo aevo Graeciſmus evanuerit p. 111. & monumenta publica ore latino proponerentur. p. 111. Neapolis in quot Phratrias diſtributa. p. 111. recentioribus temporibus Herculanenſes a Veſuvii clade ſuperſtites in ſuam civitatem rece-

pit. p.111. ac fortaſſe exeunte ſaeculo. p.111. V. Herculanenſes.
Neapolitanorum nummi Dianam & Caſtores plerumque repraeſentant. p. 111. & 178. Neapolitanorum ſtudia erga Homerum. V. Homerus.
Nepos vox Graecanica. p.7. n.3.
Νεοπολίταις qui apud Appianum. p. 26. n. 9.
Neapolitae preſſius dicti, ex Cumis qui in hanc urbem advenerunt. p. 194.
Nola ab Oſcis primum occupata, deinde a Tyrrhenis, & Pelaſgis, poſtremo a Samnitibus. p. 77.
Nolani Oſca ferrugine deterſa Graecismum induerunt. p.196. In Nolanorum nummis ΝΩΛΑΙΩΝ p. 196. n. 15.
Nomen in Jure Romano ad omnem contractum, & obligationem pertinet. p. 139. n. 3.
Notarii qui ſic dicti. p.189.
Notae cur excogitatae. p.189. Notae numerales antiquitus uſurpatae. *ib.* n. 5.

O

O*Economiae* ſignificatio quam late pateat. p. 144.
Οἶκος πένθους cella luctus quid in Eccleſiaſte VII. 3. 5. p.122. n.9.
Οἰνώναιοι Phratores qui p. 174.
Οἰνώνη inſula Aeginae, & duorum in Attica pagorum nomen. p. 174.
Olla. V. *Aulae*.
Ὅμαιμοι, populi foederati. p.22. n. 7. vox Graeca, & ab Herodoto uſurpata. *ib.*
Ὁμογάλακτες iidem ac *Φρήτορες*. p. 9.
Oppida interdum a viris, plerumque a feminis cognominata. p.24.
Orion, quomodo deſcribatur ab Homero. p.121. Ejus monumentum Tanagrae. p. 120. in marmore Neapolitano repraeſentatus. p. .

P

P*Agi* vocabulum an Doricum. p. 5. *Pagus*, *Phratria*, & *Cognatio* ſynonyma ſunt. p.10. *Pagi* latius patent quam *Vici*. p. 175.
Palaeopolis: quando ita appellari coeperit Parthenope; & de ejus nominis cauſa. Vide in Parthenope.
Palaeopolitae ex Pelaſgico genere oriundi. p.194. A Samnitibus illecti contra Romanos belligerarunt. p. 195.
Πανηλίδαι (*Panelidae*) Phratores Neapolit. unde dicti. p. 66. *&* *ſeq.* n. 2. p. 172. An ex Elide Neapolim conceſſerint. *ib.* Rectius *Πανηλίδαι* ſcribitur quam *Πανηλειδαι*. p. 172. n. 6.
Pantheon Menſis apud Neapolitanos. p. 145. & 205. Unde nomen arceſſiverit. *ib.* & p.202.
Pantheum Neapoli. p.201. Ubinam poſitum. *ib.* An Hadrianus pro Phratria Antinoiton aedificarit, *ib.* Pantheum Neapolitanum in Eccleſiam *Omnium Sanctorum* reformatum. p. 203.
Παραλειπόμενα Ὁμήρου (*Praetermiſſa ab Homero*) haud perſonatus Quintus Calaber, ſed Alcibiades heroico carmine proſecutus eſt. p. 213. *&* *ſeq.*
Parthenope. Quando Palaeopolis adpellari coeperit, & quare p.194. *&* *ſeq.* Quando *Neapolis* p. 76. A Rhodiis condita. p.72. n.1. *&* *ſeqq.*

Par-

Digitized by Google

Parthenopes ſepulchrum Strabonis aetate. *ib.* Vnde nomen habuerit. p.74. An una e Sirenibus Homericis ibi tumulata. p. 75. Vide etiam in n. 8.

Patra contubernium eſt *patris* cum *filiis*. p. 8. quas ob cauſas *Patriae* familiae in *Phratriarum* ſyſtemata coaluerint. p. 11.

Pauſi'ypon, & Requietorium, ſive Sepulcrum, ſynonyma. p.132.

Pelasgi a Phalero Aemoniae oriundi. p. 81. Quae occupabant loca cur cognomina antiquis laribus facerent. p. 71. n. 9. Maris imperium obtinent. p. 73. Primam coloniam Neapoli condunt. *ib.* Campaniam maxime coluerunt. p. 77. Ab eis conditae urbes Lariſſae, Nola, Pompeii, Herculanum, Phalerum. *ib.* Ideo *Phaleri* voce delectati. *ib.* nomina antiquae patriae locis a ſe recenter occupatis imponebant. p. 81. Hinc multiplices Pherae Pelasgicae; hinc multiplices Lariſſae. *ib.* n.11. Pherae Pelasgicae quot apud veteres Geographos. p.81. Pelasgorum gens vaga, & ad migrationes praeceps. p.82. Pelasgorum Colonia Neapolim deducta. *ib.* Qua aetate. *ib.* An cum adhuc Trojae Pergama fumarent. *ib.* Hi quando Arcades audiverint. p.83. Quando Αἰγιαλεῖς *litorales*, & quando Jones & Aeolenſes dicti. In veteri ſcriptura tuenda tenaciores. p.86. Latinos populos edocuerunt de rebus ſacris,& profanis. *ib.* Iidem Italos ingenuas artes, in primis Muſicam, docuerunt. *ib.* Vnde Aeolum nomen ſibi pepererint. p. 87. Non paucas dictiones ex ore Latino, atque Oſco adripuerunt. p. 91. Eumelin in Campania fundarunt. p.92.

Petilia ad Lacinium promontorium ſita. p. 159. Ob Templum Junonis Laciniae nobilitata. *ib.* A Philoctete Herculis ſocio condita fuiſſe ferebatur. *ib.* n.2.

Phalerus pagus Atticae. p.20.

Phalerum a Pelasgis conditum. p.77. Phalerum Atticae. p.80. *ib.* Phalerum Campaniae. Vide Neapolis.

Pherae Pelaſgicae quot apud veteres Geographos. p.81.

Pheretiadae, Neapolitani dicti ab Eumelo Pheretiade. p.73. 102.

Phetra, & Phetrium quid apud Latinos. p.21. n.3.

Phetrium pro *Curia* Auguſtalium. p. 63.

Philippus Macedo Poëta quo ſaeculo floruerit. p.212. Vnus ne, an duo ejuſdem nominis. *ib.*

Φρήτηρ, & Φρήτωρ p.6. unde *Frater* Latinorum. p.6. n.1. 2.

Φράτηρ quo ſenſus *Curio* redditus a Plauto. p.54.

Phratores. An primum germani fratres fuerint. p. 9. An inter eos cenſiti etiam filii, & nepotes. *ib.* Phratorum nuptiale convivium. p. 54. Dicti *Curiones*. p. 55. Phratores qui dicti p.63. Eorum munus. *ib.* & 64. Nullo jure ſanguinis ſed ob conſpirationem Ἀδελφοὶ, & *Fratres*, & *Conſanguinei* ſalutantur. p.21.

Phratria. Hujus nominis etymon. p.5. Quid deſignarit. p.9. *& ſeq.* Phratriae nomen parvis ſocietatibus notandis addictum. p.60. Hujus ſodales, *Phratores* dicti tamquam *familiares* & *affines*. *ib.* Phratriae quomodo primum coaluerint. p.8. Φρατρίαι, ſive congeneres familiae olim ſegreges quas ob cauſas in

vici-

Digitized by Google

vicinia habitare conſtituerint. p.13. 14. ac poſtea plures hujuſmodi Phratriae in unam *Civitatem* ſeu *Phratriam* conſpirarint. p. 15. & 21. n. 3. 4. In Phratriarum ſyſtema quaſnam ob cauſſas Familiae Patriae convenerint. p.11. *& ſeqq.* Phratria unaquaeque olim ſeorſim ab aliis Phatriis adminiſtrabatur. p. 14. Singulae ſuas leges habebant, itemque Senatum, Forum, & Sacra peculiaria . *ib.* Phratria perperam redditur *Sodalitium* a Valla. p.21. Phratria *exſors*, *exlex*, *ſine lare*, imprecationes veterum poëtarum . p. 22. Phratria, vocabulum genealogicum . p. 41. Inter ſe topico cognomine dignoſcebantur. p. 41. Phratriae intererat, ne quis peregrinus inter cives adſcriberetur. p. 51. Phratriae ſyſtema politicum. *ib. & ſeqq.* Phratriae Graecorum cum Curiis Romanorum comparantur. p. 53. Phratriae quo ſenſu Στιβάδες dictae . p. 61. Phratriarum Neapolitanorum e veteribus lapidibus notitia, & recenſio. p. 66. Earumdem cognomina quae . *ib.* unde illis quaeſita. *ib.* & p. 11. Phratria *Antinoiton* a Neapolitanis in gratiam Hadriani inſtituta. p.198. *& ſeq.* Φρατρία, & Πόλις vocabula ſynonyma. p. 22. & conſequenter Ἀφρήτωρ idem ac Ἄπολις . *ib.* Phratria Athenarum *tertiam partem* tribus deſignabat. p.55. Item *aedem ſacram*. *ib.* item *loci publici conſilium*. *ib.* Φρατρία, Δῆμος, Συγγένεια, vocabula velut ſynonyma. p.10. Phratria cur alternet cum Τριττὺς, & Ἔθνος. p. 12. n. 1. Phratria etiam eſt dicta quaevis ſocietas non jure ſanguinis, ſed ex vi politici ſyſtematis. p. 10.

Phratrium locus, quo Phratores conveniebant. p.63.

Phretarchus totius Phratriae magiſtratus major. p.136. annuus. *ib.*

Φρητρία, & Φατρία an utraque ſcriptio proba. p. 146. n. 8. Φρητρία poſtea *Phetrae*, mox latinitate praevalente *Curiae*, *Tribus*, & *Regiones*. p.

Φῦλα quid apud Atticos. p. 40. Φυλαί vocabantur *diviſiones* populi Thurini . p. 70. Phylae Atticae quot ſub Cecrope. p. 40.

Φρατραστὴς quid in Inſcriptione Neapolit. p. 137.

Poecile quid apud Athenienſes. p. 132.

Πόλις i. e. *Civitas* a *multitudine* ſociatorum dicta. p. 19. ideoque cum Phratria alternat. *ib.* Πόλις, ex pluribus pagis perfecta ſocietas. p. 10.

Pompeji urbs a Pelasgis condita. p. 77. Ab Oſcis primum occupata, deinde a Tyrrhenis, & Pelasgis, poſtremo a Samnitibus. *ib.*

Populi veteres unde nomen adſumerent. p. 66. n. 2.

Populi olim pagatim, ſive vicatim habitabant. p. 176.

Praetorii dicebantur qui Praetura jam functi erant. p.199.

Procerum etymon unde. p. 32.

Proculus a M.Antonino Aug. Conſul factus. p. 152. Tripus & Faſces in marmore Aquilii Proculi quid deſignent. p. 155.

Publius Philo de Palaeopolitanis triumphat. p.185.

Q

QVinquennalicii qui Quinquennali-

nalitate jam functi erant. p.199.
Quinquennalis Magiſtratus ordinarius Coloniarum, & Municipiorum. p. 179.
Quinti Calabri Poëma in Calabria repertum. p. 215. quo ſenſu hujus *Quinti* nomen accipiendum. *ib.*

R

Regiones urbium unde cognomina nanciſcerentur. p. 224.
Regiones urbis Neapolis vario tempore nominibus compellatae fuerunt. p. 220. n. 12.
Rhodii maris imperium obtinuerunt. p. 74. Horum Coloniae quaquaverſus emiſſae. *ib.* Parthenopen in Opicis condiderunt, & amplificarunt. *ib.* Cur eam ita appellarint. p. 75. n. 8.

S

Salinae Herculanenſes quae, & unde dictae. p. 228.
Scenopegiae apud Hebraeos quae. p. 61. Hujus exemplo Carneorum feſtum apud Lacedaemonios. *ib.*
Scriba, honorificus erat magiſtratus apud Graecos, non item apud Latinos. p. 179.
Scyphus, convivale poculum, in Sacris adhibitum. p. 186.
Scyphorum materies apud antiquos ex argilla. p. 188. an argenteos fabricarint primi omnium Boeoti. *ib.* n. 4.
Semibos Vir, qui paſſim in num. Neapolit., & Siculos, non eſt Minotaurus. p. 79. n. 3.
Sepulchra Neapolit. ad ſeptentrionem urbis diſpoſita. p. 127.
Sepulchrorum veterum communis ſupellex p. .
Sirenum habitus. p. 75. 76. n.
Sodalitas pudicitiae quaenam in marmore Romano. p. 116.
Sodalitates alicui numini mancipatae cur *Phratriae* dictae. p. 63.
Solon populum in IV. claſſes diſtribuit. p. 36.
Στιβάδες tori convivales. p. 62.
Sylva Gallinaria. V. *Cumae*.
Symphratores apud Tullium qui. p. 34.
Syſſitia Cretenſium quae. p. 58. Syſſitia *tribulia*, *phratriaca*, & *paganica* quae, & unde dicta. p. 59.

T

Tarentini cur appellati Phalantiadae. p. 67. n.
Tarſus, & *Pelagon* nomina ſervilia. p. 185. a loco natali quaeſita. *ib.*
Teduccio vulgo ſic dictus Pagus prope Neapolim, ex *Theodoſio* barbare pronuntiato. p. 215. *& ſeq.*
Temeſa urbs Bruttiorum. p. 159. n. ferro abundabat. *ib.* A Graecis inſtitutis linguaque diſcrepuit. *ib.*
Terra ſcelerata, & *polluta* quae diceretur. p. 164.
Theſeus domo Theſſalus Cymes conditor. p. 79. n. 3. & p. 81. Nepos an abnepos Eumeli. *ib.* alius a Theſeo Minotauri debellatore. p. 79.
Thurium urbs unde ſibi nomen quaeſiverit. p. 69. n. . Ibi diviſiones populi vocabantur Φυλαι. p. 71. Colonia Thurium deducta ex pluribus Graeciae regionibus contracta. p. 71.
Tiberius Tarſus Templum Caſtori, & Polluci Neapoli dedicavit. p. 170.

Tibe-

Tiberius Imperator in gentem Juliam adoptatus. p. 185.

Tituli Athletis in victoriae monumentum excitabantur. p. 107.

Τριττὺς eſt *Phratria* ſic dicta, quia *tertia pars* erat cujuſque Tribus. p. 12. n. 1.

Τόκος ἐπίτιμος quaenam uſura apud Graecos. p. 141.

Turma vcx graecanica. p. 7. n. 3. Ejus etymon unde. *ib.*

V

VAndali qui Capuam, & Nolam anno 455. populati fuere, cur porro ab oppugnanda Neapoli ſibi temperarint. p. 217. n. 10.

Venus Ἀποστροφία quae. p. 116.

Veſutius, in primaeva lingua *ignem* ſignificat. p. 225. Ejus etymologia. *ib.* n. Veſuvii torrentes cur *Salinae* vocitati. p. 228. & *ſeq.* Veſuvii conflagratio ſub Tito. p. 229. Campaniam vaſtavit. p.230. Conflagrationi praeiverat terraemotus. p. .

Volſinium incendium quo anno acciderit. p. 226. n. 8.

Vſurarum modus ex pecunia foenerata lege Solonis. p. 140.

Reve-

Reverendiſſimus Dominus D. Franciſcus Canonicus Roſſi in hac Regia Studiorum Univerſitate Profeſſor vigore Regalis Diplomatis diei XXIV. infraſcripti menſis, & anni revideat autographum enunciati operis, cui ſe ſubſcribat ad finem revidendi ante publicationem, num exemplaria imprimenda concordent ad formam Regalium Ordinum, & in ſcriptis referat potiſſimum, ſi quidquam in eo occurrat, quod Regiis juribus, boniſque moribus adverſetur, & ſi merito typis mandari poſſit. Ac pro executione Regalium Ordinum idem Reviſor cum ſua relatione ad nos directe tranſmittat etiam autographum ad finem. Datum Neapoli die XXVIII. menſis Junii 1797.

F. ALB. ARCHIEP. COLOSS. C. M.

D O M I N E.

IVſſu tuo perlegi *Commentarium de Phratriis primis Graecorum politicis ſocietatibus* a Cl. Nicolao Ignarra Metropolitanae Eccleſiae Neap. Can. & in Regio Archigymnaſio S. Scripturae interprete elegantiſſime conſcriptum. In eo vir ſummus novum iter ingreſſus, phratriacis Neapolitanis inſcriptionibus mira ſagacitate perluſtratis, patrias origines ſpiſſa caligine obſitas eo perfundit lumine, quod numquam obfuſcandum videatur. Opus profecto auro contra non carum cum nihil prae ſe ferat, quod Majeſtatis jura, bonoſve mores attentet, typographicis formis committi poſſe cenſeo, ſi Tu ita jubeas = Neapoli pridie Idus Quintiles 1797.

Majeſtati Tuae

Addictiſſimus, & Obſequentiſſimus
Can. Franciſcus Roſſi.

Die 11. menſis Auguſti 1797. Neapoli.

Viſo Reſcripto S. R. M. ſub die 5. currentis menſis, & anni, ac relatione Rev. Can. D. Franciſci Roſſi, de commiſſione Rev. Regii Cappellani Majoris, ordine praefatae Regalis Majeſtatis.

Regalis Camera S. Clarae providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma praeſentis ſupplicis libelli, ac approbationis dicti Reviſoris. Verum non publicetur, niſi per ipſum Reviſorem, facta iterum Reviſione, affirmetur, quod concordat, ſervata forma Regalium ordinum, ac etiam in publicatione ſervetur Regia Pragm. Hoc ſuum &c.

TARGIANI. PECCHENEDA. VOLLARO.

VIDIT FISCUS R. C.

Illuſtris Marchio Mazzocchi Praeſ. S. R. C., & caeteri Spectabiles Aularum Praefecti tempore ſubſcriptionis impediti.

Izzo Cancelliere. Paſcale.

Reg. fol. 17. a t.

Digitized by Google

Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Can. D. Vincentius Calà revideat, & in ſcriptis referat. Die 6. Martii 1797.

P. EP. TIEN. VIC. GEN.
FRANCISCVS ROSSI CAN. DEP.

PRINCEPS EMINENTISSIME.

Opus inſcriptum *de Phratriis* a Clariſſimo Viro, eodemque collega non uno mihi nomine ſuſpiciendo Nicolao Ignarra, iamdudum, pro vetere, quae inter nos eſt neceſſitudo, privatim legeram, idque Te, Eminentiſſime Princeps, iubente iterum feci, & lubenti quidem animo; nam a lectione lucubrationum eruditiſſimi hominis doctiorem me ſemper diſceſſiſſe palam profiteor. Argumentum autem quod pertractare eſt aggreſſus, cum fuerit tanta caligine, tantiſque tenebris tectum, ab eo eſt meridiana luce circumfuſum, ut gratulandum ſit noſtris civibus, qui nunc tandem quot & quae, quid denique fuerint Phratriae probe calleant. In eo autem opere cum nihil Chriſtianis moribus inſtitutiſque abſonum occurrat, quantocius illud publicandum cenſeo, Si Eminentiae Tuae auctoritas acceſſerit.

Eminentiae Tuae.

XVI. Kal. Sextiles CIƆIƆCCXCVII.

Addictiſſimus, & Obſequentiſſimus Famulus
Vincentius Calà.

Attenta relatione Domini Reviſoris imprimatur. Die 20. Septembris 1797.

P. EP. TIEN. VIC. GEN.
FRANCISCVS ROSSI CAN. DEP.

NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

592445

Digitized by Google

Google